3 1761 08825333 1

1 60

Toronto University Library

Presented by
H. A. Pottinger Esq. M. A
of Worcester College. Oxford.
through the Committee formed in
The Old Country
to aid in replacing the loss caused by
The disastrous Fire of February the 14th 1890

Older edition in Library.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/dissertationesho00ricc

3

H W Posttenger

F.

H. A. POTTINGER,
WORCESTER COLLEGE.
OXFORD.

H766
.Yri

ANGELI MARIAE RICCII

GRAECARVM LITERARVM IN FLORENTINO LYCEO QVONDAM PROFESSORIS

DISSERTATIONES HOMERICAE

ANTEA TRIBVS VOLVMINIBVS COMPREHENSAE, NVNC IN VNVM COLLECTAE.

CVRAVIT ET PRAEFATVS EST

FREDERICVS GOTTLOB BORN

PHILOSOPHIAE DOCTOR IN ACAD. LIPS.



LIPSIAE

SVMTIBVS GOTTHILF THEOPHILI GEORGI.

CIↃ IↃCCLXXXIV.

13683
9/7/91

ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

CHRISTIANO GOTTHELF

SACRI ROMANI IMPERII LIBERO BARONI

DE GVTSCHMID,

DOMINO ET DYNASTAE IN KLEIN-WOELMERSDORF

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE COMITI CONSISTORIANO

DEPVTATORVM AD RATIONES PVBLICAS DIRECTORI

REL.

PATRONO

SVMMO PIETATIS CVLTV AETERNVM
DEVENERANDO

HOCCE

RICCIANVM OPVS

PIE

D. D. D. D.

CLIENS ADDICTISSIMVS

EDITOR.

AD LECTOREM.

Quae ante hos annos quadraginta quatuor tribus diuiſae voluminibus primum prodiere Florentiae, Angeli Mariae Riccii diſſertationes Homericas operarum formis denuo nunc deſcribendas curauimus, ita quidem vt, reciſis ſuperuacuis illis quidem nihilque ad rem facientibus ſeptem orationibus, aliisque tum epiſto-

lis, tum laudationibus et narratione de graeco ſtudio, ſolas in Homerum commentationes, hoc vno volumine comprehenſas, retineremus. Quae quidem omnia cum neque rerum grauitate ſeſe, neque orationis elegantia et latinae dictionis puritate adeo commendarent, aliquam nos ab emtoribus Homericarum diſſertationum cupidis gratiam inituros putauimus, ſi, reſectis iis, in quibus nil quidquam a quoquam deſiderari, nedum diſpendii aliquid fieri cuipiam videretur, iuſtae magnitudi et molis libri et pretii conſuleremus.

Namque et hoc ipſum opus quaeſtionum Homericarum variarum rerum copia valde alienarum maximeque inutilium ita pertextum eſt, vt non raro taedium lectori naſcatur neceſſe ſit, per tantam nugarum farraginem ſeſe proripienti.

Quam-

Quamobrem de potioribus locis, ſcopum ſpectantibus, ſeligendis et hiſce quaeſtionibus in ſummam quamdam contrahendis cogitabamus. Verum haec ratio minus arridebat redemtori noſtro, qui verebatur, ne in graues doctorum hominum reprehenſiones incurreret, quibus integrum opus gratius fore atque acceptius opinabatur mutilo ac decurtato. Quem ſcrupulum cum ſibi eximi non pateretur, largiendum fuit, quod expetebat, eique obtemperandum.

Atque ob hanc eamdem cauſſam factum eſt, vt integrae diſſertationes XXI. XXV. XXXV. XLIV. LVIII. et LIX. quae nil quidquam ad Homerum vel explicandum, vel illuſtrandum conferunt, ſolius numeri ſeruandi cauſſa atque ordinis quaeſtionum, itidem recuſae hic legantur.

Quae in fronte alterius et tertii voluminis Florentinae editionis conſpiciuntur, quoniam neque tironibus, neque doctioribus commodi quidquam vel vtilitatis adferunt, praefationes de induſtria omiſimus, ſeruata tamen, quae primo volumini praefixa erat, qua codicum manuſcriptorum Homericorum indices continentur.

Purgauimus item etiam textum mendis operarum quamplurimis, quibus Florentina editio ſcatebat, habita praeterea interpunctionis ratione et melioris et accuratioris.

Indicem denique in gratiam tironum adiecimus tum rerum et verborum, quae in illis diſputationibus explicantur atque illuſtrantur, tum vero etiam graecarum vocum, quarum

vim

vim notionemque auctor paſſim expoſuit et enarrauit.

Atque initio quidem nobis conſtitutum erat, has Riccianas diſſertationes annotationibus noſtris ſubinde augere, vbi opus videbatur, emendare et tandem peculiari commentatione ad calcem libri addita de vocibus Homericis nonnulla diſſerere, quibus et Seberianus index et Erneſtinus ſuppleri poſſe videretur. Sed vrgente librario, qui multum cupiebat, vt ſub mercatum vernalem totum opus prelo abſolueretur, tempus non ſuppetebat ad talem tantumque laborem profligandum. Speramus tamen, aliquando iuuenum ſtudioſorum vſibus nos fore proſpecturos ſingulari libello conſcribendo, ad lectionem Homeri viam muniente; niſi, quod vehementer optamus, operam noſtram fruſtra-

neam fecerit Clariſſimus Schottus, vir doctiſſimus et politiſſimus, qui in praefatione ad elegantiſſimum libellum, ſuper ſtudio Homerico *) nuper in vulgus emiſſum, fidem dedit, ſe novas diſſertationes Homericas, a ſe iam inſtitutas, publici iuris facturum. Quo quidem labore ad colenda poliendaque iuuenum ingenia non parum collatum iri certo videmur perſuaſi.

Certe enim ad excitandum acuendumque pulcri ſenſum nil magis adoleſcentibus videtur prodeſſe, quam frequens ac diligens Homeri lectio; cuius quidem inſtituendae rationem ac viam a Riccio prorſus praetermiſſam videmus, dum vel nihil, vel parum profert, quod huc

ſpectet,

*) *Ueber das Studium des Homer. Leipzig bey Cruſius* 1783. *8vo.*

ſpectet, nec quidquam praecipit, quo pueri ad Homerum rite tractandum ducantur. Multis quidem laudibus euehit deſcriptionum ac tabularum Homericarum venuſtatem atque elegantiam: neque tamen cauſſas demonſtrat, quibus illa efficiatur, et quo fiat, vt ceteris poëtis omnibus palmam in iis Homerus praeripiat atque praecellat. In quo quidem poëtae artificio indagando inueſtigandoque felici vſus ingenio Leſſingius *) videtur, qui docet, omnem gratiam, quae in deſcriptionibus ineſt Homericis, poëtae contineri ſolertia proponendi res, non ortas iam et productas, ſed naſcentes et exorientes, quippe qua efficiatur, vt ipſa illa deſcriptio actione cerni videatur. Sic Iunonis currum depingit non confectum iam et fabrefactum, ſed Heben inducit

*) vid. *Laocoon, oder über die Grenzen der Malerey und Poeſie. Berlin* 1766. gros 8vo. pag. 161. *ſqq.*

inducit partibus partes aptantem atque hoc modo totum currum paulatim componentem. Quod ipſum quoque in clypeo Achillis *) licet animaduertere, quem non abſolutum a Vulcano atque perfectum, ſed ipſam eius fabricationem et compoſitionem deſcribit. In quo quidem Virgilius Homero longe inferior eſt, qui, actione carminis interrupta, deſcriptionem clypei Aeneae tamquam quoddam ἐπισώδιον inſerit, cui nec quae antecedunt, nec quae ſequuntur, apta haerent atque connexa.

Iam vero venuſtatis cauſſa omnis et gratiae, quam in ſermonibus Homericis tantopere miramur, ſumma illa ſimplicitate continetur, quae illi propria eſt ac peculiaris, atque in qua praecipua orationis dramaticae nota videtur inesse.

*) vid. *Laocoon neunzehnter Abſchnitt.*

eſſe. Cui quidem rei exemplo eſſe poteſt locus *lib. X. Iliad.* vbi duces e ſomno excitati inducuntur mirabundi et aegre ferentes, quod nocte media in quiete importune ſe ſentiant conturbatos, ſimulque poſitus geſtusque depinguntur plurimorum ex illis expergiſcentium.

Multus porro Riccius eſt in refellendis iniquis carminum Homericorum cenſoribus, quorum argumenta non modo adfert, ſed ita etiam diluit, vt omnem ceteris poëtae aduerſariis carpendi anſam praeſcidiſſe videatur. Neque tamen defuere hac noſtra aetate docti homines, qui in Homerum ſeſe gererent paullulum iniquiores. Quod quidem ſi ii tantum facerent, qui, alieni ab eruditione graeca atque literarum elegantiorum expertes, operam ſuam ſtudiumque in alias doctrinae partes, diuerſas ab illis maxime et ab-

horren-

horrentes, impenderunt, nemini mirum videretur. Sic Chriſtianum Thomaſium ſcimus non modo euidentiam principiorum mathematicorum omnem penitus ſuſtuliſſe, quippe in quorum diſciplinis ne fuit quidem initiatus, ſed tantum etiam Homero, quem non niſi ex ſola verſione Giphanii nouerat, detrahere conatus eſt, vt illum cum Ioanne Sachſio comparare non dubitaret *). Sed tum ſane dolendum eſt, ſi illud in viris videas accidere, qui in humaniore doctrina haud mediocrem famam ſibi peperere; in quibus nominatim Klotzium **) ponimus, qui Homerum propterea vituperat, quod in Iliade Vulcanum claudicantem fecerit pocula Diis miniſtrantem,

*) *in diſſertat. de contentione morum cum iure ſcripto* §. *XV.*

**) vid. *Chriſt. Adolph. Klotzii epiſtolae Homericae. Altenburgi ap. Richter.* 1764. 8vo. *cf. Allgemeine deutſche Bibliothec* 1. *Band.* 1. *Stück. pag.* 198. *ſqq.*

tem, et Therſitem item ſumma deformitate inſignem. In quo quidem vtroque egregie falli ſeſe vir doctiſſimus paſſus eſt. Tantum enim abeſt, vt propterea in vitio Homerus ſit, quod Therſitem fecerit deformiſſimum, vt potius eo nomine admirandus videatur magnique faciendus. Multum enim confert deformitatis illa deſcriptio ad deteſtandum auerſandumque hominem rebellem atque impium. Quod vero Vulcanum claudum inducit Diis pocula miniſtrantem, in eo quidem ſatis ſuperque videtur voluiſſe demonſtrare, quam alienus fuerit a ridicula iſta atque anili et ſuperſtitioſa paganorum religione.

Nec vero diutius lectorem morabimur. Hoc tantum monere liceat, hanc Ricciani operis deſcriptionem tamquam ſextum volumen Homeri Clarckiano Erneſtini, quem idem olim Georgius

biblio-

bibliopola redemit, accipi poſſe. Quod inſpectionem correctionemque attinet typographicorum ſpeciminum, omnem diligentiam ſedulo impendimus. Ceterum vt hanc qualemcumque operam noſtram humaniſſimi lectores aequi bonique iudicare velint, impenſe rogamus. Scr. Lipſiae d. 20. menſis Martii anno cIↃ IↃCCLXXXIV.

PRAE-

PRAEFATIO.

De his meis Homericis Diſputationibus vt aequum feras judicium, amice Lector, praemonendus es, ad meorum praecipue diſcipulorum vtilitatem me illas ſcripſiſſe, quibus multa latius explicanda, quae doctioribus fortaſſe ſint nota; niſi quod vel ipſis erudititiſſimis hominibus non fore injucundum arbitror, ea rurſus ſibi obſervanda proponi; cum praeſertim ad certa capita ferme redegerim, in eisque explanauerim praecipuas difficultates aduerſus Homerum facientes, et ab eius lectione multos retardantes, quas vel Homericae ſapientiae imperiti, vel maligni, inuidique cenſores ſaepius obtruſerunt. Quamquam vero longe plurimi Homerum commentati ſint, ſparſimque et intercife defenderint, nemo tamen huiusmodi diſputationes ſimul omnia colligentes, quales ego lucubraui, ad hoc tempus (quod ſciam) ſcripſerat. Quae ſane ad legendum magis alliciunt, quam longi, magnaque mole conſarcinati Commentarii, quos vix vnus, aut alter legit. Reliqua, quae in eis pertractantur, atque explicantur, inutile eſt praefari, quandoquidem prima, quae caeterarum veluti chorum ducit, omnia ſatis indicat et exponit. Neque vero reprehenſionem, ſed laudem mereri videntur ii, qui ab aliis tractata reſumunt, qua clarius, qua plenius, qua breuius, prout expedire iudicauerint, explicantes, eisque ſuum iudicium et ſuum ſcribendi ordinem adiungentes. Nam ex ipſis antiquis ſcriptoribus perpaucos legamus, neceſſe eſt, ſi quae tractata ſunt ab vno, nolimus aliter tractata legere apud alium: *Quod enim eſt* (inquit Tullius l. 1. de Fin. bon. et mal.) *a Chryſippo praetermiſſum in Stoicis? legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mneſarchum, Panaetium, multos alios, in primisque familiarem noſtrum Poſſidonium.*

 Quid

Quid Theophraſtus? mediocriterne delectat, cum tractat locos ab Ariſtotele tractatos? Quid Epicurei? num deſiſtunt de iisdem, de quibus et ab Epicuro ſcriptum eſt, et ab antiquis, ad arbitrium ſuum ſcribere? Quod ſi Graeci leguntur a Graecis iisdem de rebus alia ratione compoſitis, cur noſtri a noſtris non legantur? Quo Ciceronis loco nihil puto inueniri poſſe aptius ad me tuendum.

Ceterum illud etiam mihi propoſui, vt harum Diſſertationum lectione et qui Graeci ſcit, et qui neſcit, oblectari et iuuari poſſit, adeo vt Graecae linguae ignari tantam hinc Homericarum rerum cognitionem ſibi parent, quantam fruſtra aliunde expetant, et quam tum ad Latinas, tum ad quascumque literas profitendas multum ſibi prodeſſe ſentiant. Hac de cauſſa a Graeco textu afferendo mihi ſaepe de induſtria temperaui, ne viderer obruere eos, qui Graeca non intelligunt.

Quoties vero cum Homericis locis alia conſimilia confero, e diuinis literis petita, ſcias volo, eo id conſilio me feciſſe, quo fecerunt clariſſimi, et ſapientiſſimi viri, Huetius, et Calmetius. Et quamquam mentem hanc meam in ipſis ſaepe diſputationibus patefecerim, nihilominus etiam hic in anteceſſum manifeſtam fieri generatim volui pro omnibus locis, quae illam ferunt comparationem.

Vt autem doctrinae ſoliditate, et dictionis munditie (quantum tenuitati meae liceret) Opus hocce commendaretur, duorum doctiſſimorum hominum ſeueriori cenſurae, priusquam ederetur, ſubiici oportere iudicaui. Cum enim vtriusque ſacri Tribunalis Praeſides, quorum eſt inuigilare, ne quid aduerſus ſanctiſſimam Religionem, morumque probitatem promulganda volumina contineant, iudicium ferendum commiſerint Antonio Franciſco Gorio, publico Hiſtoriarum Profeſſori, et Thomae Moneliae, apud inclytam S. Marci Dominicanorum familiam Theologiae Lectori Primario, viris tum Graeca, tum multiplici eruditione celebratiſſimis, enixe illos rogaui, vt, ſi quid etiam in re literaria perperam dictum inuenirent, libere notarent, tollerent, corrigerent. Pro quo officio mihi diligentiſſime praeſtito gratias ipſis ago longe maxi-

maximas, et (quod poſſum in praeſentia) hoc publico accepti beneficii teſtimonio refero.

Neque vero committam, quin debitas perſoluam laudes immortali viro Scipioni Maffeio plane digniſſimo, qui omnium doctrinarum appelletur lux. Cum enim adoleſcens apud Antonium Mariam Saluinium τὸν πάνυ, cuius nominis gloriam nulla vmquam delebit obliuio, Graecis literis operam darem, et Iliadem explicarem, adfuit quodam die forte fortuna Maffeius, qui tam egregie de Vatis illius praeſtantia diſſeruit, tam bonis rationibus Homericum mihi ſtudium commendauit, vt ad illud alacriter proſequendum (quod in me ſapientiſſimus Praeceptor meus accenderat) ea maxime hortatione exardere viſus ſim, et iam tunc ab Homeri lectione numquam diuelli, in eius carmina intime peruadere, et ea aliquando interpretari, illuſtrare, et a criminationibus vindicare ſtatuerim. Quae cum praeſtiterim, doctiſſimo Viro hanc tribuendam duxi gratiam. Et quamquam ipſe huius gloriolae non indigeat, at certe mihi glorioſum eſt, me per hunc tantum Virum in Homerico ſtudio profeciſſe, fateri. Et quia Homerica pertractamus, non putamus abſonum, ſpeciminis Homericae Verſionis a Maffeio concinnati, et primo Volumine Obſeruat. Liter. in lucem editi, mentionem facere. In eo ſiquidem nobis viſus eſt multa cum laude partes boni, fidique interpretis implere, qui ſibi propoſuerit Italicis verſibus hendecaſyllabis ſine homoteleuto κατὰ πόδα nihil ab Homeri textu diuagari. Mihi ſane iucundiſſimum fuit rectum iudicium legere, quod in huius ſpeciminis prologo vir ſapientiſſimus de Homero tulit, illum appellando *ceterorum omnium Poëtarum Praeceptorem*, *primum totius Poëſeos fontem*, *et tot ſeculorum Oraculum*.

Multum item debeo Cl. Muratorio, tum grauioribus, tum politioribus doctrinis cumulatiſſime praedito. Ipſe enim octo abhinc annis humaniſſimas vltro ad me literas dedit, quibus me exſtimulabat, vt opus Homericarum Diſſertationum abſoluerem, et typis euulgarem; quod illud legerat a me promitti in Praefatione libelli, quem

titulo trium Fundamentorum verae Sapientiae vernacula lingua edidi. Etſi enim alii permulti mihi hortatores fuerunt, tamen adeo praecellentis in ſapientia Viri auctoritas longe magis ad me permouendum valuit.

Sed et celeberrimo Ioanni Lamio, plurimis literis exculto, gratias agere compellor longe maximas; qui cum a me adornari Homericarum Diſſertationum editionem audiſſet, auctor mihi fuit, vt Homericorum Codicum MSS. qui in Florentinis Bibliothecis aſſeruantur, Hiſtoriam attexerem. Hoc enim conſilium, quod mihi in mentem non venerat, optimum ſtatim ſenſi; tum quia huiuscemodi cognitionibus aetas noſtra mirifice delectatur, tum quia praeclarum eſt Vrbi noſtrae, ſi literariae Reipublicae innoteſcat, complures tam inſignis Vatis Codices ab ea poſſidere; cum praeſertim optime de Homero aliis quoque nominibus merita ſit. Nonne enim ex ea primum prodiit Homerus typis excuſus? Libet de hac re eruditiſſimi Fabricii teſtimonium afferre Bibl. Gr. l. 2. c. 3. n. 17. pag. 296. *Homeri Ilias, et Odyſſea vna cum Batrachomyomachia, et Hymnis Graece primum vulgata eſt (cum nullus ante liber magni momenti Graecis typis exſcriptus fuiſſet) recenſente ad MSS. Codices, et Euſtathii ineditos tunc Commentarios, emendationisque curam gerente Demetrio Chalcondyla Athenienſi, accedente dexteritate alterius Demetrii Cretenſis, typis, pro illo rei typographicae primordio, ſat luculentis, Florentiae A. 1488. in fol. cum praefatione Graeca Chalcondylae et Latina Bernardi Nerlii typographi ad Petrum Medicem Laurentii filium: praemiſſo Herodoto, ac Plutarcho de vita Homeri, et Dionis Chryſoſthomi Diſſertatione LIII.* Nonne Franciſcus Petrarca Homerum Latine reddi primus curauit? Id notaſſe Vignolium Maruillium in Miſcellaneis Gallice editis legi apud eundem Fabricium pag. eiusdem Vol. 297. Nonne Boccaccius, vt Homeri ſtudium in hac vrbe promoueretur, multum allaborauit? Id conſtat ex ipſius teſtimonio Geneal. Deorum l. 15. c. 7. pag. 113. ed. Ven. A. 1494. *Nonne ego fui, qui Leontium Pylatum a Venetiis occiduam Babylonem quaerentem a longa peregrinatione meis flexi*

flexi conſiliis, in patria tenui? Qui illum in propriam domum ſuſcepi, et diu hoſpitem habui, et maximo labore meo curaui, vt inter doctores Florentini ſtudii ſuſciperetur, ei ex publico mercede appoſita. Fui equidem ipſe inſuper, qui primus meis ſumptibus Homeri libros, et alios quosdam Graecos in Etruriam reuocaui, ex qua multis ante ſeculis abierant non redituri. Nec in Etruriam tantum, ſed in patriam reduxi. Ipſe ego fui, qui primus ex Latinis a Leontio Pylato in priuato Iliadem audiui. Ipſe inſuper fui, qui, vt legerentur publice libri Homeri, operatus ſum. Mitto Politianum, qui Homeri verſionem Latinis verſibus adornare in hac vrbe aggreſſus eſt. Quae verſio vtinam exſtaret! Profecto haberemus Graecum Vatem cum dignitate, atque elegantia Latine loquentem. Sileo Hieronymum Baccellium, qui Etruſcis verſibus totius Odyſſeae, et partis Iliadis verſionem ſcripſit. Taceo Antonium Mariam Saluinium, qui Homerica omnia Etruſcis et ipſe carminibus tranſtulit, eo conſilio, vt totidem paene verbis, iisdemque Graecis locutionibus, quantum fieri potuit, redderet. Maximo igitur in pretio habitum ſemper fuiſſe in noſtra Vrbe Homerum, tum allata argumenta luculenter oſtendunt, tum multi Codices, quos praeclariſſimi ciues magnis ſumptibus compararunt, et in patriae ſinum ad eam condecorandam magis quam gemmis, auroque contulerunt. Horum igitur iam accipe recenſionem, ſimulque aliorum quorumdam ad res Homericas pertinentium.

EX BIBLIOTHECA MEDICEA LAVRENTIANA.

Pluteo XXXI. Codex 5. Gr. chartaceus in 4. continet inter alia priores duos Iliadis libros cum gloſſis et ſcholiis interlinearibns. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Cod. 20. Gr. Chartaceus in 4to continet Batrachomyomachiam. Scriptus eſt Sec. XV.

Pluteo XXXII. Cod. 1. Gr. membranaceus in fol. continet 1. Batrachomyomachiam. 2. Iliadem cum perpetua paraphraſi interlineari Graeca, auctore Theodoro Gaza, a quo ſcriptus fuit hic codex Sec. XV.

Eodem Pluteo Codex 3. Gr. membranaceus in fol. continet 1. Iliadem cum ſcholiis ad marginem, et nonnullis gloſſis interlinearibus. 2. Batrachomyomachiam. Scriptus eſt Sec. XIV.

Eodem Pluteo Codex 4. Gr. membranaceus, ornatiſſimus in fol. continet 1. Vitam Homeri auctore Herodoto. 2. Vitam eiusdem Homeri auctore Plutarcho. 3. Orationem de Homero auctore Dione Chryſoſth. 4. Iliadem. 5. Odyſſeam. 6. Batrachomyomachiam. 7. Hymnos. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Cod. 5. Gr. chartaceus in fol. continet Homeri Iliadem cum ſcholiis, et gloſſis interlinearibus. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Cod. 6. Gr. membranaceus in fol. continet 1. Iliadem. 2. Odyſſeam. 3. Batrachomyomachiam. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Cod. 8. Gr. membranaceus in fol. continet Iliadem cum gloſſis et ſcholiis antiquis, optimae ſane notae. Scriptus eſt Sec. XIV.

Eodem Pluteo Cod. 10. Gr. membranaceus in fol. continet Iliadem. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Cod. 11. Gr. chartaceus in 4. maiore continet inter alia Iliadem cum ſcholiis, et gloſſis interlinearibus. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Cod. 12. Gr. chartaceus in 4. maiore, continet inter alia Odyſſeam. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Cod. 15. Gr. membranaceus in 4 min. continet Iliadem. Scriptus eſt Sec. XIII. et ſuppletus nonnullis in locis ſequenti Seculo.

Eodem Pluteo Cod. 18. Gr. membranaceus in 4. min. continet Iliadem cum epigrammate Antipatri Sidonii, et aliis verſibus in Homerum. Scriptus eſt an. MCCCCLII.

Eodem Pluteo Codex 22. Gr. chartaceus in fol. continet 1. Iliadem cum Praefatione et ſcholiis. 2. Batrachomyomachiam. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Codex 23. Gr. chartaceus in 4. min. continet Odyſſeam cum quibusdam expoſitionibus Fabularum in principio. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem

Eodem Pluteo Codex 24. Gr. membranaceus in 4. min. continet Odyſſeam cum ſcholiis, in fine mutilus. Scriptus eſt Sec. XIII.

Eodem Pluteo Codex 25. Gr. membranaceus in 4. continet octo priores libros Iliadis. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Codex 27. Gr. bombycinus in 4. continet Homeri Iliadem. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Codex 28. Gr. chartaceus in 4. continet duos priores libros Iliadis cum gloſſis interlinearibus, vita Poëtae, et aliis Prolegomenis. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Codex 30. Gr. chartaceus in 4. mai. continet Odyſſeam. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Codex 31. Gr. chartaceus in 4. continet Iliadem ab A. vsque ad Ξ cum gloſſis interlinearibus, et ſcholiis quibusdam, et periocha in fine verſu heroico. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Codex 38. Gr. chartaceus in 4. continet Iliadem cum argumentis, ſcholiis et gloſſis interlinearibus. Deeſt finis. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Codex 39. Gr. membranaceus in 8. continet Odyſſeam cum ſcholiis, et gloſſis interlinearibus in principio tantum. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Codex 47. Gr. membranaceus in 4. maiore continet Iliadem. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Codex 50. Gr. membranaceus in 8. continet inter alia Myobatrachomachiam. Scriptus eſt Sec. XV.

Pluteo XXXIV. Codex 45. Lat. chartaceus in 4. continet Odyſſeae Latinam verſionem interprete Anonymo. Scriptus eſt Sec. XV.

Eodem Pluteo Codex 53. Lat. membranaceus in 4. continet inter alia Batrachomyomachiam verſibus hexametris Latinis, interprete Carolo Arretino ad Marthaſium Siculum. Scriptus eſt Sec. XV.

Pluteo XXXVIII. Codex 25. Lat. chartaceus in 4. min. continet inter alia Vlyſſis Orationem ex Homero, proſa Latina cum argumento, et praefatione, auctore Anonymo. Scriptus eſt Sec. XV.

Pluteo LIX. Codex 2. Gr. membranaceus in fol. continet Commentar. Euſtathii in Iliadem ab A. ad I. cum annotationibus in margine. In fine addita eſt Batrachomyomachia alia manu. Scriptus eſt Sec. XIV.

Eodem Pluteo Codex 3. Gr. membranaceus in fol. continet Commentar. eiusdem Euſtathii in poſteriores libros 15. Iliados. Deſunt nonnulla in fine. Scriptus eſt eodem Seculo.

Pluteo LXVIII. Cod. 24. Lat. membranaceus in 8. oblongo, continet inter alia Iliadis lib. 23. abbreuiatos carmine heroico Latino, Auctore Anonymo. Scriptus eſt Sec. XIII.

Pluteo LXX. Codex 35. Gr. membranaceus in 4. continet inter alia Herodotum de Vita Homeri, et Homeri Hymnos vnum et triginta. Scriptus eſt Sec. XV.

Horum Codicum notitiam debeo erudidiſſimo Antonio Maria Biſcionio, in Graecis literis olim Saluinii diſcipulo, literarii laboris tolerantiſſimo, qui vtinam aliquando in lucem edat huius celeberrimae Bibliothecae Indicem, a ſe accuratiſſime adornatum; nam quem edidit Cl. Bernardus Montfauconius in Bibliotheca Bibliothecarum acceptum a Franciſco Maria Duccio, inter Saluinianos diſcipulos ſimiliter recenſendo, multis mendis ſcatet tum verborum, tum numerorum. Praeterea non dicitur in eo forma Codicum, nec quo ſeculo ſcripti ſunt.

E BIBLIOTHECA RICCARDIANA.

Pluteo K. 2. num. 10. Codex Gr. chartaceus in fol. ſcriptus Sec. XIV. continet Iliadem. Quod deeſt in principio, et in fine, ſuppletum eſt recentiori manu. Praecedit breuis Tractatus περὶ τρόπων ὀνοματοποιίας, *et Vita Homeri ex Plutarcho. Leguntur in fine ſingulorum librorum* ἀπορίαι, καὶ ἱστορίαι. Has excerpere et Latine conuerſas publici iuris facere meditatur Cl. Lamius, huius Bibliothecae Cuſtos, ὁ ἀδαμάντιος, quod ipſemet mihi indicauit, dum hos Codices humaniter oſtenderet.

Eodem Pluteo n. 11. Codex Gr. chartaceus in 4. Scriptus Sec. XVI. continet priorem Iliadis librum.

Eodem

Eodem Pluteo n. 13. Codex membranaceus in 4. Scriptus Sec. XV. continet Hymnos Homericos.

Eodem Pluteo n 14. Codex Gr. membranaceus in 4. Scriptus Sec. *XV. manu Ioannis Theſſali Scutariotae, continet Hymnos Homericos.*

Eodem Pluteo n. 19. Codex Gr. chartaceus, ſcriptus Sec. XVI. in fol. continet duos Iliadis libros, nonum videlicet et decimum.

Pluteo L. n 28. Codex Lat. chartaceus in 4. Scriptus Sec. XV. continet verſionem Batrachomyomachiae verſibus hexametris eleganter concinnatam per Carolum Arretinnm.

Eodem Plut. Codex Lat. chartaceus in 4. Scriptus Sec. XIV. continet primum Iliadis librum, verſibus hexametris minus lepidis conuerſum.

Pluteo O. 4. n. 42. Codex Ital. chartaceus in fol. continet Etruſcis verſibus conuerſos 24 libros Odyſſeae ab Hieronymo Baccellio, Patricio Florentino.

Eodem Plut. n. 43. Codex Ital. chartaceus in fol. continet conuerſos ab eodem Baccellio ſex priores Iliadis libros et partem ſeptimi iuſſu Magni Ducis Franciſci, vt docet epiſtola autogropha initio Codicis poſita ad eumdem M. D. a Baccio, auctoris fratre ſcripta 17. Kal. Febr. 1582. in qua narrat, morte praeuentum non potuiſſe illum reliquorum librorum verſionem abſoluere.

E BIBLIOTHECA MAGLIABECHIANA.

Codex chartaceus in fol. Scriptus Sec. XVI. continet Odyſſeae lib. primum cum Latina verſione interlineari et annotationibus quibusdam incerti Auctoris. Fuit Mariani Clauellonii Reatini.

Codex chartaceus in fol. Scriptus Sec. XVII. continet Batrachomyomachiae verſionem Italicam verſibus ſolutis ſcriptam a Ioanne Falgano, non tamen ad vmbilicum perductam.

Codex chartaceus in 4. continet nonnullas Pauli Stecchinii Etruſcas Diſſertationes in Homerum ad Sereniſſimum Principem Leopoldum ab Etruria.

Horum Codicum notitiam acceptam refero Ioanni Targionio, huius Bibliothecae ad publicam ſtudioſorum

vtilitatem propediem aperiendae Cuſtodi, Viro eruditiſſimo, egregie ἑλληνίζοντι, Botanices in Florentino Lyceo Prof. et amico meo candido.

E BIBLIOTHECA S. MARIAE DE FLORENTIA CONGREGATIONIS CASSINENSIS.

Num. 36. Codex Gr. membranaceus in fol. Scriptus Sec. 12. continet Iliadem cum argumentis, et in fine tractatum de allegoriis.

Num. 50 Codex Gr. membranaceus in fol. ſcriptus Sec. f. 13. continet Homeri Odyſſeam, et in fine XI. libri notanda ſunt quaedam monumenta.

Num. 64. Codex Gr. chartaceus in fol. ſcriptus Sec. 14. continet Iliadem.

Horum Codicum notitiam mecum communicauit D. Ioannes Baptiſta Rota Venetus, huius Bibliothecae Cuſtos, vir multa doctrina ornatus, Graecam eruditionem amans, mearumque Homericarum Diſſertationum in Florentino Lyceo humaniſſimus, ac perpetuus auditor.

Iam vero poſtquam gentem, ac patriam meam, vt par erat, laudaui, quod Homerum plurimi ſemper fecerit, nullaque controuerſia primum et maximum omnium poëtarum iudicauerit, iuſtiſſimum duco, Anglicae etiam nationi debitum conſimilis laudis teſtimonium perſoluere; quam accepi adeo fauere Homero, adeo eius poëmata in pretio habere, atque in deliciis, vt nemo fere ſtudioſorum ſit, qui illum in crumena minoribus typis impreſſum non geſtet, vt, dum licet, inceſſanter lectitet. Vt vero ſileam. quae ante actis aetatibus in Homerum ſcripſerunt tot doctiſſimi Auctores Angli, Iliadis certe Verſio ab inſigniſſimo noſtri temporis Vate Pope Anglicis verſibus cum homoteleuto elaborata, tam bene Homeri indolem exprimit, Anglicae linguae ſeruato lepore, vt eam omnes merito admirentur, atque exoſculentur. Nec minori digna eſt encomio Verſio Odyſſeae, ad quam perficiendam tum ipſe Pope, tum alii inſignes doctique Viri ſuam ſinguli conferentes ſymbolam amice conſpirarunt. Iam vero Obſeruationes in Homerum, quas Pope ad neſcio quem mul-

tis

tis ſiglis deſignatum ſcripſit, tam bonae ſunt, tam recte acuteque excogitatae, tamque mira breuiloquentia expoſitae, vt ex eis ſolis clare liqueat, qualis quantusque in doctrina Vir ille ſit. Quid de eius in eumdem Vatem Praefatione, qua nil melius, elegantius, preſſius, ſolidius, verius, vbi praeſertim Homerum cum Virgilio componit, multoque facit praecellentiorem? Quid de ſpecimine, quod de Homeri vita edidit? Quam bene varios ſcriptores, qui Homeri vitam narrarunt, ad certa genera, ſeu capita reuocat, in epitomen breuiat, acrique iudicio expendit! Quam ſolertiae et iudicii laudem illi etiam tribuimus, vbi Homeri Operum attexit hiſtoriam, ac de eius ſapientia diſſerit. Sed maxime omnium me tenuerunt, et iucundiſſima voluptate perfuderunt ea, quae de praeliis in Iliade deſcriptis obſeruauit, explanauitqne. Cum enim illorum praeliorum deſcriptiones duodecim ferme libros occupent, niſi miram eis Vates aſperſiſſet varietatem, ingenti ſane taedio legentem afficerent; huius igitur varietatis qui ſint in Homero fontes, quae ars, quae induſtria, ſubtiliter docet, omniaque feliciter enucleat, Qualis denique eſſet praeliandi mos antiquiſſimo Troiani belli tempore vſu receptus, probe animaduertit. Quod niſi attente conſideretur, ſaepe ſordere, aut deſipere videatur Homerus, neceſſe eſt, multa deſcribens, quae bellandi conſuetudini temporum conſecutorum minime congruunt. Cum autem auidiſſime, ac paene vno hauſtu haec omnia Gallice verſa legerem aureo libello Amſtelodami edito, quem ante paucos dies mihi commodauit quidam amicus meus, quod illi ſignificaſſem, me haec *προλεγόμενα* ſcribere, ſum vehementer laetatus, quod viderem, me paſſim eadem cum Cl. Pope in his ſcribendis Diſſertationibus de Homero ſenſiſſe. Itaque commendandus hic ſapiens vir, commendandi eius aſſeclae, omnesque ex Anglia ſtudioſi commendandi, qui totius poëſeos, ac doctrinae fontem communibus ſuffragiis Homerum iudicant, nocturnaque manu verſant, verſantque diurna. Equidem Gallos etiam ſummopere laudandos puto, quod Homeri ſtudium plurimum ament, ac libentiſſime amplectantur, vt ſatis oſten-

dunt

dunt praeclara multa Volumina de rebus Homericis, quibus literatorum rempublicam locupletarunt; inter quae Gallicam vtriusque Poëmatis verſionem nitidiſſimam, ab immortali femina Daceria concinnatam, adiectis cuiusdam reconditae eruditionis annotationibus, eminere puto. Sed dolemus florentiſſimae nationis doctos Viros per hoſce annos bifariam diuiſos, quorum vni Homeri carmina iudicant opus polymitum, pulcherrimas, ac nobiliſſimas rerum omnigenarum ſpecies belliſſime depictas, ac miro ordine coaptatas, atque diſpoſitas exhibens; alteri vero, vt vile, ac leuidenſe aliquod textum exiſtimant, et contemnunt; cum contra Anglorum, atque Italorum, maxime vero Florentinorum, nullum ferme de Homeri praeſtantia, ac principatu ſupra omnes alios poëtas diſſidium, ſed vnum et idem ſemper commune omnium conſtans iudicium. Nam vnus, aut alter, cui prae inſcitia aut ambitione inſolenter ſe efferenti multi non adhaeſerunt, vnanimem alicuius gentis conſenſionem minime videntur infringere.

Sed ne te diutius immodico praefandi ſtudio detineam, benigne Lector, illud poſtremum te rogo atque obſecro, vt, ſi quid boni in hoc meo opere, quod grauis certe, et diuturni laboris foetus eſt, dictum offenderis, gratias mecum agere velis vni Deo bonorum omnium largitori; Si qua vero perperam excogitata, aut minus eleganter prolata videantur, haec a me ipſo profecta mihi facile condonanda cenſeas, vtpote qui meam in re literaria exilitatem probe noui, vltroque fateor.

Vnum verbum de imagine Homeri, qua operis frontem condecoratam volui. Ex inedita antiqua Protoma ahenea Muſei Medicei aeri incidendam curaui. Ea vero cum nonnullis aliis in litore paruae inſulae Meloriae, prope Labronis portum, recedente mari, paucis abhinc annis reperta eſt. Raphaël Fabrettus in explicatione veteris tabellae anaglyphae Homericae Iliadis deſcribit in hoc Vate barbam breuem, ac cincinnis criſpatam, et frontem rugoſam, qualia haec Protoma, ſane pulcherrimo, egregioque opificio fabrefacta, mire exhibet. Florentiae pridie Non. Iun. CIↃIↃCCXXXX.

IN

IN HOMERVM
DISSERTATIO I.
QVAE VELVTI CETERARVM PROEMIVM EST.

SYNOPSIS

Ab Homero linguae Graecae ſtudium vtile eſt auſpicari. Magis res, quam verba, in hiſce Homericis Diſſertationibus explanabuntur. Homeri laudes apud Herodotum, Plutarchum, atque Iacobum Duportum videre eſt. Politiano plagii crimen obiectum. Homeri aetas, patria. An ante Homerum alii ſcriptores extiterint. De ſcriptis eius deperditis. Ambigitur, an Batrachomyomachia, atque Hymni ſint Homeri opus. De Iliade, atque Odyſſea nemo vmquam dubitauit. Sententia Ephororum in Clazomenios.

Ab Homero Linguae Graecae ſtudium incipiendum eſſe vel ipſis adoleſcentibus, ipſisque pueris, cum Fabio Quintiliano exiſtimamus. Quamquam enim ad intelligendas eius virtutes firmiori iudicio opus ſit, atque aetate magis adulta, interim tamen et ſublimitate heroici carminis animus aſſurgit, et ex magnitudine rerum ſpiritum ducit, et optimis imbuitur. Difficile dictu eſt, auditores, quantum habeat momenti, guſtum optimarum rerum protinus inſeuiſſe teneris animis; vt enim luculentiſſime teſtatur Horatius: (Lib. I. ep. 1.)

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
Teſta diu — — — —

Sicut enim vas nouum acceptum odorem, ſiue bonum, ſiue malum, diutiſſime ſeruat, ſic nouae puerorum, et adoleſcentium mentes, quibus imbuuntur rebus, eas tenaciſſime retinent; ita vt totius reliquae vitae exſpectatio ab educatione pueritiae pendeat; non ſecus ac ſpes meſſis poſita eſt in ſemente. Hoc igitur in cauſſa fuit, optimi adoleſ-

adoleſcentes, cur hactenus priuatim, et intra domeſticos parietes nobiliſſima, ſatisque numquam laudata, Homeri carmina maxima ex parte vobis explicauerimus; quemadmodum et deinceps, dum ad calcem perueniamus, explicare pergemus. Cum vero domi docentibus illud praecipue in animo propoſitum nobis ſit, vt Graecae linguae ſcientiam addiſcatis; id circo maxime omnium ſignificationes verborum expendimus, grammaticas leges tradimus, et in dictionis enodandae difficultatibus pene toti ſumus. Verum in hac publica ſapientiae luce, ac praeclariſſimo doctrinarum omnium Lyceo, vbi ipſummet Homerum vobis explanare ſtatuimus, moleſtis atque ſpinoſis grammaticis diſputationibus, quae loci dignitatem minime decent, procul amandatis atque reiectis, res ipſas potius, quam verba, ea, qua poterimus, ſermonis elegantia atque nitore, diſſerendo proſequemur, veſtrisque ingeniis multiplicis doctrinae pabulum non parum, vt confidimus, ſuaue atque iucundum, afferemus. Sed antequam id facere aggredior, opus eſſet, vt vobis tanti vatis, quem vt ingeniorum miraculum omnes aetates ſuſpexerunt, laudes attexerem, opus eſſet, vt eius nominis famam ſplendido atque magnifico orationis apparatu veſtris animis ingererem, multaque alia, quae ipſum ſpectant, vobis antea enarrarem. Cum vero oratione noſtra, qua ad Graeci ſermonis ſtudium vos impellebamus, non multis abhinc diebus habita, eius laudes nonnihil attigerimus, et priuatis etiam explanationibus domi peractis, quas modo memorabam, ab eius laudibus celebrandis numquam deſtiterimus, nouam de eo laudationem hodie inſtituere neceſſe haud quaquam habemus. Plenae iam ſunt aures veſtrae Homeri laudibus, eiusque nominis magnitudinem ſatis iam perſpectam habetis. Quodſi adhuc eius laudes audire exoptatis, Homerique celebratione veſter animus haud quaquam expletus eſt, ad Herodotum atque Plutarchum vos remitto, qui eius vitam diſertiſſime conſcripſerunt, atque ad Iacobum Duportum, qui, quidquid laudis ſapientes omnium ſeculorum viri in Homerum congeſſerunt, diligentiſſime conquiſiuit, atque in vnum collegit,

legit, ne forte, ſi ex hiſce ſumma capita delibarem, mihi probro verteret quispiam; quemadmodum olim Ianus Laſcaris, deinde vero Gulielmus Budaeus Politiano, hoc eodem munere in hac Vrbe fungenti, exprobrarunt, nempe, tamquam plagiarium, ab Herodoto, atque Plutarcho impudenter ſuffuratum eſſe, quidquid in Homeri laudem ſuis praelectionibus in medium attulit. Accedit, quod conſequentibus diſputationibus, et alias, nacti occaſiones, multiſariam Homeri laudes iterum iterumque pertractabimus. Cetera vero, quae ad illum pertinent, videlicet qua aetate floruerit, quam patriam habuerit, an ante illum alii ſcriptores extiterint, et quae ipſemet extra omnem controuerſiam ſcripſerit, ſatis eſto, ea omnia digito ſolummodo indicaſſe; properamus enim ad alia explananda, quae certe vobis plus vtilitatis afferent, atque voluptatis.

Quod ſpectat ad aetatem, vixiſſe perhibetur circa annum centeſimum ſexageſimum octauum poſt Troianum bellum, annoque ante expeditionem Xerxis ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo. De eius patria ſeptem vrbes litigant

Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenae.

Allatius, vt patriam ſuam condecoraret, audacter Chium fecit; fecit Chium etiam auctor Sibyllinorum (lib, 3.)

— — Χιὸν δὲ καλέσσει ἑαυτόν,

Septuaginta circiter ſcriptores ante Homerum floruiſſe memorantur; quos tamen validis innixi rationibus omnes eſſe ſuppoſititios arbitramur. Prima igitur ſcripta, quae poſt Moſis libros aeuum tulerunt, Homeri affirmamus fuiſſe poëmata, non quod nullum putem ante illum extitiſſe, qui ſapientiam pertractarit, et ligata, vel ſoluta oratione lucubrationem aliquam ediderit, ſed quod fortaſſe Homerus primus a Graecis habitus eſt dignus, cuius carmina ſcripto exciperent, poſteriſque legenda transmitterent. Itaque et Mercurii Trismegiſti libros, et Daretis Phrygii hiſtoriam de bello Troiano, et Orphei, Muſaei, Pythagorae, aliorumque carmina; carmina item Sibyl-

lina,

lina, a recentioribus conſecutarum aetatum hominibus confiсta, vtque famam atque exiſtimationem libris ſuis conciliarent, veterum illorum virorum nominibus inſcripta eſſe, non dubitamus. Iam vero ad ea, quae ſcripſit, eſt deueniendum. Neque hic diutius immorari vtile ducimus, ea recenſentes opera, quae Homerum ſcripſiſſe ferunt, deinde vero culpa temporis intercidiſſe. Cum enim minime compertum habeamus, an vere illa ſcripſerit Homerus, quin immo de ea re acrioris iudicii viri ambigant non pauci, et in aduerſam potius partem propendeant, quid in iis enarrandis atque excutiendis tempus perperam abſumamus? Quae vero ſuperſunt, ea ſunt Ilias, Odyſſea, Batrachomyomachia atque Hymni. Batrachomyomachiam, poëma ſcilicet ludicrum de bello ranarum et murium (*vid. Biblioth. Graec. Fabricii T. I. l. 1. c. 2. num. 1.*) alii fidentiſſime Homero tribuunt, alii fidentiſſime abnegant, eiusque Poëmatis Pigretem quemdam faciunt auctorem, vt praeſertim apud Plutarchum in extremo libro de malignitate Herodoti videre eſt. Hymnos pariter, vt duriuſculos, neque illam Homeri dictionem auream, ſuauiſſimamque prae ſe ferentes, libentiſſime ab Homero reiicerem, niſi Pauſaniae, Stephani Byzantii, Thucydidis ac Diodori Siculi auctoritas deterreret, qui Homeri partum eos agnoſcunt, putantque ab illis Orphicos Hymnos (ſi tamen Orphei ſunt, et non potius Onomacriti) non quidem religione, ſed elegantia ſuperari; crediderim tamen, ſi vere conſcripſit Homerus, eos admodum iuuenem, ſtilo adhuc rudi et impolito, conſcripſiſſe. At enim Iliadem atque Odyſſeam, in quibus auctor humani ingenii fines praetergreſſus eſſe videtur, quaeque vniverſae ſapientiae oceanum iure optimo appellaueris, ab Homero condita eſſe, nemo vmquam dubitauit. Ad haec igitur ſtudia noſtra laboresque conuertimus, haec vobis declarare proponimus, in iis differendo verſabimur. Quodſi rationem, quam in noſtris diſſertationibus adhibituri ſumus, praenoſcere cupitis, auditores, haec erit. Loca quaedam inſigniora ſeligemus, eaque eruditionis copia, quam ingenii noſtri tenuitas ſuppeditabit, illuſtrare

atque

atque exornare ſtudebimus; quae alicuius non vulgaris difficultatis nodo implexa ſunt, extricabimus; antiquorum morum cognitionem trademus, ſine qua aut frigere, aut ſordere multa apud Homerum imperitis videantur. Quanta ſit inter Homerum, diuinosque vtriusque teſtamenti libros conuenientia, planum faciemus, quantamque lucem ſacrae paginae Homero intelligendo afferant, quantamque viciſſim ſacris paginis Homerus, in quo rem gratam tum cunctis auditoribus me facturum confido, tum maxime ſacri ordinis adoleſcentibus, qui iam diu Graecis literis ſedulam, me praeceptore, nauant operam; ipſorum ſiquidem eſt, diuinos libros aſſidua lectione terere, vt deinceps, cum tempus poſtulauerit, ſacram doctrinam aliis valeant ediſſerere. Praeterea illud omittere absque piaculo non poſſe mihi videor, vt Homerum ab eorum criminationibus vindicem, qui, partim imperiti, partim ſtulti, partim contumelioſi atque ſuperbi, in eum ineptiſſime garrire, et, modo culpantes, modo irridentes, vt triobolarem vatem traducere auſi ſunt. Sane in eos nulla alia ferenda eſſet ſententia, quam quae ab Ephoris, nempe a Magiſtratu apud Lacaedemonios omnium ſapientiſſimo, olim lata eſt in quosdam Clazomenios iuuenes, qui, Spartam profecti, Ephoricam ſedem temerario ioco fuligine macularunt. Accipite dignam Ephoris ſententiam: *Liceat Clazomeniis indecore agere;* (Ael. II, 15); nos vero, paucis immutatis, dicere poſſemus: *Liceat imperitis Homeri obtrectatoribus male dicere.* Quid enim Homero officiant ſtultiſſimi latratus, atque inſanae criminationes? Nihil plane ſummam eius gloriam, atque in tuto poſitam nominis immortalitatem laedere poſſunt, aut obſcurare. Suam ipſorum inſcitiam, ſtultitiam, temeritatem ſolummodo obtrectatores iſti patefaciunt, ſeſeque ſapientium virorum riſui obiiciunt, atque ludibrio. Quid igitur, inquies, Homerus defenſione tua indigeat? Nulla profecto pro ſeipſo defenſione indigeat maior inuidia, maior culumniis, maior obtrectationibus Vates ille diuinus, ſiue potius vatum Deus. Verumtamen, vt apud adoleſcentes, ipſius carminum ſtudioſos, defendatur, maxi-

me opus eſſe arbitramur, auditores, ne forte per aetatem improuidi, hominum, qui tanta audacia improbarunt, auctoritate decipiantur, minorique in pretio habentes, minus alacriter ad eius ſtudium animum conferant. Haec autem, quae me ea, quam propoſui, ratione in Homerum diſſerentem praeſtiturum polliceor, nemo alius (quod ſciam) huiuscemodi lucubrationibus ſimul omnia hucusque praeſtitit. Quapropter argumentum, vt videtis, aggredior, quod rerum magnitudine, vtilitate, atque iucunditate, grata inſuper nouitate, omnes vos ad audiendum inuitet, alliciat, inflammet; meque, ſi, Deo optimo maximo annuente, rite exequi poſſim, non prorſus indignum munere, quod mihi eſt iniunctum, oſtendat.

DISSERTATIO II.

DE HOMERICA APVD VIRGILIVM ET TASSVM IMITATIONE.

SYNOPSIS.

Fons omnium poetarum Homerus. Prima Aeneidos pars Odyſſeam exhibet, altera Iliadem. Sinonem, et nauale certamen de ſuo confingere aliquibus viſus eſt Virgilius. Eius poëma non apographum, ſed archetypum dicendum. Linguae Latinae ingenio, ſuaeque aetatis moribus indulſit Maro. Scaliger, aliique nonnulli ſtulte Homerum prae Virgilio deſpicatui habent. Virgilius erga Homerum ingratus. Homeri modeſtia ſingularis. Complura loca, quae Taſſus accepit ab Homero. Parcior Homeri imitator Taſſus; Virgilius intemperantior. Taſſus reprehenſus, quod epiſodium omiſerit. Quae vtilitas proueniat ſtudioſis ex cognitione Homericae imitationis in poëtis maximis. Horatii praecepta de imitatione. Verſiones ibi non damnantur. Voluptatem etiam affert examen illud Homericae imitationis. Huius voluptatis expers, qui Graecae linguae eſt imperitus. Ad Graecum ſtudium hortamen. Explicatio vocis ſtanze, qua octoſticha poëmatis Etruſci nuncupantur.

Quamquam praecedenti ſermone Homericas laudes, ad alia properantes, ſingulatim percurrere non potuerimus, duas

duas tamen praeterire, antequam ad carminum explanationem deueniamus, nequaquam licere nobis, ſumus arbitrati. Prima eſt, quod optimi quique poetae ex eius imitatione profluxerint. Secunda, quod Homerus totius antiquitatis, omniumque doctrinarum ſit parens. Quarum vnam explicabimus hodie; alteram diſputatione, quae proxime ſubſequetur. Vtraque enim putamus ſtudioſos iuuenes in Homeri ſtudium vehementer accendi poſſe.

Caput igitur Homericarum laudum, quotquot vmquam excogitari poſſunt, maximarum illud eſſe arbitror, quod omnes magni nominis vates adeo in eius imitationem incubuerint, vt in animum ſibi inducere viſi ſint, ſe non poſſe celſum aliquem in poeſi gradum tenere, niſi ſe huiuscemodi imitationis ſtudioſiſſimos exhiberent. Neque ſua illos fallebat opinio: nam eorum poetarum carmina, qui ab Homeri imitatione longe abierunt, vel cum tineis luctantur, vel piperi, ſcombrisque deuouentur. Cum enim Homerus poſt homines natos ingenium ſine exemplo maximum ſingulari diuini numinis beneficio ſortitus fuerit, atque eo poëta talis extiterit, vt nemo vmquam illum ſuperauerit, ſed aliquis vix ad eum acceſſerit longo proximus interuallo: ſi quis in poëtica facultate non ſub eo praeceptore ſe exerceat, nihil boni, perfecti, ac laude digni in lucem edat, neceſſe eſt. Quam bene igitur, vereque pronunciauit Ouidius, Homerum eſſe illum:

— — — a quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Horatius vero plus laudis tribuendum Latinis vatibus cenſuit, ſi ſuas elucubrationes ex Homerico fonte potius deriuarent, quam ſi ipſimet omnino de ſuo nouas excogitarent:

— — — — — — tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam ſi proferres ignota, indictaque primus.

Quapropter non inepte Homerum Siciliae comparari poſſe arbitror. Sicut enim haec fertiliſſima regio eam

frumenti copiam ſemper produxit, quae non tantum proprios populos aleret, ſed exteris etiam, et praecipue populo Romano, alimenta largiter miniſtraret: ita vnus Homerus effuſiſſima ſapientiae vbertate non ſolum ſuis Graecis, ſed reliquis etiam vatibus, maxime vero Romanis, Italisque affatim alendis ſufficit. Quid de pictore Galatone, ſiue malis Palatone, vt putauit Caelius? Is enim teſte Aeliano (l. XIII. c. 22) (ſiquidem

— — — — *pictoribus, atque poëtis*
Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas)

vt oſtenderet, ex Homero ceteros vates ſiue fieri, ſiue ali, illum finxit euomentem, alios vero ea, quae ipſe euomuiſſet, haurientes. Volaterranus autem ex Aeliano, parum diligenter inſpecto, vt Ioannes Schefferus obſeruauit, meientem, non vomentem, Homerum facit. Etſi vero optimos quosque poetarum tum Latinorum, tum Etruſcorum, multa ex Homero plus minus excerpſiſſe, eiusque ſtudioſos imitatores extitiſſe liqueat; nihilominus duos tantum modo libet ſeligere in praeſenti diſputatione excutiendos; vnum de Latinis, de Etruſcis alterum, Virgilium nempe, atque Taſſum, videreque, quomodo, et quousque Homerum vterque imitatus ſit, vt hinc bonum fructum in diſputationis exitu pro veſtro in literis progreſſu colligere poſſitis, iuuenes ornatiſſimi. Hos vero duos tantummodo in medium affero, quia, ſi plures adducerem, in longius, quam par eſt, traheretur oratio, aequumque dicendi modum tranſiliret. Neque miremini, auditores, me maluiſſe ex Etruſcis Taſſum ſeligere, quam Arioſtum: nam quamuis mira rerum varietate amoenisque diuerticulis Arioſtus Homericam poëſin plus exhibuiſſe videatur, quam Taſſus; quaedam tamen accuratior, atque ſubtilior peculiarium rerum Homericarum imitatio apparet in Taſſo, quam in Arioſto.

Age vero, Virgilii Aeneidem primo loco obſeruemus. Anne, quaeſo, a capite ad calcem in illo admirabili poëmate, numquamque ſatis laudato, quidquam aliud, quam Homerum, Latinus vates expreſſit? Nam in priori

parte

parte Odyſſeam exhibuit; in altera Iliadem: in ea ſiquidem Aeneas variis agitur itineribus, erroribusque, vt Vlyſſes; in hac bella gerit, vt Achilles. Neque ſolum res, quibus poëma ſuum conflaret, ab Homero mutuatus eſt; ſed ſimilitudines paene omnes, et loca bene multa, vbi Latinus ſermo pateretur, αὐτολεξεῖ, verbo tenus reddidit, adeo, vt ſi cuncta Homerica ex Aeneide tollantur, vix aliqua pauca, Virgilii propria ſint remanſura. Duo ſane de ſuo penu exprompſiſſe, proprioque excogitata ingenio deſcripſiſſe Virgilium, crediderunt nonnulli, Sinonem, et nauale certamen. Nam talis hominis nota, qualem in Sinone exprimit, talisque oratio, qualem veterator ille vaferrimus ad Priamum habet, populumque Troianum, apud Homerum non legitur. Nihilominus euerſionem Troiae cum Sinone, equo ligneo, ceterisque omnibus, quae librum ſecundum faciunt, a Piſandro paene ad verbum tranſcripſiſſe Maronem, teſtatur Macrobius (*Saturn.* l. V, c. 2.) Nauale autem certamen, vbi Aeneam inducit, ad tumulum patris Anchiſae ludos in Sicilia celebrantem, addit ille Homericis ludis, quos Achilles celebrat in funere Patrocli. Vtrum vero alicunde etiam illud ſumſerit, ignoro. Fateor tamen, tam bene ac ſapienter in Homerica imitatione ſe geſſiſſe Virgilium, vt quamuis opus ex ſolis fermе Homericis compoſuerit, nihilominus non apographum adornaſſe, ſed archetypum nobiliſſimum edidiſſe videatur. Non enim putide Homerum imitatus eſt, ſed, qua erat, ingenii dexteritate probe conſiderauit, quid Latinae linguae indoles reformidaret, quidue libenter admitteret: neque id tantum, ſed et inſtituta ſui aeui ſedulo inſpexit, quae iam multum a moribus Homericorum temporum diſſidebant, iisque prudenter inſeruiit. Quae ſi obſeruaſſet Scaliger, non tam indignis modis Homerum peſſum dediſſet, neque paſſim Virgilium temere illi praetuliſſet. Nam quod illius ſententias ſaepe exornauit, omnibusque lenociniis emolliuit, non ideo Homero praeſtantior habendus eſt: nam ſicut ampliorem ornatum amat Latinus ſermo; ita natiuo quodam lepore, minimeque fucata ſimplicitate Graeca lingua gaudet. Quod

vtriusque linguae diſcrimen quia non viderunt Iulius Caeſar Scaliger, eiusque partes ſecuti, Ioannes Dunaeus, et Carolus Peraultus, aliique nonnulli, ſtultiuidos Plautino verbo appellare liceat. Sed Scaligerum, eiusque aſſeclas, peculiari diſputatione mox refutabimus. Summam itaque laudem meretur Homerus, quod poëſin epicam invenerit, et perfecerit, vt affirmat Nepos, eamque ad patrium ſermonem, moresque aetatis ſuae conſultiſſime accommodauerit. Summam ſimiliter laudem meretur Virgilius, poëtica facultate et ipſe inſigniſſimus, qui Latinorum primus tantum poëma auſus eſt meditari, Homericae imitationis exemplar abſolutiſſimum, vbi, quomodo quis poſſit Homericam ſapientiam in rem ſuam cum laude transferre, cumulatiſſime commonſtrauit. Hac animi praeparatione vterque legendus; neque arguendus Homerus, quod ab eo aliquando Virgilius deſciſcere viſus eſt: vterque enim diuerſo reſpectu optime poëſin ſuam inſtruxit. Quare vterque appellandus eſt maximus, etſi aliquid amplius Homero tribuendum eſt; quis enim patrem optimum optimo filio non putet praeferendum? Vnum ſane videtur peccaſſe Virgilius, quem Caſaubonus (*ad Strab.* l. XIV.) ingratiſſimum arguit, quod nusquam Homeri meminerit, cui nihil non debebat, cuius bono ſucco ac ſanguine creuerat, cuius opibus tam abunde ſe locupletarat: nam ſi nomen ſuum in fine Georgicorum appoſuit, nonne occaſionem quampiam arripere poterat, qua ſe gratum Homero exhiberet, eumque ſaltem de nomine commendaret? Atque hic notate obiter modeſtiam Homeri ſingularem, qui non modo ſe magnifice non praedicauit (quod permulti alii poëtae ambitioſe fecerunt) verum etiam nomen ſuum de induſtria occultaſſe videtur. Ceterum loca ſingula, quae ex Homero expreſſit Maro, quibusque ſuam Aeneidem conſtruxit, toto *libro quinto Saturnaliorum* collegit Macrobius, vbi diſerte contendit, omne opus Virgilianum de quodam Homerici operis ſpeculo formatum eſſe.

Sed iam ad Taſſum gradum faciamus, qui ſexennis perhibetur Latine ſciuiſſe, duodennis vero etiam Graece. Qua-

Quapropter facilis patuit illi via ad veterum poëtarum, ac praeſertim Homeri, imitationem. Profecto pulcherrimi illius poëmatis, cui titulum Hieroſolymam liberatam fecit, lectio, quam nuper ſucciſiuis horis animi gratia repetiuimus, in hanc me impulit diſputationem. Dum enim illud perlegerem, et idemtidem in complura loca inciderem, quae euidenter ex Homero Torquatus deſcripſit, incredibili voluptate perfundebar, mirabilem artem animaduertens, atque iudicium dexterrimum, quo ſapientiam Homericam imitatus eſt, ſuamque fecit, ſimulque dolebam, quod non cuncti ſtudioſi, ob linguae Graecae imperitiam, id ipſum perſentiſcere poſſent, paremque voluptatem experiri. Nonnulla inſigniora ex hiſce locis proferam, quae ex Homerico ditiſſimo penu Taſſus accepit, ad cuius ſimilitudinem plerasque perſonas certis quibusdam perpetuisque notis diſtinctas, quas Graeci dicunt χαρακτῆρας, ſolerter effinxit. Primum omnium conſiderandum vobis propono Godofridum, qui bellica virtute, animi prudentia, oris maieſtate, aliisque coloribus imaginem Agamemnonis, ſupremi atque inclyti Graecorum ducis, quam maxime repraeſentat. Neque vero, quod quaedam Agamemnonis vitia a ſuo Godefrido Taſſus repulerit, ab eo emendatum Homerum exiſtimate. Cum enim vterque diuerſum ſibi ſcopum praefixiſſet, eo, vt par erat, collineare debuit. Homerus ſiquidem, vt homines, quales ſunt, vbique depingeret, ſtuduit. Quis autem ignorat, ſummos ſaepe viros maximis virtutibus nonnulla vitia admiſcere? Taſſus vero in ſuo Godefrido docuit, qualis eſſe debeat imperator, qui chriſtiano exercitui praeſit, ad promouenda ſanctiſſimae religionis incrementa belligeranti. Quid de Rainaldo? Nonne ad Achillis typum magna ex parte videtis expreſſum; adoleſcentem et ipſum impigrum, acrem, iracundum, ſtrenuiſſimum, inuictum, iura ſibi negantem nata, nihil non armis arrogantem? Atque vt magis Homericae imitationi Taſſus indulgeret, facit illum ob inimicitias cum Godefrido ſuſceptas a caſtris, non ſine magno hoſtium emolumento, diſcedentem. Nam praeter alia damna, quae

 chri-

chriſtianus exercitus tunc accepit, illud eſt notatu dignum, quod Chlorinda, fortiſſima femina, animo plus quam virili ad ingentem illam turrim ligneam, validiſſimum ad hoſtium moenia diruenda inſtrumentum, fruſtra reluctantibus cuſtodibus, auſa eſt irrumpere, eique accenſas faces admouere; non ſecus atque Agamemnoni iratus Achilles abſcedit a praelio, Troianis interim Graecos in fugam vertentibus, nauesque ipſas exurentibus. Accedit ad haec, quod, quemadmodum, reuerſo ad bellum Achille, vires, animosque receperunt Graeci, ac paene reuixerunt; ita, redeunte Rainaldo, chriſtiana acies ad hoſtium caedem et victoriam exarſit. Sed etiam clypeus Rainaldi, licet res diuerſas gerat inſculptas, eodem tamen artificio deſcribitur, quo clypeum Achillis deſcripſit Homerus. Iam vero ſenex Raimundus ipſiſſimus eſt Neſtor, quare ſicuti Agamemnon decem optat Neſtoras, ita et Godefridus decem expetit Raimundos. Tancredius partim Diomedem, partim Aiacem Telamonium, fortiſſimos ambos refert; Vafrinus explorator Vlyſſem, Argantes Hectorem, alii alios. Neque ſolum Argantis prouocatio, qua ad ſingulare certamen chriſtianos heroas laceſſit, Homericam habet imitationem, ſed etiam leges, ritus et foedera, quibus illud ſuſcipitur. Quinimmo Oradinus, qui, a daemone ſub Clorindae imagine inſtigatus, telo in Raimundum cum Argante viritim decertantem emiſſo, foedifragus eſt, Pandarum exprimit, qui, pariter impulſus a Pallade, quae Laodoci Antenoridae formam ſumſerat, violatis foederibus, in Menelaum, cum Paride manus conſerentem, ſagittam eiaculatur. Angelus cuſtos, Raimundum in eo duello tutaturus, arma induit, e coeleſti armamentario accepta, ad eum plane modum, quo ſe inſtruit Pallas armis parentis Iouis, ſuppetias latura Diomedi. Locum de Erminia, quae regi Hieroſolymae, defloccato ſeni, duces chriſtianos e celſa turri digito commonſtrat, illinc deſumtum liquido conſtat, vbi Helena ſimiliter e turri Priamo, ſenectute confecto, Graecos duces, bene ſibi notos, oſtendit. Iupiter apud Homerum mittit Iridem, vt a bello Iunonem et Mineruam, a Graecis ſtantes, deterreat; apud

Taſ-

Taſſum vero Deus mittit Michaëlem, qui Tartareis ſpiritibus imperet, vt a bello diſcedant, et pro ethnicis facere deſiſtant. Mitto Armidam, in cuius feminae multiplici narratione multa loca Homerica de Helena, de Calypſone, de Circe, de Sirenibus, de hortis Alcinoi, de ceſto, ſiue baltheo Veneris, ſimul congeſſit, et ingenioſiſſime concinnauit. Mitto varias ac diuerſas hinc atque illinc in conflictibus factas caedes, ad Homericae poëſeos faciem a Torquato deſcriptas. Mitto plurimas ſimilitudines, figuras, ſententias, conciones, et ſexcenta id genus alia, Homerum paſſim redolentia, quae ſi expenderem ſingula, ad multas horas vos detinerem, auditores, nimisque patientia veſtra dicendo abuterer. Ea autem omnia in vnum libellum aliquando excerpere, atque ſub vnum conſpectum dare, ſi tempus ſuppetat, animus eſt: nam etſi multa in ſuis ad Taſſum ſcholiis Scipio Gentilius, et Iulius Guaſtavinus adnotarint, adhuc tamen plura ſuperſunt, quae ipſi omiſerunt. Videtis iam, optimi iuuenes, quam inſigniter ſtudioſi Homericae imitationis fuerint Virgilius atque Taſſus, quod vobis oſtendere propoſuimus, quantumque eorum poëmata Homerico, vt ita dicam, animata ſpiritu emicent. Parciorem tamen in ea imitatione conſtat fuiſſe Taſſum, intemperantiorem Virgilium. Hoc autem ex eo eueniſſe crediderim, quod Taſſus argumentum plane nouum pertractandum ſuſcepit; at Virgilius argumentum ſuum ex Homero penitus elicuit, aut potius eius poëmata continuauit, ſiue etiam recoxit. In eo reprehendendus pleriſque cenſorum viſus eſt Taſſus, quod inſtar Homeri epiſodium geſtarum rerum a chriſtianorum acie toto quinquennio ante Hieroſolymam expugnatam ſuo poëmati non aſſuerit, in qua parte meliorem quidem imitatorem ſe praeſtitit Virgilius.

Sed iam dudum ex me diſcere exſpectatis, quem tandem fructum haec imitationis Homericae cognitio atque obſeruatio vobis ſit paritura. Equidem fore puto, adoleſcentes, vt, ſi poſſitis per vos ipſos ea loca conſiderare, quae tum Virgilius, tum Taſſus, tum alii poëtae eximii ex Homero imitati ſunt, et quomodo imitati ſunt, perpen-

dere, facile diſcatis in eadem imitatione vosmetipſos exercere, laudemque et ipſi optimorum ſcriptorum adipiſci. Tunc enim probe videbitis, quam bene Horatii praecepta de imitatione ſint ab ipſis ad vſum reuocata, eorumque exemplo edocti ad conſimilia elaboranda imitamenta accingemini. Inquit enim Horatius in arte:

Publica materies priuati iuris erit, ſi
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem,
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres, nec deſilies imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.

Notandum tamen, dum ait Horatius, *Nec verbum verbo curabis reddere fidus interpres*, non interpretis partes ab eo damnari (quod falſo aliqui putarunt), ſi quis ex vna lingua in aliam transferre velit laudatiſſimos ſcriptores, ſed nimis ſeruilem interpretationem, quae ſaepius, quam par eſt, verba potius, quam ſententiam, inconcinne perſequitur. Ne ſolum multam vtilitatem examen illud vobis allaturum polliceor, ſed voluptatem quoque tantam, quantam ſane animo non concipitis. Quid enim dulcius atque iucundius ſtudioſo homini, quam αὐτοψία, ſuis ipſius oculis cognoſcere, qua ratione et arte, quae ſunt alterius, ſui fecerint iuris ii, qui primas obtinent, ſiue in Latina, ſiue in Etruſca poëſi? Fruſtra autem ſperet huius fieri compos vtilitatis atque voluptatis, qui Graecarum literarum ſit imperitus, ac proinde in Graeco fonte Homerum legere nequeat, cumque illo Virgilium et Taſſum aliosque maximos poëtas componere. Homerus namque, in alias linguas conuerſus, vtpote balbutiens, non valde allicit: quamobrem vel non legitur, vel in eius intimam cognitionem non peruaditur. Sane nullam non arripientes occaſionem, magnis ex hoc loco impulſibus vrgemus perſaepe ſtudioſam iuuentutem, vt Graecae linguae nauet operam, ſed parum promouemus. Panico enim, quem vocant, difficultatis terrore praepediti, vel ii, qui acutiori ingenio ſunt, non audent, ſe in hoc ſtudium dare; quem terrorem etſi bonis rationibus ex animis

mis adoleſcentium expellere toties conati ſumus, adhuc tamen noſtrorum iuuenum mentibus, neſcio quo malo Italorum fato, haeret; ex quo fit, vt, in hoc certe, a Transalpinis ſuperemur, adeoqne ab ipſis probroſe contemnamur, quod plerique Graecae linguae ſumus imperiti, cum apud eos vix ſtudioſum aliquem vnum reperire ſit, qui, ſi non plene, ſaltem mediocriter, Graeca lingua non ſit imbutus. Parcite, adoleſcentes, ſi eodem ſaepe reuoluor: neque enim id facio, quo frequentiam diſcipulorum mihi comparem; multum enim mihi taedii deuorandum, eamdem cramben repetenti, eadem ſcilicet Graecae linguae rudimenta ſexcenties (ac ſaepe nullo fructu) tradenti. Sed id circo hoc eodem hortamine vos frequenter exſtimulo, quod talem velim a vobis teneri in literis gradum, qui a vulgo vos ſecernat. Illum autem vos conſecuturos in caſſum ſperatis, niſi Graecarum literarum ſubſidium adſumatis. Cuius rei argumentum certiſſimum illud eſt, quod ii omnes, qui verae ſolidaeque ſapientiae conquirendae rationes tradiderunt, ad nihil frequentius prouocant, quam ad Graecum ſtudium. Homerumque, doctrinarum omnium, atque elegantiarum, nec non totius eloquentiae fontem beatiſſimum. Sed de hoc in praeſentia ſatis. Pro diſputationis coronide, in qua plura de Taſſi poëmate diſſeruimus, explicationem accipite vocis Etruſcae *Stanze;* ſic enim octoſticha nuncupantur, quibus poëma componitur. Facem mihi praetulit, vt eam eruerem, Graecus quidam eccleſiaſticus hymnus, qui οἶκος, id eſt *domus*, inſcribitur; quod ſcilicet in eo ſacra illa poëſis comprehendatur, ac veluti degat: Sic igitur et octoſticha Etruſca nuncupata eſſe cenſeo *Stanze*, quod in iis in quibusdam diſtinctis quaſi cubiculis poëtae ſententiae concludantur et habitent, ex quibus integrum poëmatis aedificium exſtruitur.

DISSER-

DISSERTATIO III.

DE HOMERO TOTIVS ANTIQVITATIS, OMNIVMQVE DOCTRINARVM PARENTE.

SYNOPSIS.

Antiquitas omnis in Homero reſidet. Antiquitatis ſtudium iucundum ſimul, et ad literaturam neceſſarium. Homerus non ſolum totius antiquitatis, ſed et omnium doctrinarum theſaurus; videlicet Poëtices, Rhetorices, Philoſophiae tum naturalis, tum moralis, Medicinae, Iurisprudentiae, vitae ciuilis, militaris, agricolaris, Theologiae, Geographiae, Aſtronomiae. Omnes omnis aeui ſcriptores Homerum ſummis laudibus extulerunt. Alcibiades colaphum impegit cuidam ludimagiſtro, qui Homero ſe carere dixit. Cohortatio ad adſiduam Homeri lectionem, et Graecae linguae ſtudium.

Non poterat quidem ſenem illum Alitherſen, celeberrimum antiqui temporis augurem, plenius atque exquiſitilis commendare noſter Homerus (*Odyſſ.* l. II.), quam peritum rerum antiquarum, aliarumque permultarum celebrando. Breuiculum ſane encomium, ſed magnae ſignificationis verbis expreſſum:

— — — *παλαιά τε, πολλά τε εἰδώς.*
Qui res antiquas animo multasque tenebat.

Liceatne encomio iſto, quo alterum extulit, ipſummet Homerum efferre, atque ſuis ipſius laudibus exornare? Qui enim res antiquas paene omnes, aliasque innumeras animo complexus ſit, literarumque monumentis tradiderit, is plane Homerus eſt. Quandoquidem igitur noſtrum fert inſtitutum, ornatiſſimi adoleſcentes, vt aliquem Homeri locum, quemadmodum pollicitus ſum, meis diſputationibus vobis plerumque adducam, et ad veſtram eruditionem dicendo illuſtrem, placuit hunc ipſum, quem modo attulimus, hodierni ſermonis argumentum facere, vt duas ſimul res vno opere exſequar, et meum ſcilicet inſtitutum teneam, et vos ad eius lectionem atque

ſtudium,

ſtudium, admota veluti face, inflammem; quod certe praeuiis hiſce diſputationibus congruere videtur, quod veluti fundamentum ceteris exſtruendis ſubſterno. Quamquam vero multis nominibus Homerum vobis laudauerim, numquam tamen eius laudes deeſſe poſſunt millies etiam hoc conanti. Ceterum laudem hanc, quam illi hodie tribuo, maxime omnium aliarum Homero peculiarem puto, quod vbi meam orationem acceperitis, vos ipſos ſcio fore vna mecum adfirmaturos. Adeſte igitur aequo animo, et perpurgatis auribus operam mihi dicenti date. Date mihi benignitate veſtra (Terentiano verbo vtar) creſcendi copiam, dum nouarum ipſe diſputationum copiam vobis paro.

Antiquiorem Homero ſcriptorem extitiſſe nullum, cuius ad nos ſcripta deuenerint, priore diſputatione docuimus, adeo, vt, ſi Moyſen excipias, paucosque alios, cum ipſo coniunctos, antiquiſſimus ſit ſcriptorum quorumcumque. Nam et Heſiodum (licet et ipſe antiquiſſimi temporis poëta fuerit) quinquaginta tamen annis, plus minus, poſt Homerum vixiſſe doctiores opinantur. Quare Salmaſio comtior et rotundior Homero viſus eſt; Homerus autem maiorem ſimplicitatem redolere. Pace doctiſſimi viri dixerim, magna in vtroque ſimplicitas, nec minor elegantia. Sed ad propoſitum redeamus. In Homero antiquitas omnis reſidet: ex eo diſcendum, qui Dii veterum Graecorum fuerint; quae Deorum fabulae antiquitus crederentur; quod Deorum ſingulorum officium; quae Deorum ſimulacra effinxerint antiqui; quae loca haberentur ſacra; qui ſacri Deorum miniſtri; quae luſtrationes, quae preces, quae vota, quae libamenta, ſuffitus, molae. In Homero victimas deſcriptas reperies, ſacrificandi ritum, donaria, cultum mortuorum heroum, atque adeo omnium inferorum, religionem funerandi, cadauerum combuſtionem ac ſepulturam, diuinationes, magicas artes. Si vero de imperii ſtatu priſcorum temporum, de regia poteſtate et officio, regum inſignibus, regiis miniſtris, concionibus, iudiciis, venditionibus, emtionibusque edoceri cupitis, ad Homerum vobis eſt confugien-

ſugiendum. Homerus vobis dux ad cognoſcendas veteres nuptiarum leges, ritus conuiuiorum, liberorum educationem, indumenta capitis, pedum, totiusque corporis; comae ornatum, lauationes, vnctiones, et hoſpitum excipiendorum ſacerrima iura. Antiquae vero Muſices, ſaltationis, muliebrium exercitiorum, venationis, ludorum nullus melior atque elegantior Homero enarrator. Quid de bello? Vnde plenius ac verius diſcas, quam ex Homero, quomodo inſtruerentur acies, quae viguerit apud veteres militaris diſciplina, quae fuerit materies ac forma armorum, quomodo vrbes obſidionibus vallarentur, equi alerentur, pugnae exercerentur, pax ac foedera firmarentur, naues compingerentur, ac regerentur? Neque te mendaciter falli ab eo credideris; nam etſi fabellas multas habeat de Diis (non quidem a ſe excogitatas, ſed a vulgo acceptas, verſibusque ſuis feſtiue deſcriptas atque exornatas, vt ſuo loco demonſtrabimus); in ceteris tamen plerisque fide digniſſimus habendus eſt: nam cum Moyſe optime congruit in moribus priſcorum illorum temporum exponendis, ita vt et intelligendis Moyſis libris valde vtilis ſit, ac paene neceſſarius Homerus, et Homero intelligendo diuinus Moyſis codex plurimum conferat. Et re-vera doctiores diuinarum paginarum interpretes, ac praeſertim erudítiſſimus Calmetius, paſſim ad Homerum provocant, virique iſti φιλαρχαῖοι, qui res antiquas rimantur atque perſcrutantur, ad Homerum omnes confugiunt, vt exinde, tamquam ex fonte, doctrinam hauriant, ad antiquitates quascumque explicandas idoneam; ad cuius rei veritatem confirmandam, ſatis eſt, huiuscemodi libros, de antiquis rebus pertractantes, vel negligenter euolvere. Quodſi antiquitatis ſtudium adeo delectat, vt ferme alia omnia ſuperet, quemadmodum doctiſſimus Spanhemius oſtendit; ſi adeo requiſitum, vt ſine eo literati nomen conſequi nemo poſſe videatur: nonne, validiſſima hac ratione fretus, ad Homerum legendum iure optimo vos exſtimulem, vt pabulo iucundiſſimo ſimul, et maxime ad eruditionem neceſſario vosmet ipſos enutriatis? Sed et alia non leuioris momenti ratio vos impellit,

ado-

adoleſcentes, vt Homero operam detis, quod nempe non ſolum totius antiquitais theſaurus eſt, ſed totius doctrinae, rerumque infinitarum ſemina, ac paene omnium apud illum habeantur. Eſt ſi quidem παλαιά τε, πολλά τε εἰδώς. Quamobrem cunctarum rerum apprime peritum bene vocauit Apuleius (*in Apolog.*). Nihil enim, ſi attente legas, in Homero deſideres. Quod namque ad poëſin attinet, poëta eſt ſine exemplo maximus, qui magnitudine operum, et fulgore carminum ſolus meruit appellari poëta, vtque Cicero in Topicis ait, propter excellentiam commune poëtarum nomen effecit ſuum. Quantum autem in ciuili facultate, quam Rhetoricen appellant, ſiue eloquentiam, excellat noſter poëta, non alio magis, quam Quinctiliani teſtimonio declaratum velim in decimo oratoriarum inſtitutionum libro, cuius haec verba ſunt: *Igitur vt Aratus ab Ioue incipiendum putat; nos ita rite coepturi ab Homero videmur; hic enim quemadmodum ex oceano dicit amnium vim, fontiumque curſus initium capere, omnibus eloquentiae partibus initium et ortum dedit. Hunc nemo in magnis rebus ſublimitate, in paruis proprietate ſuperauit; idem laetus ac depreſſus; iucundus et grauis; cum copia et breuitate mirabilis; nec poëtica modo, ſed oratoria virtute eminentiſſimus.* Hactenus Fabius. Quid dicam de Philoſophia, in qua nulla eſt ferme nobilior poſteriorum ſententia aut opinio celebrata, cuius non in poëta Homero originem agnoſcamus? Quod exemplis bene multis comprobauit Plutarchus in eius vita, et ex eo Politianus (*in praef. in Hom.*). Nec ſolum eam philoſophiae partem intelligo, quae de naturae rebus eſt, ſed illam etiam, quae ad mores pertinet, in qua adeo perfectus apparet, vt magnus ille Baſilius non dubitauerit, eius poëſin adpellare perpetuam virtutis commendationem; Horatius vero de eo dixerit (*l. 1. ep. 2.*) quod

— *quid ſit pulcrum, quid turpe, quid vtile, quid non?*
Plenius ac melius Chryſippo et Crantore dicit.

Neque vlla medicinae pars, cuius non hic auctor aliquando meminerit, facemque medicinae profeſſoribus, atque magi-

magiſtris praetulerit. Sed et legum latores omnes ex eo exempla petierunt, vt optimas leges conderent, praeſertim vero Lycurgus Spartanis, Solon Athenienſibus. Ciuilis, militaris, agricolaris vitae exempla pulcherrima, et ad humanae ſocietatis vtilitatem accommodata, clypeus ille Achillis a Vulcano ingenioſiſſime fabrefactus, et *tota caelatus imagine mundi*, vt cecinit Ouidius, tibi offert quam maxime. Iam de Theologia, quae apud Homerum eſt, multis catenatis diſputationibus aliquando diſſerere meditamur, et vbi ſordere, atque impius eſſe videtur extimo cortice tot fabularum, indigna atque turpia Diis adſingens ſacinora, non quidem ex ſua, ſed vulgi opinione, poëtam ſiue phyſicum, ſiue moralem ibi habendum eſſe demonſtrabimus, multa ſcilicet ſiue ad naturae opera, ſiue ad mores hominum ſpectantia ſub ſpecioſis illis Deorum fabulis docentem, alibi vero luculentiſſime theologum ſe praeſtitiſſe, ſiue ſub allegoriis, ſiue etiam aperte euidenterque de diuinitate ipſa, diuiniſque attributionibus cum dignitate diſſerentem; vbi multa ex diuina Hebraeorum doctrina in ſua carmina tranſtuliſſe vel coeco clarum fit. Quid plura? Doctrinae etiam, quam geographicam, et aſtronomicam appellant, peritiſſimum vbique ſe praebet, et vel de Americae incolis praeſenſiſſe non nihil aliquibus viſus eſt. Quid mirum igitur, ſi, cum talis tantusque Homerus ſit, ii, qui totum legendo bene olfecerunt, eum vel centies relegant, ac paene conterant? Quid mirum, ſi nullus ſcriptor eſt, qui ab omni aetate ſummas ei laudes non tribuerit? Quid mirum ſi Alcibiades ludimagiſtro illi colaphum impegerit, qui coram illo Homero carere dixerit? Quo facto id certe innuere voluit dux ille ſagaciſſimus, vix aliquid boni vel ſcire vel docere alios poſſe, qui Homerum non perlegat, manibusque ſemper euoluat. Nonne igitur, vt Graeca ſapientia vos imbuerem, optimi iuuenes, bono afflante numine, poëtam hunc ex hoc loco vobis explanandum ſuſcepi, numquam areſcentem, ſed ſelectiſſima omnigenaque doctrina ſemper florentem, qualem Lucretius ille, poëta et philoſophus longe maximus, carminibus ſuis concelebrauit?

brauit? Nonne; ſi vos ad eius ſtudium adſidue exſtimulem; bene ac ſapienter facio; cum per eum tantos in literis progreſſus facere poſſitis; tamque multam ſolidamque eruditionem vobis comparare? Mihi igitur auſcultate, vobisque in animum inducite; ornatiſſimi adoleſcentes, haud decorum facinus veſtris ingeniis facere; niſi Graecarum literarum ſtudium, Homerique lectionem adſiduam vobis; eruditionis cupidis; maxime neceſſariam exiſtimatis. Quapropter Graeco ſtudio adglutinaminor; Graecamque linguam omni conatu vobis expetendam exiſtimate. Seriam Graecis literis; ac maxime Homero, navate operam; ne teſſeram per ignauiam confringite; neue committite; vt ego miſer vos docendo imbrem in cribrum ingeram. Deſinite aliquando hunc ſocordiae praetexere colorem; videlicet ſtudii huiusce moroſitatem; Haec enim, vt saepius praedicauimus; tanta neutiquam eſt, quantam animo concipitis. At maxima eſto: nihilominus tanta Graecae linguae pulcritudine; dulcedine; nobilitate; opulentia illectis; vel decennalis labor pro ea comparanda libentiſſime vobis eſſet deuorandus. Cum Helenam, feminarum pulcherrimam, Troiani ſenes intuerentur; exclamabant obſtupeſcentes (*Iliad.* l. II.)

Οὐ νέμεσις Τρῶάς τε, καὶ ἐυκνήμιδες Ἀχαιὺς,
Τοιῇ δ' ὀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν:

Quos verſiculos ita ſumus interpretati:

Culpandi haud Troes; fortes et crura Pelasgi;
Femina ſi ciet ad longos tam pulcra labores.

Iam vero docui, adoleſcentes, venuſtatem incredibilem; opesque ſuas ampliſſimas in nullo melius auctore explicare; atque oſtentare Graecam linguam, quam in Homero. Eam igitur pertinaci ſtudio vobis adſciſcite; vt Homerum in ſuo fonte poſſitis deguſtare; eiusque coeleſtiſſimis carminibus absque vlla ſatietate expleri. Plato in Alcibiade imperitos ad Homeri lectionem accedere vetuit. Sinite, vt meo iure Platonis dictum interpreter. Imperitos ego dixerim non ſolum eruditionis expertes; vt reputat

tat Plato, ſed et eos maxime, qui Graece neſciunt, cum Graeci ſermonis cognitio legendo Homero neceſſaria omnino eſſe videatur. Nam, ſi quis ad Homerum in verſionibus aliarum linguarum legendum accedat, numquam poterit probe intelligere et, quanti eſt, digne aeſtimare; quare, vt ei frigeat ſordeatque, neceſſe erit. Lippis notum atque tonſoribus, quod de membrana illa paene ſupra fidem perhibetur, in qua ſubtiliſſime tota Ilias deſcripta erat, quam nucis teſta caperet. Siue fabuloſum id eſt, ſiue hiſtoricum, in vobis ipſis probe exſequi poteſtis, optimi iuuenes. Mirifica glandula illa, *pinealis* philoſophis dicta, in qua vim animi noſtri reſidere atque vigere Carteſius arbitratus eſt, nucis eius inſtar ſit, quae non ſolam Iliadem, ſed et Odyſſeam Graecae linguae ſtudio atque beneficio capiat; ſapientiam nempe, qua vtrumque poëma vberrime exundat. Quodſi faciatis, plane mecum deinde confitebimini, Homerum et totius antiquitatis, omniumque doctrinarum eſſe parentem, atque adeo optime in ipſum quadrare encomium illud, quod de ſuo penu illi iam vsque a diſputationis exordio attribuimus, quod ſcilicet fuerit παλαιά τε πολλά τε εἰδώς.

DISSERTATIO IV.

DE IVLII CAESARIS SCALIGERI IN HOMERVM CENSVRA.

SYNOPSIS.

Quam ſit Scaligeri iudicium audax et Homero iniurioſum. Scaligeri doctrina atque eruditio multis teſtimoniis comprobata. Nimium ſibi tribuebat. Contumeliae, quas in Eraſmum fudit, ingenuo viro prorſus indignae. Ex ambitione Homeri hoſtis eſſe voluit. Poëſeos Graecorum, ex filii teſtimonio, parum fuit peritus. Virgilius ab Homero in multis prudenter deſciuit, vt ſui temporis moribus, Latinaeque linguae ingenio ſe accommodaret. Quamuis doctis viris bene ſapit Virgilius, melius tamen ſapit Homerus. Quam inſolens in elegantiſſimos

mos atque maximos poëtas, etiam Latinos, Scaliger fuerit. Tres praecipue Homeri cenſores iniuſti. Qualis Critice commendanda, qualis reſpuenda.

Quo praeclarior de alicuius doctrina atque ingenio vulgo circumfertur opinio, eo plus eius iudicio deferre ſolemus, vbi ſententiam ſuam de aliorum ſcriptis libere profert. Quapropter nil equidem miror, ſi nonnullis Homeri exiſtimationem deminuerit Iulii Caeſaris Scaligeri doctrinae fama celeberrimi iudicium, quo eum Virgilio longe inferiorem audacter pronunciauit, et tantum non poëticum ſertum capiti eius detraxit. Quale enim iudicium, Dii boni! Homero iniquius, eiusque carminibus iniurioſius ferri vmquam potuit? Ait enim, tantum Virgilium Homero praeſtare, quantum mulierculae plebeiae nobilis praeſtat matrona, et, quidquid in Homero liberum eſt atque laxum, ſcite contrahi a Virgilio; quae enim a natura propoſita ſunt Homero argumenta, quaſi dictata diſcipulo, emendata eſſe a Virgilio, tamquam magiſtro; nullumque fere dicterium, cauillationem nullam miſſam facit, qua maximum poëtarum omnium patrem, regemque paſſim proſcindat, et fere deridendum propinet, quod plane in quinquaginta nouem columnis eiusce libri peragit, cui nomen Criticus, in quibus vtriusque vatis loca inter ſe comparat, vt Virgilium vbique praeferat, Homerum vbique peſſumdet. Quamobrem, ne Scaligeri auctoritas vobis imponat, et glaucoma ob oculos obiiciat, peculiari hac diſſertatione, quod tulit de Homero, iudicium apud vos expendere decreui, ornatiſſimi iuuenes, vt nimirum vobiscum reputetis, amplectendum ne illud vobis ſit, an potius reſpuendum. Neque vero exiſtimetis, me nimium mihi tribuere, qui tanti nominis virum, quanti plane Scaliger eſt, arguam atque refutem. Quandoquidem enim diſputationibus hiſce meis Homeri carmina vobis ediſſerenda, illuſtranda atque propugnanda, pro mei muneris inſtituto, ſuſcepi, neceſſitate paene compellor, vt magnum hoc offendiculum de medio tollam, ne forte

aliquis veſtrum ab Homeri lectione, ſtudio atque amore ſiue retardetur, ſiue repellatur.

Et primum quidem, vt cognoſcatis, me non eſſe iniquum doctrinae atque ingenii Iulii Caeſaris Scaligeri aeſtimatorem, fateor, virum fuiſſe tanto ingenio praeditum, tantaque doctrina, vt cum Voſſio (*Inſtit.* l. I. *cap.* 3.) naturae quaſi miraculum auſim adpellare, et, acutius, aut capacius ingenium inter homines vix fuiſſe ab illo ipſo Iuliano aeuo, cum Lipſio (*de recta pronunc. ling. Lat. c.* 7.) ſentiam; cum aliis vero ſtolidos eſſe putem, ac veruecum in patria natos, qui diuinum virum, Iulium Caeſarem Scaligerum, non admirentur. Quamuis enim iuuenilis aetatis partem in armis abſumſerit, ſeriusque literarum ſtudiis ſe dediderit; nihilominus tum ingenii praeſtantia, tum adſiduo labore id conſecutus eſt, vt, praeter philoſophiae et medicinae non vulgarem peritiam, quam ſibi parauit, in omnigena eruditione maximus fieret. Nihilominus notius eſt, quam vt verbis exponi indigeat, nimium ſibi tribuiſſe, vana ſui opinione facile inflari conſueſſe, nulli maximorum ſcriptorum peperciſſe, maledictorum ſuorum iaculis vel ſumma totius literariae reipublicae culmina impetere, glorioſum ſibi putaſſe, quod eruditorum plerisque probatur, improbaſſe, contraque, quod plerisque improbatur, probaſſe, ſe ſolum circumſpexiſſe, ceteros ſuperbiendo deſpexiſſe, ſe ſolum doctrinarum omnium atque elegantiarum arbitrum, coryphaeum, apicem quaſi conſtituiſſe, ſe ſolum videntem procaci faſtu iactitaſſe, ceteros autem omnes vel coecos, vel luſcitioſos habuiſſe, tamquam furioſum gladio, eruditione atque ingenio abuſum eſſe, ſusque deque omnia permiſcuiſſe, nihilque tam ſeculorum omnium iudicio comprobatum ipſi fuiſſe, quin, ſi praua lubido inceſſebat, vellicaret, derideret, contemneret, reprobaret. Habetis iam, optimi auditores, veris coloribus expreſſam Scaligeri imaginem atque indolem. Maximus itaque ingenio fuit Scaliger, maximus itidem arrogantia atque faſtu. Quas enim ſcripſit, literarias exercitationes non tam eruendae veritatis ſtudio protulit, quam vt effreni deſiderio ſuo ſatis-

faceret,

faceret, cum iis, quibuscum vellet, congrediendi, quos, vel antiquis temporibus, vel ſuis, literarum eruditionisque principes haberi cognouerat. Quamobrem de eo adfirmare non dubitamus; quod, dum ſe philoſophiae pallio continuit, recte et decentiſſime; cum vero imperatoris literarum paludamentum induit, futiliter et vane omnia fere locutus ſit. Quod vero non ex veritate, ſed ex turbulenta animi concitatione, rabie, ambitione qua ſe transverſum agi ſinebat, iudicium ferret, ſatis argumento eſſe poſſint contumeliae, quas in Eraſmum, virum opinione omnium longe doctiſſimum, intemperanter fudit, quae huiusmodi ſunt, vt vel leuiſſimos halecum venditores atque baiulos dedeceant, et rubore ſuffundant. Piget de docto viro haec dicere debuiſſe; ſed huc me neceſſitas quaedam adegit, vt planum vobis facerem, mirum non eſſe, quandoquidem ſui impotentem ambitio faciebat, ſi Homero hoſtis eſſe voluerit? putauit enim, maximam ſibi gloriae acceſſionem fore, ſi, quem ſecula omnia communi conſenſione demirata eſſent, ipſe impeteret, parui faceret, ſperneret, et, in quem ceteri omnes, tamquam in coeleſtiſſimum ſapientiae verticem inſpicerent, in eum ſagittas ſuas ipſe intorqueret, et vbilibet cenſoria virga fodicaret.

Equidem puto, ad eius refutandas criminationes id vnum ſatis eſſe poſſe, ſi videlicet animaduertatis, peſſimis ab eo modis vatem illum peſſumdari, quem omnium ſeculorum eruditiſſimi quique totius poëſeos ac ſapientiae principem vnanimi conſenſione venerati ſunt atque exoſculati; quandoquidem *nemo omnes*, vt aiebat Plinius, *omnes neminem feſellerunt.* Quapropter, ſi ſummam Homero laudem omnes nullo non tempore tribuerunt, quid eius apud vos, optimi iuuenes, exiſtimationi Scaliger detrahat vituperando, conuiciando, maledicendo? Filius eius Ioſephus, docto patre doctior, iniquam patris ſui in Homerum criminationem plane ſentiens, vt eum aliquatenus excuſaret, eo confugit, vt non ſatis peritum Graecorum poëſeos diceret (*Scaligeriana* 2). Si namque Iulius Caeſar poëſin Graecam probe intellexiſſe, eiusque

indolem atque ingenium adſecutus eſſe dicatur, pro eo, quod Homerum contemneret, maximis ad caelum vsque laudibus extuliſſet, et candidiſſimam Homericorum carminum ſimplicitatem cum nobiliſſima maieſtate coniunctam numquam demirari deſiuiſſet; quod ſi non feciſſet, malignitatis erat inſimulandus. Maluit itaque filius patris imperitiam, quam malignitatem, in medium adferre. Haud equidem infitior, Virgilium, Homeri perpetuum imitatorem, non paucis in locis a magiſtri exemplis deſciuiſſe; ſed hoc exigere ſui aeui mores viſi ſunt, ab Homerici aeui moribus longe diſcrepantes. Romanorum luxus Virgiliano tempore eo adſcenderat, vt ſupremum attigerit gradum, propterea quod Romae imperium, vt Liuii verbo vtar, magnitudine iam laboraret ſua. (l. l.). Quare etſi optime concinnauit poëſin ſuam Homerus, congruentem ſcilicet et Graeci Sermonis fluiditati, ſuique aeui moribus; prudenter tamen egit Virgilius, vt Romanis ſuis placeret, effuſiſſimae illi magnificentiae carmina ſua accommodando, linguaeque Latinae indoli obſequendo. Nihilominus probe intelligo, eos, qui nihil, aut leviter Graecae poëſeos venuſtatem nouerunt, niſi opportune admoneantur, facile Scaligerum fore decepturum in praedictis nouem et quinquaginta ſui Critici columnis, in quibus vtriusque loca conferens, Homeri ſcilicet atque Virgilii, vbique illum deprimit, hunc extollit, cum tamen peritis fucum facturus neutiquam ſit, quibus ſi bene ſapit Virgilius, multo adhuc melius ſapiet ſemper Homerus. Cauete igitur, optimi adoleſcentes, ne Scaligeri auctoritas vos ſeducat, neue eius dicteria in Homerum prolata, ab elegantiſſimi vatis lectione atque admiratione diuellant. Paſſim enim, vbi prae Virgilio Homerum floccipendit, exclamare ſolet indigne: *ridiculum eſt*, *fatuum eſt*, *Virgilianum non eſt*, *Graeculum eſt*, *Romanum non eſt*. Verum, o bone, quomodo, quae in Homero carpis, Graeca eſſe non poſſint, Romana eſſe poſſint? Quid v. g. Graecum vatem immodice reprehendis, quod Vlyſſem gloriantem facit ſeſe et ligna ſecare, et ignem accendere, et ſciſſoris optime fungi ſcire miniſterio, cum ea tempeſtate nihil

nihil huiuſmodi regibus eſſet indecorum, et haec, prout eſt vſus et conſuetudo, vel turpia, vel honeſta habeantur? Ante Romanos reges in regia fortuna nihil ſuperbum fuit, aut valde magnificum, adeo, vt reges coenam ſibi ipſis procurarent: qua de cauſſa in Iliade Achilles et Patroclus hoſpitibus miniſtrantes inducuntur, et in Odyſſea ad cyathos Menelai filius, Megapenthes, ſtatuitur; Nauſicaa vero Alcinoi, regis Phaeacum, filia, vt veſtes lauaret, ex vrbe cum ancillis ad flumen egreditur. Profecto non iuſta de cauſſa propter haec indignaris Homero. Quemadmodum ſi Moyſen ceterosque veteris foederis diuinos ſcriptores reiicias, quod praeſtantiſſimorum earum aetatum virorum ſimplices facilesque mores, quales tunc vigebant, aurea natiuaque dictione linguae ſuae et ipſi pariter enarrauerint, neque iis conſecutorum temporum perdidiſſimum luxum, qui nondum eruperat, adfinxerint. Antequam Graeculum circulatorem per ſummam iniuriam Homerum vocares, Virgilium vero regiae orationis auctorem, illud etiam ſolerter perpendere debuiſſes, multa eſſe, quae in Graeco ſermone elegantiſſime efferantur, quae, niſi aliter Latinus ſermo enunciet (quandoquidem Latinus ſermo Graeco auſterior eſt, aſperior atque perplexior), plane ſordeſcant, neque parum Latinas aures offendant. Suus cuique linguae lepos eſt, proprietas atque elegantia; quaeque vnius linguae veneres ſunt, in alia ſaepe merae ſordes habentur atque putamina.

Sed magis magisque Scaligeri petulantiam atque incredibilem audaciam agnoſcere eſt, auditores, in altero libro, quem Hypercriticum inſcripſit, vbi primi ordinis auctores Latinos, quorum fama in tuto reſidere videbatur, tamquam magiſter diſcipulos, caſtigare atque emendare, temere auſus eſt. Nonne enim pro multis Ouidii, vt ipſe blaterat, non bonis proponit ſua meliora et ſcitiora, et tamquam maletornatos eius verſus incudi reddit ſuae? De Catullo vero haec habet: *Catullo docti nomen quare ſit ab antiquis attributum, neque apud alios comperi, neque dum in mentem venit mihi: nihil enim non vulgare eſt in eius libris; eiusdem autem ſyllabae cum durae ſunt, tum ipſe*

 non

non raro durus. Multa in eo languida, quorum miſeret, multa coacta, quorum piget. Quid de Horatio? Nonne artem ipſius, ad Piſones ſcriptam, contemtim deprimere ac nullo paene loco habere non erubuit? artem, inquam, illam, opus plane diuiniſſimum, nec ſine Muſarum adflatu elucubratum, quam dum ſcriberet (quod de Ariſtotele, librum de interpretatione ſcribente, Suidas dixit) non in atramento, ſed in mente calamum tinxiſſe viſus eſt; quare omnium admiratione digniſſima ſemper fuit, neque vnquam ſatis eruditorum laudibus celebrata. Scaliger autem eam vocat *artem traditam ſine arte:* deinde vero, cum ex ordine eius praecepta enumeraſſet, ſubiungit: *ſi praeceptores noſtri nos illam olim ad hunc modum partiti eſſent, eius ſane facies nota nobis fuiſſet, et aliunde petendum eſſe auxilium intelligeremus; tunc autem admiranda erat ſimplicitati noſtrae.* Et quoniam ſupra aliorum iudicium adſurgere, illoque reiecto, acutius ſuum atque ſagacius proponere pro more habuit, quemadmodum Horatium, Catullum, Ouidium maximo in honore a ceteris doctis habitos, in multis deprimit (nam, qua erat calliditate, interdum etiam commendat et probat, ne videatur ex animi arrogantia, ſed ex veritate, iudicium ferre); ita Claudianum, quem non adeo demirantur docti, pleniori ore celebrat et exornat. *Maximus*, inquit, *poëta Claudianus, ſolo argumento ignobiliore oppreſſus, addit ex ingenio, quantum deeſt materiae. Felix in eo calor, cultus non inuiſus, temperatum iudicium, dictio candida, numeri non adfectati, acute dicta multa, ſine ambitione.* Quid amplius de Virgilio ſuo dicere potuiſſet homo, Virgilio addictiſſimus? Contra cum alios accepiſſet Lucanum paene parem Virgilio facere, in eos inuehitur, et in ipſum Lucanum, quem interdum, ait, potius latrare, quam canere. *De Statio ſimiliter doctiores ita iudicant,* inquit, *meliores eſſe Syluas, Thebaide atque Achilleide; at ego contra ſentio.* Cumque talem, vt accepiſtis, in auctorum cenſura ſe praebeat, vult tamen a gloriae cupiditate haberi alienus, et extra ambitionis culpam poni; ſuum veritatis ſtudium paſſim legentibus obtrudit, multoque opere ſuadet.

det. Sed nugas agit; flagrantiſſima cupiditas atque ambitio, qua perpruriſcebat, vsque ex vnguiculis (Plautino verbo dicere libet), emunctiorem narem ſuam oſtendanti ipſamet palam ſe facit, et imprudenti excidit, vt mala quem tuſſis vrget, quantumlibet exſtimulantem pruriginem laboret opprimere, numquam facit, quin ſe prodat, et identidem perſtrepat. Quomodo enim inanis ſit gloriae contemtor, qui frequenter adeo thraſonice loquatur, vt glorioſus Plauti miles vix ſe praedicet arrogantius? Nonne certiſſimum arrogantiae indicium offert, dum in aris, quas Virgilio excitat in fine Hypercritici, ſeſe, putide ait, non egere hac gloriola, ingenium ſcilicet ſuum in maximorum ſcriptorum cenſura venditandi, dum ſatis ſibi laudis parauerit philoſophicis operibus, quae in lucem edidit?

Tres praecipuos, maximeque furioſos reprehenſores Homeri fuiſſe comperio, quorum criminationes ſingulas ſubinde ſuis locis refutabimus, ſicut et aliorum humilioris ſubſellii: Zoilum antiquis temporibus, canem rhetoricum Aeliano dictum; Scaligerum, duobus abhinc ſeculis, et Mottam, e Gallia, noſtro aeuo. Poſtremum tamen hunc aliqua dignum excuſatione exiſtimem, quod Graeci ſermonis prorſus ignarus ad Homeri lectionem, in aliam linguam non rite conuerſi, acceſſerit; duos vero priores, qui Graece ſciebant, inſana quaedam gloriae cupiditas ad iniuſtam tanti vatis criminationem ſtulte impulit. Quapropter iterum moneo vos, optimi iuuenes, qui per aetatem incauti eſtis, vt ſuperbos cenſores huiusmodi deuitetis, neue eorum fraudibus vos implicari ſinatis. Mala haec, ſcripta quaelibet exagitandi, et auctoribus vel praecellentiſſimis oblatrandi cupide atque cacoëthes ad vanam quamdam acrioris ingenii oſtentationem, corrumpit animum, deprauat iudicium, veritatem profligat, nec tamen reprehenſis officit, ſed reprehenſores ipſos traducit. Critices quidem artem, ſi modeſtiae cancellis circumſcribatur, neceſſariam quidem in literis adfirmamus; eas ſi quidem promouet, auget, excolit. Si vero petulantiam atque impudentiam ſiue duces, ſiue comites habeat (qua-

lis Scaligeriana Homeri cenſura) furioſa eſt, vana eſt, perdita eſt, literas perturbat, bonam mentem euertit, facitque, vt eius ſectatores (dicam Terentiano verbo) intelligendo nihil intelligant.

DISSERTATIO V.

DE PLATONE HOMERVM E REPVBLICA DIMITTENTE.

SYNOPSIS.

Homeri exiſtimatio laedi videtur, quod a Platone reprehendatur. Amicus Plato, ſed magis amica veritas. Quam abunde libros ſuos Homericis verſibus locupletauerit. Homerum damnat, quod, de Diis ſermonem habens, fabuloſas allegorias vſurpet. Ipſemet Plato allegoriis abundat. Sanctius de diuinitate in reipublicae libris diſſeruit. Illorum librorum maculae atque naeui. Alibi de Diis vulgo acceptas opiniones complectitur. Plato aeque atque Homerus modo decore, modo indecore de Diis diſputat. Sanae religionis principia bona apud vtrumque. Inique a Platone Homerus reprehenſus, quod adſpectabiles formas Diis adfinxerit. Alius Platonis error, qui Homerum arguit, quod ſacrificiis flecti Deos, dixerit. Refellitur item Plato, vbi Homerum culpat, quod Scamandrum inducit, opem a Xantho petentem aduerſus Achillem. Suſpicio eſt, Platonem erga Homerum inuidia laboraſſe. Multa poëtice ſcripſit. Stilus eius poëticus etiam in oratione ſoluta. Dictionem et doctrinam Homeri vbique ſapit. Cicero, exſtimulante inuidia, Graecae linguae detraxit. In bonorum etiam animos inuidia ſe latenter inſinuat.

Platonem ſaepe mirari ſoleo, auditores, quod in libris de republica Homerum improbauerit, ex eaque dimiſerit, quamuis honoris ergo vnguentis delibutum, laneaque corona redimitum. Quapropter eiuſce rei ad trutinam expendendae cupido me frequenter inceſſit, videndique, num Plato iuſtam Homeri accuſandi cauſſam habuerit,

buerit, quaeue res in eius cenſuram illum impulerit. Sentiebam enim, auctoritatem tanti viri non parum Homeri exiſtimationi detrahere. Quis enim non videt, florentiſſimi vatis gloriam non leuiter infringi, quod Platonem habuerit reprehenſorem? Iam vero valde opportune hic ſe mihi offert occaſio huncnodum extricandi, Homerumque aduerſus Platonem tuendi. Poſtquam enim Scaligerum refutauimus, eiusque cenſuram expunximus, ne forte auctoritate ſui nominis iuuenibus, Homeri ſapientia initiandis, obeſſet, opus eſſe animaduertimus, vt et Platonis reprehenſionem refellamus. Cuius tamen reprehenſio cum ſit longe modeſtior, et ab omni conuicio aliena, non putauimus, Platonem inter alios cenſores arrogantes atque contumelioſos ſuperiori ſermone referendum. Ignoſcant, quaeſo, mihi Platonis manes, ſi eius in Homerum crimina diluo, et ab eo hac in parte diſcrepare, inque illum, veluti pygmaeorum minimus aduerſus gigantum celſiſſimum, inſurgere videor. Etſi enim ſapientiam ipſius longe maximam, humanique ingenii fines prope ſupergreſſam, vehementer colam, exoſculer, diligam, eamque e diuinis, quos ſcriptos reliquit, libris toto pectore haurire ſtudeam, vt egentiſſimam paupertatem meam ditem, magis tamen veritatem veneror et amplector. Quemadmodum enim ipſe Plato teſtatus eſt, ſe, quamuis maximo erga Homerum adficeretur amore, adhuc tamen maiore amore erga veritatem adfici; ita nos, eius exemplum ſecuti, quamuis impenſe Platoni ſtudeamus, tamen impenſius, quam Platoni, ſtudemus veritati.

Et ſane, auditores, cui non videatur abſonum atque abſurdum, Platonem illum, qui nullo non loco ſuorum operum tanti facere viſus eſt Homerum, eiusque auctoritate praecepta ſua non exornare tantum, ſed et fulcire, gemmisque veluti pretioſiſſimis Homeri verſibus, concinne pro re et loco vſurpatis, libros ſuos locupletare, in reipublicae deinde libris ab eo repente deſciuiſſe, tamquam moribus noxium damnaſſe, alioque ablegaſſe? In duobus tantummodo dialogis, ceterorum fortaſſe breuiſſimis, quorum

rum vnus inſcribitur Ion, alter Gorgias, quinque et quinquaginta verſus ex Homero citaſſe compertum eſt. Quare ex hac ſcriptorum eius particula cetera quaeque, tamquam ex vngue leonem, iudicate, auditores. Quantum vero ponderis obtineat neſcio ratio illa, qua ſe tueri ſtudet, vbi illum damnat, quod ſcilicet paſſim allegorias vſurpet, cum de Diis maxime ſermonem habet, quae iuuenum animos corrumpant, et ad praue cogitandum, neque ad nudam veritatem expiſcandam condocefaciant, quandoquidem ipſemet allegoriis adeo redundet, fictisque imaginibus, quarum ornamento atque lepore audientium auribus lenocinari voluiſſe conuincitur non minus certe, quam Homerum ſe ipſum euoluentibus placere ſtuduerit. Quot enim habet ſummus ille intelligendi auctor, quorum ſenſus allegoria inuoluitur et occultatur? Nonne merae allegoriae ſunt (vt nonnullas ſaltem indicem, prolixum enim eſſet, indicare omnes) antrum illud nobile, quod ab egregio philoſopho deſcribitur in Phaedro, curruſque alatus animorum, equique gemini, quorum alter melior, alter deterior, alter pareat aurigae, reluctetur alter: ortus Amoris in Conuiuio ex Inopia, Deoque Copiae: et in eodem fabula, quam narrantem inducit Ariſtophanem, vbi tradit, homines fuiſſe rotundos, et quatuor manibus pedibusque inſtructos fuiſſe; ſed, hi cum inſolentius ſe gererent, ab Ioue in binas partes diſſectum, atque ita factum eſſe bipes hominum genus? Equidem fateor, Platonem in reipublicae libris ſanctius de diuinitate diſputaſſe (in quibus tamen non leuiter inſanire illum arbitrantur plerique, vbi vxorum communionem probat, corporum nuditatem, mulierumque in adminiſtranda republica, bellique gerendi cum hominibus ſocietatem; qui maxime Ioanni Serrano illorum librorum turpes naeui, inſignesque maculae viſi ſunt: illic enim ſimilem, ait, ſe praebuiſſe ſobrio viro, qui acuto aliquo morbo laboret, eiusque mentis acies aeſtuante febri perturbetur), fateor, inquam, philoſophum illum in reipublicae libris ſanctius de diuinitate diſputaſſe: at vero alibi vulgo acceptas de Diis opiniones, ſtultas illas atque ridiculas, paſſim amplecti-

plectitur, propriis eos nominibus compellando, eaque ipſis attribuendo, quae falſa vulgi religio attribuebat. Quapropter, ſi quis contendat, aeque atque Platonem de diuinitate locutum eſſe Homerum, hoc eſt, modo decore, modo indecore, fereque in idem conueniſſe ambos, non aberrabit a vero. Cum autem inanes de Diis opiniones adhibuerunt, non alia profecto de cauſſa ſibi eas narrandas propoſuiſſe putandi ſunt, quam vt vulgi rationem haberent. Si enim placere vulgo Homerus ſtuduit, non parum quoque Plato in id ſtudium incubuiſſe deprehenditur, praetereaque ſibi cauiſſe, ne aduerſam Socratis, magiſtri ſui, ſortem incurreret. In Eutyphrone ſiquidem docet, Socratem eſſe ab aduerſariis in cauſſam crimenque vocatum, quod humanas cupiditates in Deum cadere conſtantiſſime pernegaret. Praeſto igitur cum in Platone, tum in Homero, ſanae religionis bona principia ſunt. Ambos enim conſtat vnum Deum ſecreto mentis iudicio credidiſſe, digneque de illo, quantum humanae menti, ſolo naturae lumine colluſtratae, licet, ſenſiſſe; ſed ambos pariter prauis opinionibus, quae de Diis apud homines obtinebant, vt vulgi ſuperſtitioni ſeruirent, addictos ſeipſos atque deuotos oſtendiſſe; neque tamen, vt theologos, ſed vt Graecos, ſcriptis ſuis fabulas immiſcuiſſe: non enim eam, quam corde crederent, ſed quam foris profiteri cogerentur, religionem tunc pertractaſſe. Quis autem infitietur, inique a Platone Homerum eſſe reprehenſum, quod Diis adſpectabiles formas adfinxerit? Nequaquam turpe eſſe Deo exiſtimandum eſt, hominis formam adſumere, quem ad imaginem ſuam effictum, ſuaque ſimilitudine inſignitum voluit. Ariſtoteles quidem, quamquam aliquando minus, quam eius magiſter, Plato, ad intelligendum perſpicax et acutus, nihilominus ab Homero edoctus melius, quam ille, agnoſcit atque fatetur, diuinum non dedecere numen, vt hominum mentes ab erroribus, quibus implicantur, eripiat, humana ſpecie conſpiciendum ſe dare. Quae Ariſtotelis ſententia nonne doctrinam beati Athanaſii aliquantum ſapere videtur, qui in eo, quem habet de diuino verbo, humanam carnem adſumente,

ſumente, luculentiſſimo ſermone docet, clementiſſimum deum, cum hominum mentes in effrenatam rerum, quae ſub adſpectum cadunt, appetentiam infeliciter videret prolapſas, vt ad ſui agnitionem amoremque erigeret, et ad bonam frugem reuocaret, eorum imbecillitati ſeſe accommodaſſe, hominemque fieri dignatum eſſe? Errat rurſus Plato, Homerum redarguens, quod ex Phoenicis perſona Deos adfirmat hominum precibus et ſacrificiis flecti, iramque beneuolentia commutare (*Iliad.* l. 9.)

— — — Στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί.
Ipſa ſinunt ſeſe precibus vel numina flecti.

Vae autem miſeris mortalibus, ſi diuina ira neque precibus exorari, neque hoſtiis emolliri poſſet. Rex Salomon de templo, quod exſtruxerat, verba ad Deum faciens: *Quicumque*, ait, *orauerit in loco iſto*, *exaudi de habitaculo tuo*, *id eſt*, *de caelis et propitiare* (2 Paral. VI, 19.) videlicet propitium placatumque te praebe. Preces, vota, ſacrificia, libamenta, quaedam veluti pacta ſunt atque foedera inter Deum hominesque inita, ad eius iram reſtinguendam atque ſedandam, beneficiaque, quorum egent, impetranda, non quidem virtute aliqua ſibi propria, qua ad Deum vincendum pro ſe ipſa valeant, ſed quod argumenta ſint cordis poenitentiae voluntatisque diuino numini, ſupremoque domino ſe ſubdentis. Animaduertimus item, a Socrate in Sophiſtis multis laudibus locum illum extolli, in quo Homerus Scamandrum inducit, fluuialem Deum a Xantho, altero fluuiali numine efflagitantem, vt ſibi aduerſus Achillem, qui cum eo luctabatur, ſuppetias ferret; deinde vero in republica hunc eundem locum ab eo carpi. Quamnam, Dii boni, huius leuitatis atque inconſtantiae cauſſam eſſe dicamus? Mihi iam pridem haeret aqua, auditores, mecum haec ſaepius reputanti, et, quid impulerit Platonem ad Homerum damnandum, cui tantopere addictus fuit, hariolanti. Qua enim erat, ingenii acie, mentisque ſolertia, cur paſſim aliis in locis Homerum laudet, mox vero, mutato repente conſilio, in republica damnet: Fierine potuit, auditores, vt

forſitan

forſitan Plato, ſecretioris cuiusdam inuidiae ſtimulis lancinatus, Homerum illum, quem prius celebrauerat, coluerat, deinde carpſerit, atque damnauerit, cum praeſertim de illo teſtatum reliquerit Ioannes Chryſoſthomus (*Hom. IV. in Act. c. 2.*) quod *homo plenus erat ironiae, ac zelotypiae vitio laborabat aduerſus cunctos?* Certum quidem eſt, Platonem principio ad poëticam facultatem animum adduxiſſe, et dithyrambos, tragoedias, epigrammata, quorum nonnulla elegantiſſima extant, conſcripſiſſe: cum autem videret, Homeri praeſtantiam neque ſibi, neque fortaſſe vlli adſequi licere, animum deſpondiſſe, ab incoepto deſtitiſſe, et ad aliud ſcribendi genus, philoſophicos ſcilicet dialogos, confugiſſe; quibus tamen planum fecit, ſe, quamuis poëticam facultatem dereliquerit, adfectionem tamen, qua in illam ferebatur, derelinquere non potuiſſe; nam licet proſa oratione ſcripſerit, ſtilo tamen poetico vſum eſſe liquet, adeoque tum dictionem, tum doctrinam Homericam vbique ſapit, vt plerique Homerum archetypum exiſtimauerunt, Platonem vero nobile quodpiam exemplum ad eius ſimilitudinem expreſſum atque efformatum. Qui periti rerum aeſtimatores ſunt, perſpicue vident, quam mirum in modum diuturno ſtudio atque lectione velut in ſuum ipſius ſuccum atque ſanguinem totum Homerum Plato conuerterit, eaque ſapientia probe ſaginatus, ad dialogos illos conſcribendos acceſſerit, quos idcirco haud illi laborioſum fuit, Homericis opibus affatim locupletare, Homericisque verſibus liberaliter conſpergere, eosque identidem (in quo ſane mira eius ſolertia atque ingenium elucet) e proprio ſenſu ad alienum maximo cum lepore atque elegantia inflectere. Quoniam vero dialogos illos prae Homeri carminibus probari, lectitarique exoptabat (optimus enim quisque gloriae ſtudio maxime ducitur), ſeque ipſo longe adhuc praeſtantiorem Homerum agnoſcebat, cupiditate atque aemulatione fortaſſe obturbatus, fereque laudum, quas toties in eum congeſſerat, oblitus, in eius reprehenſionem prolapſus eſſe creditur. Quod vt magis magisque ſuſpicer, facit Cicero, qui et ipſe, exſtimulante inuidia, Graecam linguam

linguam non nihil eleuare conatus eſt. Cum enim primum Graecos ſcriptores iterum iterumque ſummis laudibus extuliſſet, Graecamque linguam, ceterarum omnium reginam, omnium leporum atque elegantiarum vberrimum fontem, totiusque ſapientiae veluti penu depraedicaſſet, ad praeturam vsque, Suetonio teſte (*de Clar. Rhet.*) Graece declamaſſet, diſerteque adfirmantem in Academicis quaeſtionibus Varronem induxiſſet, a ſe amicos ſuos, in quibus ſtudium erat, in Graeciam mitti, id eſt, ad Graecos magiſtros, vt a fontibus potius haurirent, quam riuulos conſectarentur, mox tamen in philoſophiae libris Graeco ſermoni latinum, veluti locupletiorem, praeferre, exclamauitque: *o inopem aliquando Graeciam!* eius vero inopiae tam inanem, tamque non veram rationem praetexuit, vt nemini non conſtet, non recto illum iudicio, ſed animo cupiditate labefactato atque corrupto, ſententiam illam tuliſſe, videlicet, vt libris ſuis lectorum frequentiam, maioremque, quam Graeci obtinerent, exiſtimationem conciliaret. Quia vero latius haec perſecuti ſumus oratione noſtra de linguae Graecae neceſſitate atque facilitate, quam olim Etruſce conſcripſimus publicique iuris fecimus, ab iis iterandis, vt breuitati conſulamus, in praeſentia abſtinendum ducimus. Quidni igitur veriſimile habeamus, Platonem ipſum, eiusdem cauſſae impulſione, in Homeri ſcripta cenſorem egiſſe, eumque e Republica ſua exſilio mulctaſſe? Credite, auditores, tam facile hominum animis irrepit inuidia, vt excubias ſaepe fallat, latenterque, ac veluti per cuniculos, vel in bonorum animos ſe inſinuit, eosque vel nolentes ſubigat. De ea beatus Ambroſius (*lib. de S. Ioſepho*) veriſſime adfirmauit, quod ſanctos etiam viros adurat. Non valde igitur mirandum erit, ſi Platonem (etſi concederemus, morum innocentia, vitaeque probitate fuiſſe integerrimum, de qua re plerique ambigunt) aemulatio transuerſum egerit, vtque Homerum aliquando limis oculis adſpiceret, impulerit. Quae tamen ita a me diſputata eſſe volo, vt non tamquam omnino certa vobis adfirmare auſim, ſed ſuſpicionem tantummodo, ancipiti animo meo obortam, vobiscum communi-

municem, ſolertiſſimoque iudicio veſtro ſubmittam. Atque hic rurſum venia a Platone petita, ſi illum, non reprehendendi quidem libidine, ſed adſequendae veritatis ſtudio, vellicare aliquantiſper atque perſtringere viſus ſum, vobisque gratias agens quam maximas, optimi auditores, quod hac frequentia atque benignitate me audire non eſtis grauati, diſputationi meae finem impono.

DISSERTATIO VI.

DE REPETITIONIBVS, HOMERO FAMILIARIBVS.

SYNOPSIS.

Abeſt ab Homero tautologia, quae, quid ſit, explicatur. Repetiones apud eum nemo vmquam veterum culpauit. Si repetitiones tollantur ab Homeri carminibus, maximum ab iis ornamentum tollatur, neceſſe eſt. Conſuetudo huiusmodi repetitionum antiquis temporibus vigebat. Non tamen eadem libertate, ſiue in Latino, ſiue in Etruſco ſermone, eas nunc vſurpare nobis liceat. Cicero huius paruae obſeruationis fuit ſecurus. Idem dictum apud Virgilium ſaepius repetitum. Iteratio apud Homerum non a linguae Graecae, quae ceteris eſt locupletior, inopia prouenit. Duo contraria conſilia, hoc iterandi, illud variandi; vnum antiquorum, alterum recentiorum. Immoderatio vtrobique cauenda. Exemplum picturae, in qua, tenuiſſimas quaspiam res iterare, nullum eſt vitium. In nuntiis Homericis, eorumdem verborum in mandatis exponendis, repetitio defenditur. Humani ingenii indoles repetitiones non reſpuit. Homerus ſua poëmata concinnauit, vt cantarentur. Epitheta ſiue Deorum, ſiue heroum, ſunt veluti quaedam agnomina tituliqve. Noſtris etiam moribus huiusmodi agnomina tituliqve nunquam variantur. Epitheta Homerica in partem veniunt formandarum perſonarum.

Saepe animum mihi pupugit illa Homeri reprehenſio, qua ſolet a plerisque coargui, quod ſcilicet inſigniter vitio illo laboret, quod Graeci dicunt ταυτολογίαν, hoc eſt,

eius-

eiusdem verbi aut dicti ſuperuacaneam iterationem, idque tanta intemperantia, vt ferri plane nequeat, et a nemine vlla ratione defendi. Si enim haec criminatio vera ſit, non parum gloriae ſummo poëtarum principi detrahi putabam, et ab eius ſtudio alacriter ſuſcipiendo plerosque retardari iuuenum. Quapropter, vt Homericarum rerum explanationi hac etiam defenſione praeluderemus, opus eſſe duximus, cui concinnandae facem nobis praetulit clariſſimus Boiuinius, qui de hoc argumento Gallico ſermone diſputauit. Abeſt igitur, abeſt, optimi auditores, a poëta maximo huiusmodi naeuus, vt eadem inepte repetat. Tautologiae ſiquidem vitium in eo ſitum eſt, vt idem verbum, aut dictum, inſulſe ac ſine cauſſa repetatur, vt factum accepimus a Batto, garrulo paſtore, apud Ouidium in Metamorphoſi, vbi garrulitatem eius ad hunc modum expreſſit:

> — — — — — — *ſub illis*
> *Montibus*, *inquit*, *erant*; *et erant ſub montibus illis.*

Quapropter vitium hoc non ſolum tautologia, ſed et Battologia dictum eſt. Illam autem otioſis atque inutilibus verbis nullibi reperire eſt apud Homerum, qui, vbi breuitate opus eſt, tam bene ſe praeſtat breuiloquentem, vt in decimo ſeptimo Odyſſeae libro ad octo et triginta ſolos verſus ea omnia contrahat mira perſpicuitate atque ſolertia, quae duobus totis libris, quarto et quinto, de Telemacho, ad Neſtorem et Menelaum profecto, narrauerat. Vnde liquet, vbicumque eadem verba, aut ſententias repetit, ſiue linguae ingenio, ſiue priſcae conſuetudini obſecundaſſe; cum praeſertim, non ſine lepore ac venuſtate huiusmodi ab eo fieri repetitiones, ex eo manifeſte adpareat, quod nemo vmquam veterum illas in eo culpauit, ſed magis illum ea de re plerique amarunt, et commendarunt. *Neſcio*, *quomodo*, ait Macrobius, *Homerum repetitio illa vnice decet*, *et eſt antiquo poëta digna.* Quod adeo verum eſt, vt, qui Homerum penitiſſime peruadunt, intimoque ſenſu deguſtant, maximum ab eo ornamentum et decus tolli putent, ſi repetitiones, quibus ſcatet, ab eo tollantur.

Priſcis

Priſcis aetatibus huiusmodi repetitionum ratio neque illepida, neque inutilis habebatur, quam poſtea conſecutis temporibus mollities quaedam, atque faſtidium, ac languor potius, morbusque, quam bonae mentis iudicium, reſpuit atque reiecit. Sane liber geneſeos, aliique Moyſis libri repetitionum pleni ſunt. Quapropter nedum in antiquiſſimo poëtarum frequentem repetitionum vſum damnemus, illum deberemus, tamquam certiſſimam notam teſſeramque eiusce aetatis, in qua vixit, agnoſcere. Cum vero ea loquendi conſuetudo iis maxime temporibus vigeret, non parum erraſſet Homerus, ſi ab ea abſtinuiſſet, et ad eam legem locutus non eſſet. Vſum enim in primis conſectari debet is, qui loquittur,

Quem penes arbitrium eſt, et lex, et norma loquendi.

Praeſertim cum non parum ſublimi dictioni officiat haec friuola atque moleſta ſollicitudo tam caute atque anxie quascumque ſermonis formas euitandi, quae iam ſuperius ſint vſurpatae. Nequaquam tamen adfirmarim, ea prorſus libertate vti nunc licere nobis, ſiue Latino, ſiue Etruſco ſermone loquamur; quandoquidem conſuetudinis ſuffragium deeſt. Sed illud tamen certum eſt, Romanos olim nequaquam ita putide fuiſſe ſollicitos atque meticuloſos, quemadmodum nos, ne ſiue verba, ſiue ipſas locutiones iterarent; quod idem de antiquis ſcriptoribus noſtris, ipſoque Boccacio, dictum eſto. Non raro in eadem Ciceronis pagina tam paruae obſeruationis (vt Fabius inquit l. 8.) ſecuri, idem verbum quinquies, aut etiam ſexies repetitum obſerues; et apud Virgilium vel duodecies idem dictum reperias, *vix ea fatus erat*, aut *dein talia fatur*, et ſimilia. Argumentum autem certiſſimum eſt, repetitionem non eſſe vitium apud Homerum, quod cum ſibi abvnde ſuppeteret facultas variandi verba atque formas, quibus eamdem rem exprimeret, adeo non effugit repetitionem, vt eam adfectaſſe videatur, cum iisdem omnino verbis eamdem vbique rem iteratam voluit. Neque enim vllum eſſe crediderim adeo eruditionis expertem, qui id contigiſſe putet ob linguae inopiam: Graeca ſiquidem lingua

gua non ſolum ceterarum omnium elegantiſſima, ſed longe etiam, atque incredibili modo omnium conſenſione eſt locupletiſſima, non ſecus atque ampliſſimus fons riuos omnes, ex eo promanantes, aquarum copia ſuperat. Sed perpendite, quaeſo, auditores, quemadmodum diuerſa duo diuerſis aetatibus conſilia vſus omnino contrarios invexerunt. Moyſes namque et Homerus, et antiquiſſimorum temporum ſcriptores eorumdem verborum aut etiam ſententiarum iteratione validius ingeri atque altius imprimi audientium animis rerum ſpecies intellexerunt, et ſermonem fieri dilucidiorem. Ex hoc igitur conſilio atque ratione conſuetudo tum verba, tum dicta quaedam, atque adeo integrum aliquoties ſermonem repetendi primitus efſluxit, praeſertim vero in narrationibus exponendis. Contra vero poſteriorum aetatum homines cum ex ipſo Homero didiciſſent, maximam orationis laudem atque iucunditatem ſitam eſſe in varietate (nullus enim plus, quam Homerus, orationis varietate lectorem delectare viſus eſt), hoc variandi ſtudium, veluti legem, ſanxerunt, atque hinc tum eorumdem verborum, tum multo magis eiusdem locutionis geminationem cauendam eſſe ſtatuerunt, ipſasque tranſitiones variare optimum habuerunt; vno verbo, nullum non lapidem mouendum cenſuerunt, vt nouis ſemper formis, nouaque ratione dicendi, easdem res, quae occurrerent in oratione iterandae, nullo non loco exponerentur. Vtrumque profecto conſilium, vterque vſus bonus eſt atque laudabilis, ſi tamen vtrobique modus quidem, certique fines, ſeruentur. Opus ſiquidem eſt, vt neque ſimplicitatis aut perſpicuitatis amor ad iteranda immodice, absque vllo lepore, eadem verba, eamdem locutionem, eumdem integrum ſermonem nos inducat: ſed pariter cauendum eſt, ne intemperantior variandi cura nos in puerilem adfectationem iniiciat, vt videlicet eamdem rem, quae ſimpliciſſima eſt, maximeque communis atque vulgaris, numquam non diuerſa ratione, diuerſisque verbis exponere velimus. Nihil enim poëſeos aeſtum tam refrigerat, et mentis vim atque impetum retundit, dum ea, quae concepit, parturit, quam nimia

nimia haec omnimodae varietatis cura, quae ad leuia etiam minimaque adiuncta, quae rem circumſtant, nos demittit. Videtur itaque Homerus tum hac in parte, tum in nonnullis aliis, moleſtum futilemque laborem nimis anxiae obſeruationis eſſe dedignatus. Fecit videlicet, quod et pictores eximii facere conſueuerunt. Summus enim pictor nequaquam putat, ita ſe ad variandas omnes ſuas tabulas praecepto artis obſtringi, vt nihil prorſus habeatur in illis, quod ſimile ſit atque omnibus commune. Si namque figurae, quae principem locum obtinent, inter ſe differant, nequaquam criminandus eſt pictor ob quampiam rerum tenuiſſimarum iterationem. Pinacothecam vobis proponite, auditores, tabularum, humanas formas repraeſentantium, plenam, atque in iis plures tabulas, quae virum eumdem diuerſa agentem exprimant. In hac v. g. videtis Achillem, furore percitum, minas Agamemnoni intentantem; in altera eumdem Achillem, Briſeida praeconibus reddentem, qui ad eam ab ipſo repoſcendam Agamemnonis iuſſu aduenerant; in tertia item Achillem, qui cum matre Thetide iniuriam, quam acceperat ab Agamemnone, expoſtulat. Equidem fateor, ſi Achillis geſtus et poſitus, ac totius corporis conformatio vno vbique tenore expicta ſint, par eſſe, vt odioſa redintegratio vitio detur pictori. Sin autem iteratio ſolummodo ſit veſtis, aedificii, arboris, montis, nubis, quae in ſingulis illis tabulis ad eumdem modum efformentur, aut etiam loci ipſius vno eodemque colore pictis imaginibus ſubiecti atque circumdati, neminem cordatorum fore arbitror, qui de hiſce quaſi quisquiliis, vtrum varientur, nec ne, ſit ſollicitus. Eia age, haec omnia Homero accommodemus; quandoquidem, *vt pictura, poëſis erit*, recte Horatio. Homerus quidem repetitione vtitur: ea tamen non inſignes ac palmares locos occupat, qui attentionem conciliant, et legentes ad ſe rapiunt, aut eximia illa Homericae picturae lineamenta atque colores, in quibus artis pretium ac praecipua laus ſita eſt; ſed in paruis ac leuiculis rebus verſatur, quae lectorem minime morantur, in tranſitionibus, in communibus quibusdam ad-

 iunctis,

iunctis, quae rem circumſtant, in familiaribus imaginibus, quae naturaliter recurrunt, quasque lector negligenter obſeruat, ac facile praeterit; cuiusmodi ſunt ſacrificiorum et conuiuiorum deſcriptiones, conſcenſiones in naues, ac de iisdem egreſſiones, ac denique ea omnia, quae, cum ſemper eadem ratione tranſigantur, diuerſimode exponi atque exornari videntur reſpuere.

At diſplicet, inquiunt, in nuntiis tam adfectata repetitio, vt, quibus verbis deferendum mandatum ſit commiſſum, iisdem omnino deinde explicent. Neque enim valet ad rudem impolitumque morem defendendum accuratam legatione defungentium fidelitatem adducere? ad hanc ſiquidem teſtandam ſatis erat dixiſſe, quod fideliter mandata detulerant. At haec rei explicandi ratio, quae a delicatulis iſtis in Homero deſideratur, vt expeditior atque elegantior ipſis videatur, non erat antiquiſſimis temporibus (quod etiam ſacrarum literarum teſtimonio facile euincitur) vſu recepta atque probata. Magis idoneam, magisque concinnam (nec forſitan ſua eos fallebat opinio) in legationibus obeundis, faciendisque narrationibus repetitionem illam nullo prorſus verbo variatam veteres homines exiſtimabant. At ſi quis, inquiunt, indolem humani ingenii conſideret, videat ſtatim, neceſſe eſt, repetitiones illas voluptatem nequaquam parere potuiſſe; humanum namque ingenium eas refugit atque auerſatur. Haud infitior, huiusmodi repetitones voluptatate permulcere illorum aures non poſſe, quae iis audiendis minime adſueuerunt, contrario apud eos vſu inualeſcente. Adſunt tamen vſitatae quaedam repetitiones, quae nobis etiam voluptatem creent, quales eae ſunt, quae in bucolicis carminibus ſaepius iterantur, quae, quoniam idemtidem interſeruntur, intercalares vulgo adpellari ſolent. Solemnes etiam ſunt in cantilenis, muſicisque compoſitionibus ad ſatietatem vsque iterationes: quod euincit, repetitionem per ſe ipſam nequaquam eſſe hominibus iniucundam, aut illepidam. Certe Homerus ſuam poëſin concinnauit, vt cantaretur. Primus enim Iliadis verſiculus narrationem pollicetur, ab vna Muſarum decantandam,

tandam, ita, vt ſi quis proprie loqui velit, nihil aliud eſſet Ilias (quod idem de Odyſſea dictum eſto), quam prolixa quaedam cantio, in qua idcirco moleſtum non erat, dum ſubinde tum eadem verba, tum eaedem modulationes opportune iterabantur.

Sed neque epitheta Deorum aut heroum, quae vbique ferme eadem ſunt, quemquam mouere debent, qui quasdam eſſe veluti attributiones ipſis adfixas animaduertit, quaedam agnomina, quosdam titulos, quemadmodum Aeneas apud Virgilium paſſim adpellatur Pius. Profecto ad haec vsque tempora mos iſte perdurauit, haſce veluti peculiares epithetorum notas multis regibus ſiue Galliae, ſiue aliarum, nationum adponendi, quorum alter, exempli gratia, Philippus Pulcher, alter Carolus Craſſus, alter Carolus Magnus, alter Ludouicus item Magnus, aliisque agnominibus alii, quotiescumque nominandi ſint, ſuo quaſi iure adpellari, perpetuo poſtulant. Tituli vero Comitis, Marchionis, Equitis, Ducis, et id genus alii, frequentiſſime repetuntur, etiam a nobis, cum perſonas illas nominamus, quae iis condecorantur. Quid ergo Homero indignamur, dum paſſim flauum adpellat Menelaum, velocem pedibus Achillem, et e Diis ſimiliter ab argenteo arcu Apollinem, a magnis, ſiue expanſis oculis Iunonem, a candente fulmine Iouem vocitat, vt de ceteris quibusque ſileam? Quare ſi Homerica epitheta non ſine arte quapiam, ac dedita opera, ſaepius iterata, ac veluti rebus, ſi ita loqui liceat, ſolerter adſuta naſo ſuſpendimus, ac temere reſpuimus, vehementer hallucinamur. Laus etenim maxima ob ſedulam illam epithetorum iterationem, meo quidem iudicio, ipſi eſt tribuenda. Vnaquaeque ſiquidem perſona, quam formandam Homerus ſuſcipit (Horatii verbis elegantiſſimis dicam) *ſeruatur ad imam, qualis ab incoepto proceſſerit, et ſibi conſtat*, tum ceteris attributionibus quibuscumque, quae illi conueniunt, vbique apprime ſeruatis, tum peculiari epitheto conſultiſſime adiecto, et ab ea fere numquam diuulſo, inſigni veluti nota quapiam, illam exprimente.

DISSERTATIO VII.

DE ILIADIS EXORDIO, ACHILLIS IRA, DEIQVE VOLVNTATE, MALA HOMINIBVS IMMITTENTIS.

SYNOPSIS.

Ab inuocatione diuini numinis Iliadem auſpicatur vates. Ceteri poëtae ſunt illum in hac inuocatione imitati. Haec inuocatio et religionis documentum eſt, et veriſimilitudinem iis, quae narraturus eſt, adſtruit. Quam ſtulte Protagoras Homeri inuocationem carpſerit. Stulte itidem reprehendunt poëtam alii, quod Achillis iram canendam ſuſceperit. Ira, teterrimum malum, ſummopere deteſtandum, atque fugiendum Quomodo diuina voluntas mala hominibus inferat. Duplicis generis mala. Plutarchus non bene videtur Homeri mentem interpretari. Homerus non eſt plagiarius carminum Sibyllinorum. Gulielmi Canteri ineptum iudicium. Sibyllina, quae circumferuntur, ſunt ſuppoſititia. Πάρεργον *de Graeca pronunciatione.*

Satis mihi videor praeeuntibus diſputationibus adoleſcentium mentes inſtruxiſſe, ac veluti propugnaculis quibusdam vallaſſe, vt aduerſus prauas opiniones, et Homero inimicas, valeant, et Homericam ſapientiam eo, quo par eſt, in pretio habeant, promto ſtudio ac flagrantiſſimo concupiſcant, combibant, hauriant. Age iam Iliadis exordium exponamus.

Poëma hoc celeberrimum, omnique laudatione maius, ab eius rei propoſitione, quam tractaturus eſt, ſimulque diuini numinis inuocatione, ſapientiſſime auſpicatur: quod ceteri quoque vates, eius veſtigia conſecuti, ſibi faciendum eſſe exiſtimarunt. Cum enim illud in animo habuerit, vt non ſolum carminibus ſuis lectorem delectaret, ſed pariter moneret; docuiſſe inſigni ſuo exemplo videtur, nihil vmquam nos adgredi debere, niſi prius diuinam opem implorauerimus, et ad Deum, ſine quo nihil boni praeſtare valemus, confugerimus.

Μῆνιν

Μῆνιν ἄειδε, θεὰ, Πηλιάδεω Ἀχιλῆος
Οὐλομένην, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε·
Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων. — — — —

Quos verſus ſic nos Latine ſumus interpretati:

Iram, Diua, cane, immiti quae exarſit Achillis
Pectore Pelidae, Graiis nocuam, exitialem,
Quae tantis miſeros adflixit cladibus, atque
Tam multas fortes animas demiſit ad Orcum
Heroum. — — — —

Sed non ſolum, vt exemplum traderet pietatis et religionis, in ipſo poëmatis initio numen inuocat noſter vates, ſed etiam, vt fidem, atque veriſimilitudinem iis, quae narraturus eſt, conciliaret, dum ſe diuini numinis ductum ſequi, illudque mentem ſuam adflare, ſibique veluti facem ad dicendum praeferre demonſtrat, quod Poëtices cap. XIX. animaduertebat Ariſtoteles. Verum Protagoram, neſcio quem, nos interpellantem audiamus, qui vnus ex illis fuit, qui clareſcere ſe poſſe putant maximis inimicitiis, cum ſint obſcuriſſimi. Criminatur itaque Homerum quod in turpem errorem hoc loco prolapſus ſit: non enim, inquit, vt decebat, Deam adloquitur, non precatur, ſed (quod arrogantiam ſapit) imperat. Μῆνιν ἄειδε, θεά. *Iram, Diua, cane* Pudet, huiuscemodi criminationem refellere, adeo friuolam, adeo ſtultam, veſtrisque auribus prorſus indignam, eruditiſſimi auditores. Quem enim puerum, qui vel a limine grammaticem ſalutauerit, lateat, grammaticos modos (vt notat Voſſius *de inſtit. Poët,* l. III. c. 4.) a praecipuo vſu, quem habent, ita eſſe de nominatos, vt tamen aliis etiam vſibus identidem deſeruire poſſint? Diſce igitur, Protagora, manu ferulae nondum ſubducta, imperandi modum ſic adpellari, non quod eo ſemper imperemus, ſed quia ſaepius ad imperandum vtimur. Ceterum ad orandum quoque aptiſſimum eſſe, clarius eſt, quam vt verbis oſtendi debeat; ſiquidem non ſolum ethnici, ſed Hebraei etiam, ipſique Chriſtifideles, quorum tam ſancta, tam munda, tam cauta religio eſt,

 hunc

hunc modum adhibent ſaepiſſime, cum a Deo, quae optant, efflagitant.

Fuit etiam, qui Homerum accuſaret, quod malam animi adfectionem, ac deteſtandam perturbationem, iram nempe Achillis, canere aggrediatur. Sed haec ſimiliter accuſatio nulla macula ſplendiſſimum Homeri nomen adſpergit, ſed tantum auctoribus ſuis tam inepte ſentientibus, tam inaniter effutientibus, ſtultitiam exprobrat ſingularem. Homerus enim non canendam ſuſcipit Achillis iram, quaſi laudibus efferre velit, ſed vt vituperet, abiiciat, maximeque pernitioſam oſtendat, vtpote quae tot tantorumque malorum deploranda origo Graecis extiterit. Quod quantam adferat legentibus vtilitatem, nemo plane eſt, qui non videat, auditores. Hinc enim optime erudimur, quam graue, quam funeſtum, quam noxium malum ſit ira, vt eam quisque deteſtari atque effugere enixe ſtudeat, ne ſibi aliisque non leuia damna iratus inferat. Maxime vero peruicacem inexorabilis Achillis iram, *grauemque* (vt adpellauit Horatius l. I. od. 6.) *Pelidae ſtomachum, cedere neſcii*, ab animis noſtris amoliri omni ſtudio conemur. Nam (vt docet etiam Euripides in Medea, qui acceptam ab Homero vocem tamquam Echo reddere viſus eſt)

Πολλοὺς δ᾽ ὁ θυμὸς ὁ μέγας ὤλεσεν βροτῶν
Immitis homines perdidit ira plurimos.

Et ſane quid peius vmquam ira, qua qui tenentur, feris ſimiles facti ſunt? Qui enim propter iram mutua ſibi mala inferre parati ſunt, nonne feris ſaeuiſſimis adſcripti debeant, quibus teterrimum aduerſus homines odium natura indere viſa eſt? Ob iram enſis acuitur, mors hominis ex homine venit, fratres ſe ipſos ignorant, parentes ac liberi naturalis neceſſitudinis obliuiſcuntur. Non ſenectus iracundis venerabilis eſt, non virtus vitae, non acceptae iam gratiae, non dona, non beneficia, quae promittuntur in poſterum, non denique quidquid pretioſum eſt, magnoque in honore habendum. Diſcamus ergo, auditores, iram, quae malum eſt adeo exitiale, premere atque

que ſubigere. Cum enim ceteris adfectionibus longe potentior ira ſit (vt apud Laërtium inquit Chilon), illam ſuperare fortius eſt, quam armatum hoſtem deiicere, praeſertim cum non minus exitii mortalibus ab ira proueniat, quam ab hoſte; ab ira, inquam,

— — — quae procudit enſes
Et miſeras inimicat vrbes; — —

(vt ait Horatius *Carm. l. IV. Od. 15.*). Qui bene proinde alio loco monet (*lib. I. ep. 2.*)

— — animum rege, qui, niſi paret,
Imperat, hunc frenis, hunc tu compeſce catenu.

Vbi ad veſtram eruditionem, ornatiſſimi adoleſcentes, notandum eſt, *animum* hoc loco ſignificare *iram*, Graecorum more, qui θυμὸν iram et *animum* adpellare conſueverunt.

Sed iterum vates aliud inculcat lectoribus ſuis religionis documentum. Dum enim Achilles (qui quanto bellica virtute ceteris praeſtabat, tanto erat ad ferendam ſibi illatam iniuriam mollior, atque imbecillior) grauiſſimam in Agamemnonem iram, quae omnium malorum ſeminarium Graecis fuit, implacabilis foueret, diuinam expleri voluntatem diſertiſſimis hiſce verbis teſtatus eſt:

— — — Διὸς δ᾽ ἐτελείετο βουλή.
Numinis interea expleta eſt aduerſa voluntas.

ſenſit itaque docuitque Homerus, quidquid accidit, diuino prouidentiae conſilio accidere, ex eaque humanos euentus quoscumque pendere, atque idcirco hanc ipſam Achillis iram, tamquam vltricis iuſtitiae ſuae telum adhibuiſſe diuinum numen, quo a Graecis multorum ſcelerum, quibus obſtringebantur, exigeret poenas. Neque enim ſatis liquet, cur Plutarchus (*de audiend. poët.*) exiſtimauerit, eam nequaquam fuiſſe poëtae mentem, vt de Ioue ipſo loqueretur, (perinde quaſi huiuscemodi voluntas Ioue eſſet indigna) ſed fatum, Iouis nomine, indicare voluiſſe. Niſi forte tantum virum latuiſſe arbitramur (quod

(quod non eſt veriſimile), ex hiſce malis, quae hominibus immittit, non leuia profecto bona Deum depromere conſueuiſſe. Nam duplicis generis eſſe mala, animadvertendum eſt. Aliud ſiquidem natura malum eſt; aliud noſtrorum ſenſuum iudicio. Quod natura malum eſt, ex nobis ipſis ortum habet, non autem ex Deo, qualis iniuſtitia, ira, caedes, inuidia, dolus, intemperantia, ceteraque huiusmodi flagitia, quae hominis animum, ad Dei imaginem efformatum, corrumpere ſolent, eiusque dignitatem atque ſplendorem turpibus maculis inquinare. Rurſus malum dicimus, quod moleſtiam ſenſibus creat, ac dolorem inurit, vt morbos, egeſtatem, pecuniae damna, domeſticorum amiſſiones, bella, peſtilentias, terrae motus, aliaque ſexcenta, quorum vnum quodque ad noſtram vtilitatem ab optimo atque ſapientiſſimo humanarum rerum adminiſtratore nobis immitti, minime eſt dubitandum. Quo ſenſu locutos eſſe ſanctiſſimos prophetas, ceterosque diuinarum paginarum ſcriptores, quoties a Deo mala deſcendere teſtati ſunt. Iouis igitur complebatur voluntas, dum Graecos primum peſtilentia interimeret, deinde vero per Achillis iram ad extremam paene cladem adduceret, vndique a Troianis preſſos, metu conſternatos, exuſtis nauibus, magnaque copiarum parte internecione deleta. Ex ira nimirum Achillis, quod malum erat natura, et ab Achille ipſo profectum, clades Graecorum effluxit, quae non, niſi volente Deo, contigit, vt Agamemnon puniretur ac reſipiſceret, iniuriamque, qua optimum Achiuorum effecit, agnoſceret ac reſpueret, laeſoque Achilli tum veniam obteſtando, tum dona plurima pollicendo ſatisfaceret;

— — — *Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.*

Hunc Homeri locum Apollonius reſpexit Argonauticorum ſecundo

— — *τὰ δὲ πάντα Διὸς βουλῇσι τέτυκται.*

Quem Apollonii verſiculum Latine conuertiſſe videtur Ouidius (*lib. VIII. Metamorph.*)

— — *quidquid ſuperi voluere, peractum eſt.*

Hoc

Hoc ipſum Homericum hemiſtichium in farragine Sibyllinorum carminum habetur. Quis vero hic ſatis mirari poſſit ineptum Gulielmi Canteri iudicium, qui Sibyllae plagiarium facit Homerum, putatque e Sibyllinis non pauca delibaſſe, ſuisque carminibus inſeruiſſe? Quaſi vero carmina, quae vocant, Sibyllina, genuinum opus eſſent, atque ipſiusmet Sibyllae folia a Sibylla, ſiue vna, ſiue pluribus ante Homerum conſcripta, et non potius ſpuria, ac mere ſuppoſititia, longeque poſt Homeri tempora. imo aliquot poſt Chriſtum ſeculis a bonis forſitan quibusdam viris pia fraude conſuta atque conſarcinata, vt bene animaduertit Duportus. Vtcumque enim res habeat de Sibyllinis antiquis (quorum veteres meminerunt), vtrum fuerint vere Sibyllina, nec ne, quod nunc ad trutinam expendere non vacat, certe libros octo Sibyllinorum carminum, qui modo circumferuntur, non ſolum caecutiens (dicam verbis Opſopaei), ſed coecus omnino ſit, oportet, qui genuinum Sibyllae partum agnoſcit. Cum enim nulla Sibylla antiquior extiterit Moyſe, quomodo de eo vaticinari potuit? quomodo vniuerſam mundi alluvionem praedicere? quomodo vna cum Noë in arca eſſe? Ait enim, ſe (*lib. III.*) cum viro ſuo, cum ſocero, et ſocru, cum leuiris et gloribus antiquiſſimo alluuionis illius tempore fuiſſe iactatam, quod ipſum auditu inſolens, et a nemine hactenus proditum eſt. Quid de multis aliis circa tempora palmaribus erroribus, ſiue ἀχρονισμοῖς, ne in ſcriptore quidem imperito venia dignis? Quomodo ergo, diuino ſpiritu adflatae, eos effundere potuerunt Sibyllae? Sed et ordo ipſe multum fidei Sibyllinis libris (eodem Opſopaeo notante) detrahere videtur. Sibyllina namque carmina, vt Iuſtinus teſtatur, inconcinna erant, obſcura, mutila, ne ab ipſa quidem intellecta, quippe cum furore quodam effuſa, vt prouerbio locum dederint, quo rem perplexam atque inuolutam foliis Sibyllae obſcuriorem eſſe dicimus. At Sibyllini, quos modo habemus, libri; etſi metri ratio interdum claudicet, fere perpetuum rerum ordinem ſeruant, resque ipſae adeo plene, copioſe et aperte deſcribuntur, vt vel inde tantum conii-

cere

cere liceat, illas non praedictas, ſed prius viſas, auditas, lectas, deinde vero ab aliquo deceptore, qui falſa religione ſimplicibus imponere voluit, tam perſpicue libris illis eſſe mandatas. Quapropter eorum nemo, quibus cor ſapit, octo illos Sibyllinorum carminum libros pro veris et natiuis vnquam habuit: ac proinde valeat Canterus cum iudicio ſuo prauo futilique, ac perperam lato.

Liceat modo, tamquam huius diſputationis πάρεργον pauca loqui de Graecae pronunciationis ratione, quam, dum Graeca adferemus, conſectabimur. Non enim, quemadmodum Tranſalpini φιλέλληνες, eorumque adſeclae, conſueuerunt, hiulcas dipthongos ſumus pronunciaturi, aliasque, quas ipſi praeſcribunt, pronunciandi leges ſeruaturi; ſed potius recentiorum Graecorum conſuetudini obſecundabimus. Cum enim non ſolum veterem Graecorum linguam addiſcere nobis placuerit, ſed etiam vernaculam, quam Graeci conſecutis temporibus ex veteris corruptela atque euerſione conſtruxerunt, operae pretium duximus, eorum pronunciationis legibus adquieſcere, ne, ſi forte cum iis Graece loqui contingat, ridendum me praebeam, inſolentem illam, eorumque moribus moleſtam pronunciationem adferens, non ſecus ac ludibrio Galli hominis ſe obiiceret, ſi quis cum eo loquens Gallicas diphthongos, quibus ea lingua abundat, diduceret, ceterasque leges Gallicae pronunciationis abiiceret. Parum intereſt, vtrum hac, an illa ratione Graeca pronuncies, veteri genuina pronunciatione tam pridem extincta atque corrupta. De Graeca lingua intelligenda laborandum, non de Graeca pronunciatione litigandum. At complures ſunt, qui ſubtiles diſputationes de pronunciando inſtituunt, cum interim de intelligendo minime ſint ſolliciti. Profecto me non latent eorum argumenta, quibus ad ſuam ipſorum ſententiam acrius tuendam promouentur, qui recentiorum Graecorum pronunciationem non probant, eaque ſaepius diligenter expendi, neque, vt leuia, aut contemnenda, vnquam reieci, quinimmo multum ipſis ineſſe ponderis ſum arbitratus. Verum tamen cum et aduerſae ſententiae ſuae ſuffragentur rationes, nequaquam

quam ille culpandus eſt, qui ad eam neceſſitate compulſus ſibi accedendum putauerit, ſiquidem de ea re

Grammatici certant, et adhuc ſub iudice lis eſt.

Verum de hac quaeſtione, vt rationes vtrimque vos ipſi perpendere poſſitis, peculiari aliquando tractatione enucleate diſputabimus. Illud in praeſentia tantummodo a vobis quaſi meo iuro poſtulo, vt, quemadmodum nos aliorum ſententiam non reprobamus, ſic noſtram, ſi qui forte adſint, qui minime amplectantur, ipſi quoque vel non reprehendant, vel aequi bonique faciant. Iniquum enim fuerit in iis rebus, de quibus inter eruditos viros diſceptatio eſt, contrariam alterius ſententiam criminari, quae non minus, quam tua, bonis rationibus innitatur.

DISSERTATIO VIII.

DE CAVSSA IRAE ACHILLIS; DE SOMNIIS; ET DE PERICVLOSA REGIS INCREPATIONE.

SYNOPSIS.

Narrationis ſumma, ex qua totum dependet Iliadis poëma. Somniorum alia naturalia, diuinitus alia immiſſa. Naturalium mira varietas et complures cauſſae. Non ſolum ab Ioue, ſed etiam, ab aliis Diis immitti ſomnia crediderunt ethnici. Aegri in Aeſculapii templo captabant ſomnia. Teſtimonia e ſacris paginis petita ſomniorum a vero Deo immiſſorum. Apud ethnicos ars interpretandi ſomnia futilis et praeſtigioſa. Non ſine Deo videtur ſomniaſſe Mandane, Cyri mater. Somniorum duae portae. Earum explicatio. Chalcas, augur, quamuis ad libere loquendum ab Achille exſtimularetur, Agamemnonem coarguere renuebat. Magni Alexandri, Clytum inter epulas ob reprehenſionis libertatem necantis, ſuacuities. Leonis et regis ſimilitudo. Exemplum Tiberii, vindictam procraſtinantis. Summa prudentia atque dexteritate in commonendis regibus opus eſt.

Qui

Qui proxime habito ſermone de Achillis ira diſputauimus, ornatiſſimi adoleſcentes, cauſſam modo exponendam ducimus, cur tam vehementer, tam peruicaciter, tam implacabiliter in Agamemnonem exarſerit, et alia quaedam huc ſpectantia dicendo euoluere, quae veſtrae eruditioni profutura exiſtimamus.

Memorat itaque vates (*l. I.*) Deum, Latonae atque Iouis filium, Agamemnoni ſuccenſuiſſe, quod indignius Chryſen, ſacerdotem, acceperat. Cum enim Chryſes, recepturus filiam Chryſeidem, oblato redemtionis pretio, Agamemnonem adiiſſet, is nec Apollinem veritus, nec ſenes ſacerdotis canitiem, nec Dei ſceptrum atque coronam, quae ille ad permouendum regem manibus geſtabat, non ſolum filiam enixis precibus petenti non reddidit, ſed durius illum habuit, minis deterruit, verbisque contumelioſis, vt infecta re ſtatim abiret, impetrauit. Sacerdos de accepta iniuria cum Apolline conqueritur, vltionem imprecatur, obtinet. Apollo enim teterrima peſte Graecorum exercitum coepit adfligere. Poſt nouem dies, cum adhuc graſſante lue animantia atque homines ſimul miſere conficerentur, Achilles Iunonis voluntate concilium conuocat, monetque Agamemnonem, augurem aliquem, aut ſacerdotem, aut coniectorem ſomniorum conſulendum, qui cauſſam aperiat, quare tam grauem Apollo iram in Graecos exerceat; quandoquidem ſomnium Iupiter immittit, eiusque donum eſt ſomniorum coniectatio,

— — — καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐστι.
Somnia namque ad nos deſcendunt ab Ioue ſummo.

In medium igitur euocatur Chalcas, auguriorum peritiſſimus, qui Apollinis iracundiae cauſſam in Agamemnonem deriuat, denunciatque, non prius peſtem fore ceſſaturam, quam Chryſeis, nullo exſoluto pretio, patri redderetur, offenſumque numen legitima hecatombe placaretur. Aegre admodum interpretationem tulit Agamemnon; tamen Chryſeidem reddidit, totius exercitus veritus ſeditionem.

tionem. Verum, vt conceptum dolorem ob feminae iacturam egereret, per ſummam iniuriam Briſeidem Achilli rapuit, ob quam iniuriam tanto irae aeſtu exarſit Achilles, vt Agamemnoni deinceps fuerit infenſiſſimus, et a bello deſciuerit. Interim vero mater, Thetis, vt graui adfectum aegrimonia filium deleniret ac ſolaretur, eam vltionem ab Ioue impetrauit, vt, quamdiu ille abeſſet a pugna, maximis cladibus Graecorum exercitus adficeretur. Haec ſane Homericae narrationis ſumma, cui, veluti fundamento iacto, poëmatis exſtructa moles innititur. Profecto in ea plana omnia atque perſpicua.

Solummodo adſe nos vocat illud hemiſtichium:

— — καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐστι,

vt nonnulla de ſomniis delibemus. Horum alia eſſe naturalia, diuinitus alia immitti, norunt omnes. Naturalium miram varietatem ex diuerſa corporum adfectione, temperamento, humorum incurſionibus, aliisque huiuscemodi cauſſis ortum habere, docent communiter philoſophi. Quare non erit inutile medicis, monente Ariſtotele atque Hippocrate, obſeruare atque expendere aegrotantium inſomnia, ad eorum morbos diiudicandos atque curandos. Ex ea namque obſeruatione ſatis probabilem coniecturam capere poterunt, quae humorum temperies intus lateat, eorumque defectum, vel exſuperantiam dignoſcere. Somniorum cauſſis item adnumerari debet earum rerum cogitatio atque cura, quibus interdiu occupati fuimus. Harum ſiquidem ſimulacra vt ſunt recentia, ita plerumque facultatem, quae rerum ſimilitudinem et imaginem concipit, magis fouet. De qua re non minus ſapienter, quam eleganter, ad hunc modum differit Lucretius (lib. IV.)

Et quo quisque fere ſtudio defunctus adhaeret,
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati,
Aut in qua ratione fuit contenta magis mens,
In ſomnis eadem plerumque videmus obire;
Cauſſidici cauſſas agere, et componere lites,
Induperatores pugnare, ac proelia obire,
Nautae contractum cum ventis degere bellum.

Huc pertinet illud Claudiani, ea in ſomnis a nobis videri adfirmantis, quae vigilantes concupiſcimus (*in Praef. ſex. Conſ. Hon.*)

Omnia, quae ſenſu voluuntur vota diurno,
Pectore ſopito, reddit amica quies.

Iam vero dicendum de iis, quae a Deo immittuntur, vt diſerte tradit Homerus,

— — — καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστι.

Haec autem θεήλατα, ſiue θεόπεμπτα, ſiue etiam Διὸς ὀμφὰς adpellare conſueuerunt Graeci. Homerus igitur myſticorum ſomniorum non alium Deorum, ſed Iouem facit auctorem, quod ab eius nutu omnia dependeant, moueantur, gubernentur. Sed ethnicorum ſuperſtitio, quae Deorum numerum paene infinitum inuexit, ab aliis deinde etiam Diis credidit immitti ſomnia, maxime vero ab Apolline atque Aeſculapio itemque ab Oſiride atque Serapide, vt apud Strabonem (*lib. VII.*) atque Suetonium (*in Veſp. c.* 7.) videre eſt. Hinc ferunt in Aeſculapii templo aegros conſueuiſſe captare ſomnia, quibus a Deo admonerentur, qua ratione ſuos curarent morbos; praeſertim vero Epidauri nobiliſſimum templum Aeſculapio dicatum exſtitiſſe, nullo non tempore aegrotorum multitudine frequentatum, tabellisque hinc atque illinc e parietibus dependentibus, in quibus eorum nomina erant inſcripta, qui conualuiſſent. Huiuſce rei teſtis luculentiſſimus adhiberi poteſt Plautus in Curculione, vbi Cappadocem, lenonem lienoſum, inducit, ex Aeſculapii templo prodeuntem, et ſomnium, quod viderat, ad coniectores referrentem. Quamuis autem multa fuerit apud ethnicos ſuperſtitio in ſomniorum interpretatione, nimiaque credulitate, a Deo paſſim ſomnia immitti, putarent; illud tamen nefas eſt non admittere, quod diuinae literae apertiſſime docent, nempe Deum identidem non tantum piis, ſed etiam impiis, ſe reuelare per ſomnia. Numerorum libro, capite duodecimo, ſe per ſomnium locuturum, teſtatur Deus. Eſſe Deum in coelo reuelantem myſteria aiebat Daniel

(*c.* 2.).

(c. 2.). Ita Ioſephus e ſomnio, quod Pharaonis pincerna, et piſtorum magiſter, in carcerem detruſi, viderant, diuinabat, hunc ſuſpendendum, illum poſt tres dies liberandum. Idem a Pharaonis ſomnio ſterilitatem praedicebat. Similiter Daniel Nabachodonoſori ſomnium interpretabatur, et, quae illi euentura eſſent, inde vaticinabatur. Tradunt etiam nonnulli, Abrahamum omnium primum inuolucra ſomniorum explicuiſſe, ac ceteris patefeciſſe. Quae ſomniorum interpretatio vt apud ſanctos homines veraeque religionis profeſſores vera fuit atque ſolida, ita futilem atque inanem apud ethnicos fuiſſe, vltro concedimus. Quapropter vt praeſtigioſam artem ac ſubdolam de medio auferre conati ſunt Epicurus, Metrodorus Chius, Xenophanes Colophonius e Graecis, et e Romanis Cicero. Nihilominus putamus, vel ipſis ethnicis nonnulla interdum diuinitus contigiſſe ſomnia, donumque fortaſſe eorum alicui tributum eſſe ea declarandi. Exiſtimo enim, vt vnum ſaltem adferam exemplum, haud quaquam ſine Deo ſomniaſſe Mandanen, Cyri matrem, cum ſibi ex vtero vitem producere viſa eſt, quae totam Aſiam obumbraret. Indicium enim fuit (*Herodot. l. I*) imperii totius Aſiae, quam Cyrus occupauit.

Sed, vt Homerum repetamus, confingit alio loco (Odyſſ. XIX.) e duabus portis ſomnia ad nos exire, quorum, quae ſubuolant per portam corneam, vera ſunt, quae per eburneam, vana; vbi ſignificare voluit, vt lib. VIII. apophthegmatum interpretatur Eraſmus, eas demum res indubitatae eſſe fidei, quas oculis contuemur, plerasque vero, quas ex alieno ore accipimus, eſſe fabuloſas. Corneae ſiquidem portae inuolucro oculos deſignauit ob coloris ſimilitudinem; eburneae vero loquentium os ob candorem dentium, qui non vltimum loquelae inſtrumentum ſunt.

Sed cur, vbi arceſſendus eſt Chalcas, qui cauſſam malorum retegat, atque interpretetur, ſomnii ſimul meminit Homerus, ſimulque augurii? Quia ad idem plane officium ſpectabat, et ſomnia interpretari, et auguria euoluere. Non mirum igitur, ſi poëta vtrumque coniunxerit,

iunxerit, et vna cum augure coniectorem ſomniorum nominauerit. Verum Chalcas quamuis ab Achille exſtimularetur, vt audacter reſponſum daret, peſtisque, grauiter deſaeuientis, latentem cauſſam proferret in medium, aegre admodum obſecutus eſt, ne regem Agamemnonem, ad quem mali origo referenda erat, laceſſeret, eiusque offenſionem incurreret. Aiebat enim, fortiorem eſſe regem priuato homine, quando illi iraſcitur, qui proinde nequit cum eo confligere, ſeſeque ab eius telis defendere. Nam etſi videatur rex in praeſentia iram compeſcuiſſe, offenſionem tamen recordatione fouet, et vindictam meditatur. En vobis Homericos verſus, qui talem Chalcantis ſententiam complectitur.

Κρεῖσσον γὰρ βασιλεὺς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ
Εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,
Αλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσῃ
Ἐν στήθεσσιν ἑοῖσι. — — — —

Eos autem hoc modo latinitate donauimus.

Nam potior rex eſt, cum eius petit ira minorem,
Infirmumque virum; nam etſi cito concoquit illam,
Dum tamen explerit, manet alta mente repoſta.

Quam vere ac prudenter ſentiret Chalcas, ſatis oſtendunt regum exempla propter adhibitam in ipſos increpationem ira aeſtuantium, eosque miſere, qui ſe increparunt, vlciſcentium. Ex quorum immenſa copia vnum ſeligo. Magnum illum Alexandrum memoria repetite, auditores, qui a tot tantisque ſcriptoribus, qui de illo meminerunt, congeſtis laudibus mactatur. Optima indole a natura praeditus, patrem habuit educatorem diligentiſſimum, Ariſtotelem vero ſapientiſſimum praeceptorem. Philoſophiae, ceterisque diſciplinis, quae animum formant, multa cum laude nauauit operam, multumque in illis progreſſionis fecit. In bellica vero virtute adeo ſupra omnes excelluit, vt paucorum annorum ſpatio nationes longe plurimas ſuo ſubiugarit imperio. Quapropter in eum celeberrimis ille verſus Homericus a multis ſaepe iactatus eſt (*Iliad. III.*)

Αμφό-

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.
Vtrumque eſt, rex nempe bonus, pugnator et acer.

Nihilominus cum is eſſet Alexander, nonne adeo inſigniter deſipüit, vt non ſolum nobilium ac praeclarorum virorum, ſed vel homuncionum viliſſimorum adulationibus mirum in modum oblectaretur? Nonne regni poteſtate atque amplitudine, non minus quam vino liberaliter hauſto, temulentus, tam laxas iraſcenti animo permiſit habenas, vt Clytum, quem ſingulari beneuolentia proſequebatur, quod eum libere admonuerit, reprehenſionis impatiens, ſuis ipſemet manibus, tamquam ſaeuiſſimus carnifex, inter epulas vltimo adfecerit ſupplicio? Adeo periculoſae opus eſt plenum aleae, liberius regem adloqui, grauibusque verbis redituris in iugulum redarguere! Nam ſatellites, lictores et praecones, vt Iſocrates ad Dionyſium iuniorem ſcribit *(ep. vlt.)*. et altiſſimi adeptio ſolii caligo ſunt philoſophiae, et longiſſime a virtutibus ſeparant atque ſeiungunt. *Πρόπομποι, καὶ ῥαβδοῦχοι, καὶ κήρυκες, καὶ θρόνων ὑψιλοτάτων ἐπίτευξις φιλοσοφίας εἰσιν ἀχλὺς, καὶ διαιρετικώτατος πέφυκε τῶν ἀρετῶν χορισμός.* Quam ſane vitae ſuperbiam dum renuebat, Agamemnonem coarguere, prae oculis habebat Chalcas, reputabatque animo, propter eam regum pleroſque increpationem non admittere, caſtigatoſque remordere. Quid autem laeſo iratoque rege terribilius? Fulmen eſt, vbi cum poteſtate atque imperio exardeſcit iracundia. Nam ſi priuati homines, cum ſe putant indignius habitos, et ab alio quopiam paris conditionis homine re, vel dictis, offenſos, ſaepe neque legibus, neque legum ſuppliciis compeſcuntur, quin iram expleant vlciſcendo, quid de Rege exiſtimandum, qui nullis ſe teneri legibus arbitratur nullumque metuit ſibi irrogari ſupplicium? Quid itaque mirum eſt, ſi vel ii, qui apud reges familiaritate et gratia plurimum valent, ne hiſcere quidem in eorum vitia vmquam ſuſtinent? videlicet ſciunt, quantum vehat periculi regem reprehendendi libertas. Quemadmodum enim leo, qui et ipſe inter terreſtres belluas regiam obtinet adpellationem, cicur omnino factus eſſe aliquando videtur, vt et ore, et cauda,

tamquam leniſſimus canis, iis, quorum conſuetudini adſueuit, blandiatur: at ſi quis vel minis, vel plagis, caſtiſtiget, amicitiam continua obliuiſcitur, leonemque ſe eſſe meminit, et caſtigantem miſerabiliter diſcerpit; ſic etiam rex, etſi aliquem ſibi haerentem habeat, quo familiariſſime vtatur, quem ſingulari amore complectatur, ludo, iocis, conuiuio ſocium adhibeat, tantumque non ſceptro ſibi parem honoret, ſtatim tamen amorem conuertit in odium, tumidos ſpiritus ſumet, ſummaque poteſtate, qua pollet, transuerſe actus, tamquam ſpretae maieſtatis reum habebit, punietque antea ſibi cariſſimum hominem, ſi paullo liberius eum corripere audeat. Quodſi fortaſſe iratus rex principio conniueat, animumque premat; nequaquam fidendum: non enim iram reſtinxit, ſed diſtulit. Nam ſicut, doloſo cineri ſuppoſitus, latet ignis; ita offenſo regis animo licet ore clementiam praeferat, ira inſidet exitialis. Quod recte Chalcas iis verbis expreſſit:

— — — nam etſi cito concoquit illam,
Dum tamen explerit, manet alta mente repoſta.

Atque ita ſane Tiberium factitaſſe teſtatur Tacitus: *Animo reuoluente iras*, inquit, *etiamſi impetus offenſionis languuerat, memoria valebat.* Sed quorſum haec? dicet aliquis. Num illud inferre niteris diſputando, a nemine vmquam reges eſſe admonendos, numquam a nemine corripiendos? Num illud adprobas, quod apud Senecam eſt *(Thyeſt. act. II.)*?

— — — ſanctitas, pietas, fides
Priuata bona ſunt, qua lubet, reges eant.

Abſit, auditores, vt tam flagitioſam ſententiam amplectamur, tam improba praecepta comprobemus. Quinimmo eos, quibus id muneris demandatum eſt, vt regibus adſtent, ſuisque fulciant conſiliis, ſuas absque piaculo partes negligere non poſſe docemus. Sed eo tantummodo conſilio rem difficilem ac periculoſam ex Homerici Chalcantis dicto adſtruimus, vt norint omnes, quanta opus

opus ſit prudentia, ſagacitate, dexteritate iis, qui regibus haerent, quoties commonendi regis inſtet neceſſitas, vt et monitionem aequo animo rex accipiat, ipſique omne a ſe periculum depellant. Numquam ſibi, quod apud regem gratia maxime valeant, nimium ſecuritatem polliceantur. Numquam nimis praeſidenter, vt vt ſibi beneuolum, atque indulgentem regem ſenſerint, adloquantur. Maxima reuerentia atque formidine regiam maieſtatem ſemper obſeruent. Omni ſtudio curandum ſibi ſtatuant, vt diſſimulanter, ac veluti per cuniculos, et quaſi aliud agentes, molliſſimaque fandi tempora praeſtolantes monita regis animo inſinuent, verbisque byſſinis (ſi cum Paryſatide, Cyri et Artaxerxis matre, argutari libeat) vtantur. Maxime vero Salomonis praeceptum in animo infixum habeant, vt nolint vmquam coram rege videri ſapientes.

DISSERTATIO IX.

DE HEROIBVS HOMERICIS.

SYNOPSIS.

Agamemnon aſperioribus verbis Chalcantem perſtringit, plenaque arrogantiae reſponſione et ipſum laedit Achillem. Aeſtuanti iracundiae non ſtatim toto niſu obſiſtendum. Achillis in Agamemnonem conuicia. Agamemnon Achilli aufert Briſeidem. Achillis ira quam fuerit peruicax. Zoili finis. Heroas non facit Homerus ab humanis vitiis immunes. Nullibi vitia, ſed vbique virtutem commendat. Famam, ſiue traditionem, quae de Heroibus percrebuerat, ſecutus eſt. An heroës Homerici ſint impii? De Boccaccii irreligioſis dicacitatibus. Nemo vmquam exſtitit, vitiis omnibus expers. Vlyſſes imprudens, dum inſultat Cyclopi. Aeneas credulitate Didonis abutitur. Quaeuis aetas, ſiue ſeculum, quaedam peculiaria vitia, et virtutes habet. Mores ſimplices et faciles temporum Heroicorum. Stultum eſt, in Homero Gallorum, aut Italorum mores deſiderare.

Rem plane ipſam putauit Chalcas vates, cum ſe Agamemnonis odium forte incurſurum praedicebat, ſi verum aperiret. Agamenon ſiquidem, quemadmodum ſacerdotem Chryſen, ſic et Chalcantem augurem verbis aſperioribus perſtrinxit, contumeliaque adfecit. Quapropter Achilles, qui ad latentem peſtis cauſſam detegendam vatem impulerat, ſuamque illi aduerſus Agamemnonem opem ſpoponderat, ea vſus, quae viro tali arguendi fiducia permittebatur, Agamemnonem audacter increpat; cuius ille increpationis impatiens acri admodum, plenaque arrogantiae reſponſione et ipſum laceſſit Achillem, ita, vt Achilles, incenſus ira, diſtricto enſe iamiam in illius ceruices irrueret, niſi repente adfuiſſet Pallas, quae manum compeſcuit, monuitque, vt, gladio abſtinens, conviciis tantummodo vlciſceretur. Quo facto monere viſus eſt Homerus, non eſſe ſapientis, exaeſtuanti iracundiae ſtatim toto niſu contra ire, ſed dandum eſſe illi aliquid, ne ſcilicet eius vis, ſi violentius atque importunius retundere adgrediaris, admotas habenas auerſata, quin remittat, magis magisque deſuaeuiat. Quemadmodum etiam ſapientiſſimus legumlator Moyſes non nihil indulgendum cenſuit violento Hebraeorum ingenio, quamobrem in legibus ſuis ait: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publice argue eum (Lev. XIX, 17).* Qua profecto lege, vt bene animaduertit Calmetius, ad maius impendens malum auertendum furentis animi aeſtui permiſit, vt ſe in amaras obiurgationes aduerſarii effunderet. Achilles itaque, Mineruae conſiliis obſequens, acerbiſſimis Agamemnonem dictis coepit exagitare, quae non parum Achillis perſonam dedecere, ſeuerioribus quibusdam Homeri cenſoribus viſa ſunt: non enim, aiunt, abiectiora conuicia, de medio vulgo ſumta, vſurpare poſſet vel ipſe Therſites. Achilles ſiquidem et *impudentem*, et *vulpina mente praeditum*, et *vino grauatum*, et *caninos oculos habentem* adpellat Agamemnonem; ita enim ferme voces illae, quas in illum effundit, latine redduntur. Verum criminationi huic alia diſſertatione occurremus; modo

enim

enim temporis anguſtiae, quibus coarctamur, vt rem penitus excutiamus, et, quemadmodum neceſſe eſt, euoluamus, nequaquam nobis permittunt. Sed Agamemnon, ab Achille obiurgatus, et maledictis impetitus, non ſolum non reſipuit, nec ſe ad officium reuocauit, ſed malum animi ſui propoſitum ad exitum perduxit, miſitque ad Achillis tentorium, qui Briſeidem per ſummam iniuriam ab eo auferrent. Cumque ille facile poſſet obſiſtere, miſſosque praecones nullo negotio a ſe depellere, vel etiam obtruncare, maluit tamen ſinere, vt Breſeis abduceretur. Tanta vero iracundia in Agamemnonem exarſit, vt neque fractae Graecorum res, vltimumque excidium tantum non paſſae, neque Aiacis atque Vlyſſis honorificentiſſima legatio, Neſtoris conſilio ad eum decreta, neque ob illatam iniuriam Agamemnonis poenitentia, et ab eo ſibimetipſi grauiſſima impoſita mulcta atque luitio, neque legatorum, quos inter cum ipſo arctiſſima neceſſitudo intercedebat, enixae preces, validiſſimaque, quae ab ipſis adferebantur, argumenta animum flectere, aut delinire potuerint. Vah praeclaros atque inclytos heroas Homericos! Vah egregios viros, commendatione plane dignos, epicique carminis praeconio celebrandos! Ita ſane Homerum ſceleſte irrident, naſoque ſuſpendunt, qui gloriolam e tanti vatis reprehenſione aucupantur. Iamvero Zoilus, quidam Sophiſta Amphipolites, Ptolemaei Philadelphi temporibus, in Homerum librum audaciae et conuiciorum pleniſſimum conſcripſit, in quo poëtarum omnium principem, quem omnis aetas ſemper ſuſpexit, in multis turpiter lapſum et a decoro ſaepiſſime aberrantem redarguebat. Verum nullam aliam tam inſignis impudentiae mercedem tulit, quam peſſimam, qua mulctatus eſt, necem. Alii ſiquidem iuſſu regis cruci adfixum volunt; nonnulli a populo lapidibus obrutum eſſe; alii Smyrnae viuum in pyram coniectum eſſe; alii, cum ex Aegypto in Graeciam rediiſſet, de Scironiis ſaxis fuiſſe praecipitem actum, quae ſunt in Attica inter Megaram et Corinthum. In iis igitur, qui Homeri ſcripta impudenter carpunt, ac proinde ὁμηρομάστιγες adpellantur,

tur, turpiſſimus iſte Zoilus chorum ducit: neque enim ipſi nouas adferunt criminationes, ſed eamdem ferme odioſam crambem repetunt.

Verum quam iniquus in Homerum fuerit Zoilus, eiusque adſeclae, dum illum accuſant, quod decorum in Heroibus ſuis nequaquam ſeruauerit, paucis ad veſtram eruditionem expediam, adoleſcentes. Equidem fateor, Homerum heroibus ſuis quaedam adfinxiſſe vitia, et interdum plane maxima, ſed in hoc nequaquam erraſſe, quinimmo prudenter egiſſe, cum Ariſtotele aliisque ſapientibus viris ſentio. Noluit enim ipſe fabuloſos Heroas atque eiusmodi viros comminiſci, cuiusmodi neque vmquam exſtiterunt, neque vmquam exſtabunt, ſed tales viuidis atque natiuis coloribus depinxit, quales reuera homines ſunt, quorum nemo vmquam fuit a culpis omnibus immunis. Neque enim maximos reges, inuictosque duces, ceterosque ad celſiſſima quaeque dignitatum faſtigia euectos, aliud eſſe dixeris, quam homines earum dignitatum ornamentis foris inſignitos, intus vero, ceterorum hominum inſtar, humanarum adfectionum motibus exagitatos. Tunc plane erraſſet Homerus, maximaque profecto reprehenſione dignus exſiſteret, ſi heroum vitia vel commendaret, vel ad imitandum proponeret, quod certe numquam facere compertum eſt. Quinimmo vitiorum infenſiſſimum hoſtem vbique ſe praebet, eorumque turpitudinem ob oculos ſemper ponit, vt eam lector deteſtetur, atque declinet; contra vero nullo non loco virtutem inculcat, laudat, exornat, et vehementer in eius amorem pertrahit; vt diuus Baſilius, cuius luculentiſſimum teſtimonium maximi certe ponderis habendum puto, totam Homeri poëſin perpetuam virtutis commendationem adpellare non dubitauerit *(de leg. lib. Gent.)*. Et quidem neminem eorum, qui, Graece periti, verum atque intimum eius carminum ſenſum introſpicere valent, niſi ad inanem quamdam ingenii atque ſubtilitatis oſtentationem proloqui velit, infitias iturum arbitror, Homeri ſtudio non ſolum omnigena eruditione, quae ſcilicet ad artes, doctrinas, hiſtoriamque cognoſcendam maximopere condu-

conducat, mentem inſtrui, ſed etiam voluntatem ad morum honeſtatem, virtutemque proſequendam mirum in modum impelli. Ceterum cum non plus, quam centum quadraginta circiter annos, a Troiano bello diſtet Homerus, haud quaquam debuit illos heroës aliter effingere, quam recens adhuc traditio, auorum teſtimonio accepta, de ipſis ferret, adeo, vt non leuiter peccaſſet, ſi aduerſus famam, quae omnium ſermone percrebuerat, poëſin ſuam inſtituiſſet. Nam, vt recte monuit Horatius in arte,

Ficta voluptatis cauſſa ſint proxima veris.

Et rurſus;

Aut famam ſequere, aut ſibi conuenientia finge
Scriptor, honoratum ſi forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.

Accedit quod, quemadmodum tragoediae, ita et comoediae formam in ſuis carminibus nobis expreſſam reliquerit. Quem vero latet, prauos mores, atque vitia, etiam magnorum virorum in antiqua comoedia repraeſentari, vt ab iis, quae notari vident atque perſtringi ſpectatores deterreantur? Verum quis ferat, aiunt, in Homeri carminibus impietatem tantam in Deos? Nonne Agamemnonem inſigniter impium in Apollinem fuiſſe conſtat, cum eius ſacerdoti, demiſſe petenti, ſe filiam numquam redditurum adfirmat, conuiciisque laceſſitum tanto cum rubore atque contemtu a ſe depellit? Quid tum ſi conceſſerim? Nonne hanc Agamemnonis impietatem ſatis ſuperque reprehendere, grauiterque condemnare viſus eſt Homerus, cum deſaeuientem peſtem enarrat, qua illud ob ſcelus Graecorum exercitus adflictus eſt? Ad eum plane modum, quo etiam diuinae literae Dauidis peccatum damnant, immiſſam a Deo ſimiliter in populum ad eius vindictam peſtilentiam memorantes (2. Reg. XXIV.). Sed illud etiam ad Homeri defenſionem dicere in promtu eſt, belli leges non magis ſacerdotibus tunc fauiſſe,

quam

quam ceteris hominibus. Hinc Virgilius Aeneid. lib. II, ait:

— — — nec te tua plurima Panthu
Labentem pietas, nec Apollinis inſula texit.

Cum itaque Agamemnoni iure belli Chryſeis, ſacerdotis filia, obtigiſſet in praedam, non putauit idcirco a ſe patri reddendam, quod eſſet ſacerdos; neque enim ſacerdotium hoc illi peculiare ius tribuebat, vt ſibi ab Agamemnone non denegaretur. Sed in eo peccauit Agamemnon, quod, nulla dignitatis illius habita ratione, parum humaniter accepit, indignisque verbis propulſauit; hinc iuſta in eum Apollinis vindicta. Atqui ſaepe, inquies, in Deos, atque in Iouem ipſum impias voces atque contumelias Homerici Heroës effundere videntur, crudelem, iniquum, deceptorem adpellantes: eritne etiam huic rei defenſioni locus? Erit ſane. Aures ſiquidem Iouis iis vocibus audiendis adſueuerant, vt non iis valde ſuccenſeret, qui effunderent. Religionis apud ethnicos leges non magni ſceleris reos agebant, qui Deos perinde, quaſi homines, adloquerentur, et cum ipſis expoſtularent; neque valde curabant, ſi quis, ira percitus, contumelioſum aliquod dictum in Deos adhiberet, quos ſibi putabat infenſos. Neque vero in falſa ac leui ethnicorum religione grauiſſimae religionis noſtrae ſeueritas ſanctitasque requirenda eſt. Quemadmodum praua erant, quibus innitebatur, principia; ſic et cetera fere vitioſa exſtitiſſe neceſſe eſt, quae principia illa conſectabantur. Verum quam multa excuſat inueterata quaedam conſuetudo? Nonne Ioannem Boccaccium, Etruſcae eloquentiae patrem, de religione liberius loquentem, nec ſine ſacrarum rerum, aut perſonarum contemtu quasdam dicacitates effundentem, defendere nonnulli, ac paene ab omni crimine liberare connisi ſunt, quia (vt ea erant tempora) ſcommata illa viſu eſſent recepta, eaque audientium aures minime reformidarent? Quae quidem defenſio vtrum valida ſit, et ad tuendum Boccaccium ſufficiat, ipſi viderint; a nobis ſane nec probatur, nec admittitur. Nihilominus

ominus hinc licet eruere, ſi non prorſus tolli, at ſaltem multum imminui potuiſſe conſuetudine impietatem illam heroum Homericorum, quae nobis obiiciebatur. Sane noſtris etiam temporibus nonnullae ludicrae locutiones per ora etiam piorum circumferuntur, quae religionem, meo quidem iudicio, offendant, niſi eas dicendi et audiendi vſus excuſet, qui facit, vt nemini vel vllam, vel leuiſſimam, offenſionem pariant. Illud vero generatim atque vniuerſe ad heroum Homeri defenſionem dictum eſto, virum bonum atque laudabilem non ideo boni viri laude ſtatim excidere, quod aliquo humanae naturae vitio laboret; praeſertim cum nemo vspiam gentium adhuc exſtiterit, humanis vitiis omnibus prorſus expers. Vlyſſes itaque, exempli gratia, ex impiis ſaeuiſſimi Cyclopis manibus vix elapſus, imprudenter egit, dum, aliquantum remotus ab antro, inſultare ipſi atque illudere auſus eſt, nouoque periculo caput ſuum obiicere; ſed ob hanc vnam imprudentiam, ſolertis, ſagacisque viri laudem atque indolem nequaquam amittit. Aeneas apud Virgilium credulitate, atque infirmitate miſerae Didonis praue abutitur, non tamen pietatis atque rectitudinis exemplum eſſe deſinit. Profecto ſi Zoilos iſtos audire debeamus, neque Dauid, qui adulterii et homicidii ſcelus patrauit, et quaedam alia, quae ſacrae literae teſtantur, vir probus habendus erit, dignusque, qui alicuius epici carminis heros conſtituatur, quem alioqui tam inſigni laude ipſemet Deus extulit, vt, virum fuiſſe iuxta cor ſuum, diſerte adfirmauerit. Quid? quod, quemadmodum quaeuis aetas peculiares quasdam virtutes oſtentat, ita etiam peculiaria quaedam habet vitia? Quae diligenter ex Horatii praecepto expendere debent ſcriptores, ſi ſolertiae famam ſibi comparare velint:

Tu, quid ego et populus mecum deſideret, audi.
Si plauſoris eges aulaea manentis, et vsque
Seſſuri, donec cantor, vos plaudite, dicat,
Aetatis cuiusque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus, et annis.

Quam-

Quamquam vero diuerſas, ſibique breui curriculo ſuccedentes, humanae vitae aetates Horatii monitum attingat, cadere tamen aptiſſime poteſt in diuerſas etiam aetates mundi, quae adpellantur ſecula, quaeque, vtpote longioribus quibusdam terminis definitae, multo maiorem morum diuerſitatem recipiunt. Cum itaque belli Troiani ſeculum, quod Homerus enarrandum ſuſcepit, longe alios a noſtris mores prae ſe tulerit, nondum faſtu atque mollitie hominibus diffluentibus, ii, qui rudes ſunt antiquitatis, pleroſque heroum mores ab Homero deſcriptos, veluti humiles, iacentes atque ſordidos faſtidiunt, cum tamen, ſi quis diligenter ſecum reputet atque examinet, et antiquam eruditionem, quae iucundiſſima eſt, deguſtet, mores illi ſimplices atque faciles, iisque, quos ſacrae paginae ſanctis illis atque praeſtantiſſimis veteris teſtamenti viris attribuunt, per quam ſimillimi, fore, vt ſibi magis adlubeant puto, quam deteſtabilis conſecutorum temporum luxus, qui ad noſtrum vsque ſeculum ita excreuit, vt iam magnitudine laboret ſua. Videtisne, optimi auditores, Homeri criminatores in Homero id reprehendere, quod maxime laudare debeant? Atqui ego contra tunc Homerum criminandum eſſe cenſerem, ſi ab eius ſeculi moribus in ſuis carminibus defeciſſet, aliosque mores plane inſolentes arbitratu ſuo confinxiſſet. Stultum eſt igitur, in Homero Gallorum, aut Italorum mores, noſtrique ſeculi inſtituta deſiderare, qui non Italis, non Gallis, nec noſtrae aetatis bella, aut vitae conſuetudinem, ſed Troianum bellum ſuis Graecis deſcripſit, quod triginta circiter ſecula a nobis diſtat, et in moribus eius temporis exprimendis totus fuit.

DISSER-

DISSERTATIO X.

DE ACHILLIS CONVICIIS ET LATINA HOMERI AD VERBVM VERSIONE.

SYNOPSIS.

Non Homerus, ſed interpretes, aut etiam ipſa Latina lingua culpanda eſt, quod multa ab eo dicta ſqualere videantur, et eſſe ſordida. Homerus, qualem exhibent interpretes, Helenae demortuae adſimilatur. Si quis Boccaccium atque Dantem ad verbum latine interpretaretur, eos miſerrime deformaret. Achillis conuicia ſingillatim explicantur atque illuſtrantur. Canis impudentia deſcribitur. Agamemnon in pugna vitae necisque habuit poteſtatem, in concione, ceterisque, non item.

Superiore diſſertatione polliciti ſumus, auditores, ea nos conuicia hodierno die fore expenſuros, quae Achilles, ira percitus, in Agamemnonem iactat, vt planum fiat, an errauerit Homerus, dum tam inclytum ac generoſum ducem eiusmodi contumelioſas voces effundentem facit, quibus, vt iſti aiunt Homeri cenſores, abiectiores alias atque turpiores, neque ipſe Therſites, effundere poſſet. Quod vt recte exſequamur, conſultum erit, ea ipſa conuicia, vt Homerus habet, Graece prius audire.

Sic *Iliad. l. 1,*

Ὦ μοι ἀναιδείην ἐπιειμένε, κερδαλεόφρον.
Οἰνόβαρες, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην τ' ἐλάφοιο.

Quae ad hunc ferme modum, verbum verbo reddentes, latine verterunt interpretes:

Vah! impudentiam indute, vulpinis moribus praedite!
Vino grauate, canis oculos habens, cor vero ceruae!

Equidem fateor, haſce contumelioſas voces, ita latine redditas, admodum ſqualere, videri ſordida, tantoque viro, qui effundebat, indigna. Verum non haec Homeri culpa eſt, ſed interpretum; ſique interpretes ipſos excu-

ſare

ſare velimus, latinae linguae culpa eſt, ſiue etiam aliarum, quae vocibus adeo pulcris, adeo nitidis, tantaque ſignificatione, tamque pleno ſono praeditis, vt ſunt voces graecae, deſtituuntur. Quamobrem multa, quae in graeco fonte praeſtantiſſima ſunt, venuſtatemque prae ſe ferunt elegantiſſimam, totidem verbis in alium quempiam ſermonem conuerſa, tam miſere labefactata exſiſtunt, vt non amplius delectationem legentibus adferant, ſed moleſtiam adhibeant. Profecto, qui Graecae linguae pulcritudinem, nullis verbis exprimendam, intime norunt, in eiusque contemplatione totis ſenſibus defixi, maxima, quae inde enaſcitur, voluptate perfunduntur, aegre ferunt, et vehementer indignantur, huiusmodi verſionum vitio apud eos, qui Graece neſciunt, graecae linguae, Graecorumque ſcriptorum dignitatem infringi, exiſtimationemque conuelli. Helenam ante mentis oculos vobis conſtituite, auditores, eiusque ſine exemplo pulcritudinem, qua omnium aetatum feminas longe ſuperauit, reputate. Nonne tam eximia corporis ſpecie ad miraculum exculta erat, vt maximam iis populis, cum quibus eſſet, felicitatem tribuere exiſtimaretur? Nonne totam Aſiam diuini oris quibusdam veluti praeſtigiis adeo illexit, vt Troiani ſenes, eam inſpicientes, ſuccenſendum non eſſe dictitarent, Graecos, Troianosque pro muliere, tantam praecellentis formae dignitatem prae ſe ferente, grauiſſimos belli labores tam longo tempore perferre? *(Iliad. l. III.)*

Οὐ νέμεσις Τρῶάς τε, καὶ ἐυκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῇ δ' ἀμφί γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.

Ne Troas culpes, validos et crura Pelasgos,
Si talis miſcet diuturno femina bello.

Verum hanc ipſam Helenam, quae incredibile pulcritudinis prodigium fuit, quae tam blande intuentium oculos adliciebat, quae tam arcte omnium corda deuinciebat, quae vel in grauiſſimos viros tyrannidem exercebat, nullo praeſertim adſcito fuco exornata, ſed natiuis deliciis ſatis ſuperque ferox, hanc ipſam, inquam, Helenam mortis iam

iam falſae demeſſam, et in loculo iacentem, ſpectate. Cernitisne genas illas, in quibus Gratiae inſidebant, turpi ſqualore pallere, nitidum illum, tantaque cum ſuauitate temperatum colorem defloruiſſe, totum corpus ſine ſucco, ſine ſanguine miſerandum in modum tabuiſſe, oculos non amplius ardentes, et ignita tela eiaculantes, ſed prorſus exſtinctos, ſuisque in orbibus incluſos, vt non iam ipſa ſpectantium animos ad ſe rapiat, ſed maximo horrore compleat? Si quis autem ex eo cadauere, macie confecto, de Helenae venuſtate, quae tam inſignis fuiſſe depraedicatur, ferre velit iudicium, nonne communi veſtro omnium ſuffragio ſtultum, dementemque haberetis? Viuam, inquitis, ſpirantemque Helenam, vt quis de eius pulcritudine recte iudicet, non demortuum Helenae cadauer, oportuit intueri. Atqui id ipſum de Graeca lingua vobis eſſe ſentiendum, putate, auditores. Ea ſiquidem aliarum omnium (ſinite, vt, quod in alio ſermone attigi, in hoc etiam repetam, atque confirmem) formoſiſſima, veluti Helena eſt, nobilitate, elegantia, ſplendore, vi, ceterisque ornamentis, quibuscumque adeo cumulate praedita, vt grauiſſimae ſimul atque pulcherrimae reginae inſtar, celſiſſimo in throno ſedeat, ceterasque omnes ſibi ſubiectas habeat et ſceptro regat: at ſi eam apud interpretes intueamini, non iam graecam linguam illam, maieſtate atque forma enitentem videre licebit, ſed luridum quodpiam atque tenebricoſum linguae graecae cadauer. Homerus itaque, in aliam linguam, maxime vero ad verbum, conuerſus, vix vllum habet ſpiritum, ſed miſere iacet exſuccus atque exſanguis, deſtructo robore, eliſis neruis, omnique lepore foedato, atque corrupto. Iis ſane, qui graece periti ſunt, triobolares iſti interpretes, inſtar Virgiliani Mezentii, ſqualidum et putidum latinae verſionis cadauer graeco poëtae animato et viuido adligare viſi ſunt.

Quod vt planius faciam, peto a vobis, auditores, ſi quis eloquentiſſimum Boccaccium, diuinumque Dantem, quorum eximia virtute atque ſolertia vernaculus ſermo noſter in tam ſublimem locum euectus eſt, vt a ceteris na-

tionibus maxima cum inuidia ſuſpiciatur; ſi quis, inquam, ad verbum latine interpretaretur, quemadmodum latine redditus circumfertur infelix Homerus, nonne eorum pulcritudinem atque praeſtantiam miſerrime deformaret? Quis eos ſine ſtomacho poſſet euoluere? Quis veſtrum interpreti illi non ſuccenſeret, dirasque omnes non imprecaretur, qui tanta audacia, tanta temeritate ſcriptores illos, in eloquentia maximos, fecerit infantiſſimos, tantamque illis iniuriam inferre non erubuerit? Credite, auditores, Graecam linguam, quae (veſtra pace dixerim) multo venuſtior eſt, quam noſtra, longe maius damnum, longe grauiorem iniuriam accipere ab iis, qui latine verbo tenus Homerum ſunt interpretati.

Sed iam ad Achillis conuicia regrediamur. Qui probe graecum ſermonem calleat, earumque vocum vim ac nitorem aeſtimare valeat, plane videt, non eumdem Achillis, atque Therſitae, Agamemnonem increpantium, eſſe ſermonem, quantumque inter vtriusque verba, quibus illum laceſſunt, interſit. Nihil igitur humile, abiectum, ſordidum in Achillis increpatione adparet: nam voces illae, ἀναιδείην ἐπιειμένε, κερδαλεόφρον, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, pulcherrimae quidem in genere ſuo ſunt, neque viro, quem ira ad iurgandum impellat, indignae. Quodſi cui ea loquendi formula ἀναιδείην ἐπιειμένε, *impudentiam indute*, diſpliceat, regius quoque Pſaltes illi diſpliceat, neceſſe eſt, qui eadem fere vtitur, vbi ait, *induit maledictionem ſicut veſtimentum*, Pſ. CVIII, 18. quae tamen per quam optima eſt loquendi ratio, et ad rem ſtrenue ſignificandam aptiſſima. Nonne impudentia ceteris vitiis, quae hominem maculant, adnumeratur? Vitia vero et virtutes nonne animorum veluti quosdam eſſe habitus philoſophi docuerunt? Neque item Achillis dignitatem dedecet, *vulpina mente praeditum* Agamemnonem adpellare. Nonne enim et ipſe Chriſtus dominus *vulpem* nuncupauit Herodem? *Dicite vulpi illi?* Luc. XIII, 19. Denique *canis oculos habentem* vocat, quemadmodum, et Iſaias prauos paſtores *canes impudentiſſimos* dixit LVI, 8. Quis enim ignorat, inter omnes animantes impudentia

canes

canes excellere? Maxime enim omnium animalium in propatulo coeunt, nihil verentur, non tenebras, non latibula turpitudini quaerunt. Quapropter merito Diogenes, eiusque ſectatores, propter inſignem, quam tum verbo, tum re, impudentiam prae ſe ferebant, Cynici, id eſt, canini philoſophi, ſunt nuncupati. Euſtathius quoque notat, impudentem morem ἦθος κύνεον, videlicet caninum, dictitari. Similiter Helenam κυνώπιδα paſſim adpellat vates, inuerecundae ſcilicet perfrictaeque frontis, vtpote quae, relicto viro, adulterum ſequuta ſit, et pellex adoleſcentis aduenae, et barbari, quam coniux ſpartani regis, eſſe maluerit. Cum igitur Agamemnoni impudentiam ſingularem exprobrare vellet Achilles, nullo ſignificantiore vti verbo potuit, quam eo, quo vſus eſt, κυνὸς ὄμματ' ἔχοντα, *caninos oculos habentem*, illum adpellando. Neque vero mirum debet eſſe cuiquam, Achillem ab Homero deſcribi cum Agamemnone rixantem et conuiciis non abſtinentem. Agamemnon ſiquidem ita rex erat, vt belli quidem rem arbitratu ſuo regeret, in ceteris vero pari paene iure cum aliis ageret; quod lib. III. ciuilis doctrinae teſtatur Ariſtoteles, vbi tradit, Agamemnonem in pugna vitae necisque habuiſſe poteſtatem, in concione ceterisque non item. Quapropter non ſolum Achilli Agamemnonem iurgiis laceſſere, ſed etiam ipſi Therſitae impune licuit; quamuis multum, vt aiebam, interſit inter Achillis et Therſitae conuicia. Itaque, non aberraſſe a decoro magnum Homerum, conſtat, cum Achillem inducit aduerſus regem Agamemnonem verba facientem liberius, et regem eius iurgia ſummo imperio non coërcentem; neque enim Graecorum dominus erat Agamemnon, ſed in conflictu tantummodo ſupremus graecarum copiarum moderator.

DISSERTATIO XI.

DE IISDEM CONVICIIS, LATINISQVE HOMERI VERSIONIBVS, TVM AD SENTENTIAS, TVM AD SINGVLA VERBA, CONFLATIS.

SYNOPSIS.

Nulla Homeri interpretatio, licet ſummo ſtudio atque diligentia elaborata, graecam elegantiam exaequare vmquam poterit. Laus Annae Daceriae, quae gallico ſermone nitidiſſimam Homeri interpretationem dedit. Similitudo quaedam Homerica, a bobus ducta, defenditur, atque illuſtratur. Epitheton βοῶπις, Iunoni a poëta attributum, aptiſſimum eſſe oſtenditur ac pulcherrimum.

Quantum Homero nocuerint, eiusque gloriam euerterint latinae verbo tenus interpretationes, quae circumferuntur, alia iam diſſertatione, ſi meminiſtis, oſtendimus, auditores, in qua conuicia illa, quibus iratus Achilles Agamemnonem proſcindit, quamuis ſordere apud interpretes videantur, nequaquam tamen in graeco contextu obſcura eſſe, aut Achille indigna, abunde docuimus. At ſi quis, dicet aliquis, multo cum ſtudio et diligentia ſiue in latinam, ſiue in aliam linguam non verba ſingula perſecutus, ſed ex ſententiae ratione, illum conuertere enitatur, eritne vmquam, vt in aliena lingua ita legentes adficiat, quemadmodum adficit in ſua? Nequaquam, auditores. Nam qualiscumque demum interpretatio illa ſit, et quantauis interpretis ſolertia, verborumque ſplendore exornata, maximo ſemper aberit interuallo ab Homerica, quam nemo vmquam adſequetur, incredibili ſermonis elegantia. Tanta enim ſunt apud illum ſermonis lenocinia, tantus nitor ac proprietas, tam ſonorus leniterque fluens numerus, tam viuidi ſpirantesque, quibus res omnes expingit, colores, vt natiuam pulcritudinem paene omnem in externo ſermone amittat, quum nullis ſermo alius e proprio penu paria ornamenta proferre poſſit, quibus illum conueſtiat. Ac veluti plantae fruticesque Americani amoe-

amoeniſſimi ſoli generoſos illos ac ſalubres ferentes fructus, quibus potum plane diuinum conficimus, tanta ſuauitate et dulcedine cumulatum, vt non amplius beatis Diis nectar inuideamus; ſi quis in alia loca transferre conetur, quouis elaborante cultore, minime proueniunt, fructumque vel nullum pariunt, vel tenuiſſimum, illumque exſuccum et inſuauem (quandoquidem ſibi conuenientia loca, quibus innaſcuntur, et peculiare coelum illud ſingulariter amant): ſic et Homerus in graeco ſermone florentiſſimus atque vberrimus, carmina, quouis melle dulciora, quouis nectare ſuauiora effundit; at ſi in alium ſermonem aſportes, laetiſſimo exſiccato virore, miſere ſterileſcit et languet. Equidem puto, nullam aliam Homeri verſionem ad haec vsque tempora prodiiſſe in lucem, ea praeſtantiorem, quam Anna Daceria gallico ſermone dedit, feminarum multo doctiſſima, neque Galliae tantummodo, ſed totius literariae reipublicae praeclariſſimum ornamentum, adeo, vt vel literatiſſimis viris omnigena eruditione, in qua plurimum valuit, ſaliuam mouere poſſit. Homerum igitur gallice interpretata eſt, atque illam interpretationem omni gallicae linguae, quae ſane eſt elegantiſſima, nitore ac proprietate mirum in modum inſtruxit, vt nihil ſupra in quauis elaboratiſſima verſione deſiderari poſſe videatur. Nihilominus graecas Homeri veneres, graecam elegantiam, graecos lepores, vt ipſamet probe ſenſit, candideque faſſa eſt, exaequare minime potuit. Quantum enim picta lux diſtat a vera, tantum verſiones, vtcumque elegantes ac nitidae, ab Homeri ſtilo ac dictione ſemper ſuperabuntur. Fateor tamen, ſi hac diligentia curaque Homericae verſiones omnes, vt deceret, concinnatae eſſent, non ea tunc in illis barbare ſordideque dicta offenderentur, quae apud graeci ſermonis imperitos non parum eleuant tantum vatem, faciuntque paene ridiculum. Atque id plane eſt, quod in laudatiſſima Daceriae verſione praecipue commendes, quod Homeri exiſtimationi atque honori maxime conſultum voluit, omnem operam, laborem ac ſtudium impendendo, vt reddendis Homericis vocibus alias contra in gallico ſer-

mone adinueniret, quibus ſententiae non humiliter concidercnt, ſed multa cum dignitate adſurgerent; quin immo maluit vnam vel alteram interdum voculam omittere (quod eam, licet graece optimam, gallicae linguae ingenium non patiebatur), quam illam indecore vertere: in qua re veniam illi dandam exiſtimamus. Quamuis enim huiusmodi praetermiſſione fidelis interpretis partes prorſus non impleuerit; quod tamen admodum raro, et in rebus longe minimis fecit, nihil ferme auctori, quem interpretata eſt, detraxiſſe videtur, ſed eius dignitatem ſervaſſe incolumem, et e malis duobus prudenter elegiſſe, quod minus erat. Id ipſum igitur et in ceteris in alias linguas verſionibus optaremus ſimiliter praeſtitum. Quamvis enim verſionem nullam ad Homericam perfectionem pertingere poſſe adfirmauerimus, iterumque adfirmemus; at ſaltem eius ſententiae alterius linguae elegantibus verbis nitidaque dictione exprimi debuerunt. Nam vt conuicia Achillis, in Agamemnonem iactata, quae, vt turpia, a quibusdam improbari diximus, repetamus, ſi quis ad ſingula verba confectam interpretationem illam abiiciat, videlicet: *Heu! impudentiam indute, vulpina mente praedite, vino grauate, canis oculos habens, cor vero ceruae;* Si quis, inquam, eam abiiciat, et hanc aliam, paulo quidem liberiorem, ſed aliquanto elegantiorem, numerisque adligatam, reponat:

Heu! prauis inſtructe dolis, velut improba vulpes,
Omnem qui exueris perfricta fronte pudorem;
Lumina habens, temulente, canis, ſed pectora ceruae.

nonne horum conuiciorum ſqualorem illum deliteſcere, et quampiam orationis lucem in iis ſuboriri arbitremini, neque amplius generoſo Achilli indecora eſſe? Adeo verum eſt, tam mirificam in verbis latere vim, et plane incredibilem, vt ſaepe in huiusmodi verſionibus, vel vnam voculam immutando, totius ſententiae faciem immutaſſe videaris; et vnum potius, quam aliud vſurpando vocabulum, aut nitentem, aut ſqualentem orationem feceris:

pondus

pondus ſiquidem ac dignitas ſententiarum in verbis omnino ſita eſt.

Quam rem vt ad veſtram vberiorem intelligentiam explanem, optimi iuuenes, qui me duce graecas literas conſectamini, ſinite, vt vobis in memoriam redigam ſimilitudinem illam, qua aptiſſime Homerus vtitur circa finem libri decimi tertii Iliados, vbi Aiaces, virtute maximos, ac duo eiuſce belli fulmina, dum ante ſuas ipſorum copias, vno quaſi iugo nexi, ſtabant inuicti, Hectorisque ac Troianorum impetum, murum illum graecarum nauium propugnaculum inuadentium, ſuſtinerent, duobus comparat bobus, qui, pari greſſu ac labore aratrum trahentes, nouale proſcindunt, largiorique inter laborandum ſudore diffluunt. Nonne recordamini, quemadmodum vnus veſtrum, non minus ingenii laude, quam maiorum ſplendore commendatus, quod, Homeri adhuc inſuetus, ad graecam domi noſtrae haberi ſolitam exercitationem quopiam die audiendam acceſſiſſet, imaginem illam boum aduerſantibus auribus exceperit, eo quod ea ſibi videretur explicare quidem rem dilucide atque appoſite, ſed illorum duorum heroum dignitatem imminuere, illos velvti par boum exprimendo? Hanc vero in nobiliſſimo iuvene offenſionem ex eo naſci adfirmabam, quod vocabulum illud *boues* tum in latino, tum in Etruſco ſermone videatur ſorteſcere; quum contra vocabulum βόε, quod eo loco habet Homerus, nitidiſſimum certe ſit apud Graecos, neruoſamque habeat ſignificationem, praeſertim vero epitheto illo ſuffultum οἴνοπε, ſcilicet *nigri*, ita vt βόε οἴνοπε latine reddatur, *par boum nigrorum*. Atque hinc inferebam, ad ſuam perquam pulcherrimae ſimilitudini illi dignitatem reſtituendam, elaborandum eſſe, vt, amota voce illa, in latino ſermone plane obſcura, alia loco eius ſufficiatur, quae latine ſplendeat. Haec vero vbi explanaſſem, vosque, pro veſtraque in me audiendo humanitate, attentius accepiſſetis, ac probaſſetis, ſi quis igitur, tunc e veſtro coetu alter genere item, praeſtantique ingenio conſpicuus, opportune ſubdidit, ſi quis igitur non *boues*, ſed *tauros* interpretur (nam et tauri aratro inſerviunt),

viunt), protinus adparebit, ſimilitudinem hanc, etiam latine verſam, eſſe praeſtantiſſimam. Dicenti haec vna mecum annuiſtis, et plauſiſtis omnes, et tamquam praeceptorem, dum tam ſolertem animaduerſionem attulit, ſuſpexiſtis.

Anne igitur infitiari quispiam poterit, e peculiari verborum in vnaquaque lingua dignitate rerum quoque dignitatem maxime dependere. Atque idcirco non Homero vitio dandum, ſi quid abiecte atque indecore dictum in latina verſione occurrerit, ſed iſtis e vulgo interpretibus, qui nimium ſeruiliter vertunt, nullamque latinae proprietatis rationem habent?

Sed antequam ſermoni huic finem impono, nonnulla adferre placet, quibus vox illa βοῦς illuſtretur, oſtendaturque, ſplendidam eſſe apud Graecos, ſuamque obtinere dignitatem. Mecum itaque voces illas perpendite, auditores, βούλιμος, βουγάϊος, βοῶπις, quae omnes particulam βȣ habent in compoſitione. Quae particula nihil quidem per ſe, atque ſeorſim, ſignificat, ſed tamen eas voces, quas componit, intendendi atque exaugendi vi praedita eſt, a *bouis* nempe magnitudine, vnde deducitur. Βούλιμος enim ſignificat *magnam famem*, βουγάϊος *magnum iactatorem*; βοῶπις vero, frequens Homero Iunonis epitheton, mulierem denotat, magnos rotundosque habentem oculos, ac proinde decoros. Cum igitur nemo vmquam, qui graece ſapiat, dubitare poſſit, quin ſplendidae ſint atque optimae voces illae, ſplendidam quoque eſſe vocem βου, ſiue βοῦς, ex qua conflantur, neceſſe eſt. Atque hic obiter notandum, quantum iniuriam Homero fecerit latinus interpres (quod in idem recidit, quod ſuperius diſputabamus) hemiſtichium illud, βοῶπις πότνια ἥρη, ſaepius a poëta iteratum, perperam vertendo *bouinis oculis veneranda Iuno;* quo nihil vmquam ſqualidius atque obſcurius latine dici poterat. Quapropter nitore illo, quem graece habet, prorſus exſtincto, miſerum in modum obſoleſcit, legentibusque horrori eſt. Βοῶπις igitur (vt explicat Heſychius) idem eſt, ac μεγαλόφθαλμος, ſiue εὐόφθαλμος. Magni autem in muliere,

liere, latique oculi, ac multum hiantes, pulcherrimi Graecis maxime, atque Hebraeis habebantur, ita, vt pulvis, ſiue medicamentum quodpiam confici ſoleret, *ſtimmi*, ſiue *ſtibium* adpellatum, quod, Plinio teſte lib. XXXIII. c. 6. ad prolatandos oculos idoneum, mulieres adhibebant. Quem puluerem eumdem eſſe non dubitamus, atque illam fuliginem, qua, Tertullianus ait, ſui temporis mulieres oculos porrigere, oculorumque exodia producere conatas eſſe. Et quarto regum libro de Iezabele legimus, oculos ſuos depinxiſſe ſtibio. Ex quibus omnibus liquido conſtat, magnos oculos in muliebri oris ſpecie ac dignitate non vltimum obtinere locum, ideoque prudentiſſime egiſſe Homerum, eos Deabus, praecipueque Iunoni, attribuendo. Cur igitur nebulones iſti Homerum ludificantur, quod bouinos oculos Iunonem habere dixerit? Atqui non Homerus, ſed interpres ita ſordide, tantaque cum labe locutus eſt. Homerus ſiquidem elegantiſſime dixit βοῶπις πότνια Ἥρη, quae forſitan verba aliquanto melius et concinnius verterentur

Expaſſis oculis formoſa, auguſtaque Iuno;

quod nemo vmquam ſanae mentis, tamquam indecore de Iunone dictum, culpare poſſet. Homerum igitur, principem poëticae facultatis, reueremini, auditores, dictionemque illius, vbique ſuauem, plenam ſucco, omnibusque lenociniis emollitam, lubenti promtoque animo deoſculamini; neque vmquam ob interpretum ſiue barbariem, ſiue oſcitantiam, deſpicatui habeatis, quod, mea quidem ſententia, in re literaria ſcelus eſſet omnium maximum atque inexpiabile.

DISSERTATIO XII.

ITERVM DE HOMERI VERSIONIBVS.

SYNOPSIS.

Amanti nihil iucundius, quam amicae laudes iterum ac ſaepius pertractare, eiusque pulcritudinem aduerſus calumniatores tueri. Quo abſolutius exemplar, eo difficilius eſt, illud imitando exprimere. Homerus epicum carmen occoepit, perfecitque. Homericae praeſtantiae amplificatio. Homeri elegantiam nullus interpres in aliam linguam transferre poteſt. Magis Homero verſiones obſunt verbotenus confectae, quam quae liberiore ſtilo ſententias conſectantur. Tullius multa vertit e Graeco, non, vt interpres, ſed vt orator. Vtilitas huiuſcemodi ſtudii ac laboris. Interpretationes ad verbum quibus ſint vtiles. Antonii Mariae Saluinii, eiusque Italicae verſionis commendatio. Quantum in deliciis Homerum habuerit Claudius Belurgerius.

Nihil dulcius, nihil iucundius amanti eſt, auditores, quam amicae laudes, in cuius amore intimis ſenſibus haeret, iterum ac ſaepius pertractare. Ac, ſi quis forte in illam contumelioſus exſiſtat, vt egregias tum corporis, tum animi dotes, quae illam exornant, ſiue imperitus, ſiue improbus rerum aeſtimator, nullo in pretio habeat, aut etiam conuiciis laedat, difficile dictu eſt, quanta ſit amantis illius cura et ſollicitudo, vt eam ſtrenue tueatur, vindicet, defendat, et os omnino calumniatoribus obſtruat. Iam vero finem nullum dicendi facit, donec amicae pulcritudinem, ornamenta, laudesque omnes apud illos probari videat, qui improbabant. Et ſane illi parcendum putatis, ſi in eo ſuauiſſimae amicae, quam plus oculis diligit ſuis, officio praeſtando nimius adpareat; quandoquidem amori nihil vmquam eſt ſatis. Quae cum ita ſint, mihi quoque parcendum eſſe, putate, humaniſſimi auditores, ſi, poſtquam non nullis habitis iam diſputationibus, Homerum aduerſus criminatores quosdam tutari, pro mea facultate, ſtuduerim, eiusque incredibilem elegan-

elegantiam, ſingularesque virtutes depraedicare, atque illas iſtarum, quae circumferuntur, verſionum culpa partim obſcuratas eſſe, partim prorſus euerſas, prolixe conqueſtus ſum, argumentum idem rurſus attingo, aliumque de eadem re hodierno die vobis ſermonem adfero; vt ſimul immenſo amori, quo in diuiniſſimum vatem hunc adficior, paulifper adhuc indulgeam, ſimulque vos, ornatiſſimi adoleſcentes, ad eum pari ſtudio colendum, amplectendum, exoſculandum impellam. Quod vt exſequar, iam mecum illud animaduertite, quo nobilius atque abſolutius exemplar, ſiue archetypum eſt, eo laborioſius eſſe, ac difficilius, rite illud imitando efformare, perfecteque exprimere. Nam ſi quis mirabiles, vitaeque ſpiritu tantum non calentes, Raphaëlis Vrbinatis, vel Andreae Sartii tabulas expingere ſtudeat, quamuis pingendi artem probe calleat, ſolertiamque omnem, in peragendo opere impendat, ſi tamen aemulum opus illud ad archetypi rationem exigatur, ſtatim adparebit, perfectionem, abſolutionemque illius cumulatiſſime adſecutum non eſſe, nec linearum ductus, partium congruentiam, colorum temperiem, vmbrarum receſſus ac demiſſiones, exultantes luminum eminentias tam ſcite imitari potuiſſe, vt nihil amplius non in illo deſideres ac requiras. Nullus poetarum adeo numeris omnibus abſolutus exſtitit vmquam, ſicuti Homerus eſt, qui, teſte Paterculo, epicum carmen primus occoepit, perfecitque, quae certe vatis huiuſce gloria eſt ſingularis: nam ceteri quidem rerum inuentores rudes ferme ſunt atque impoliti, et laudem vtramque haudquaquam tulerunt, vt iidem res inuenerint et ad perfectionem adduxerint. Cum igitur, quae Homerus edidit, poëmata veluti picturae ſint abſolutiſſimae (nam, quemadmodum monet Horatius, *vt pictura, poëſis erit*) vtrumque ingenio valeat ac diligentia, qui eorum exemplum effingit, ſcilicet in aliam linguam conuertit, numquam exemplum dabit, quod ab archetypi laude atque praeſtantia non longiſſime abſit. Quam laudem Vulcano tribuit Homerus *Iliad. lib. XVIII.* quod tripodas vitali motu praeditos faceret, ita, vt ſponte ſua atque,

vt

vt Graeci dicunt, *αὐτομάτως* ad Deorum coetus progrederentur, ipſemet, meo quidem iudicio, maxime promeritus eſt, auditores. Ipſum enim mirificum illum artificem eſſe iure optimo dixeris, qui brutis rebus, ſenſuque carentibus animam proſae indere, et carmina vitae plena; fereque ſpirantia perpetuo fundere viſus eſt, vt Ariſtoteles adfirmare non dubitauerit, e poëtis omnibus vnum Homerum ſciuiſſe nomina et vocabula, quibus motus et vita inſit, effingere. Cantus illius Sirenum cantus eſt, qui tanta voluptate audientium aures mentemque demulcet, vt nihil vmquam exaudiri poſſit iucundius. Non eum ex ſe ipſo putes ea carmina confinxiſſe, ſed omnia certe illi adflaſſe Muſam illam, quam principio inuocat atque, vt ſibi adſit, precatur. Adeo facilis vbique eſt, ſolidus, nobilis ad perſpicuus! tam leni dulcique ſono vbique fluit! Quodque magis admireris, ad tenues etiam atque humiles quaspiam res, ſiue compellandas, ſiue deſcribendas, quandoque deſcendens, tanta id cum ſagacitate et iudicio facit, vt numquam in earum pertractatione concidat et ſordeſcat; cum res quaelibet, eius ſtilo deſcripta atque enarrata, quandam recipere dignitatem, et, paene dixerim, alia fieri videatur. Ea ſiquidem fuit ingenii dexteritate, vt attollere atque exornare, quidquid voluerit, ſciverit. Nam mira ſolertia exilium rerum nominibus, ſonoras quasdam nitidasque particulas admiſcet, quaeque per ſe ipſa ſeorſim caſura videbantur, ſiue indecore exitura, epithetorum aut granditate, aut lepore opportune fulcit, quibus quidquid in rebus eſt turpitudinis, aut iniucunditatis, probe tegatur et deliteſcat. Vno verbo, quidquid attrectat, protinus conuertit in aurum. Verum, proh dolor! aurum illud purum putum atque emicantiſſimum, multum palloris qualibet interpretatione ſubaeratum contrahit. Elegantiae illae ac lepores, quibus nihil vmquam fuit, nec eſſe fortaſſe potuit, venuſtius, miſere apud interpretes deſloreſcunt et pereunt. Fatemur tamen, multo maiorem aurea poëtae iniuriam inferre, vt alio ſermone fuſe demonſtrauimus, verſiones illas, quae nimis putide ac ſeruiliter ad ſingula verba conſinguntur,

quam

quam quae liberiore ſtilo ſententias conſectantur. Quamvis enim Homerum, qua elegantia ac praeſtantia eſt, nemo vmquam interpretum in aliam linguam transferre poſſit, at ſaltem, quae concinne ac decore adornantur, verſiones eius gloriam atque exiſtimationem non ita deſtruunt apud eos, qni cum Graecas literas non nouerint, Homeri intelligentiam ab interpretibus mendicare opus habent; quemadmodum nefarie peſſumdant abſurdiſſimae illae interpretationes, quae loquendi modo agreſti et ferreo ſplendidiſſima eius dicta obturbant atque obcoecant, elegantiſſimumque vatem tam hiſpidum et confragoſum faciunt, vt plane horrori legentibus ſit; qui proinde cum apud huiusmodi interpretes non intelligant, et dictione barbara, ſordidaque inquinatum videant illum, ſtomachantur, et ludibrio ac riſui ſceleſtiſſime habent. Verum non cuiuslibet e vulgo eſt, verſiones illas cum dignitate atque elegantia concinnatas dare, quae et laborem diuturnum, ingenium acre, ſolidum, ſublime, fecundum, in vtraque lingua exercitatiſſimum poſtulant. Tullius, qui multa e graeco in latinum ſermonem tranſtulit, maximeque celeberrimas illas viciſſim accuſatorias orationes Demoſthenis atque Aeſchinis, vt teſtaretur, ab ea ſervili interpretandi ratione ſe abhorruiſſe, *verti*, inquit, *non vt interpres, ſed vt orator:* eiusque deinde veſtigia perſecuti, graecos ſcriptores tum in latinam, tum in alias linguas, doctiſſimi viri permulti conuerterunt. Quod ſane ſtudium ac laborem vtiliſſimum duco: is ſiquidem, qui adhunc modum ſcriptores graecos interpretatur, praeterquam quod linguam illam, ad quam eos transfert, diſertiſſime excolit, graecae linguae cognitionem ſibi inſuper comparat abſolutiſſimam, dum in eius penitiſſimos receſſus huiusmodi exercitatione penetrare neceſſe habet. Sed ne arbitremini, auditores, me, vt prorſus inutiles, atque ineptas Homeri, aliorumque Graecorum ſcriptorum interpretationes verbo tenus confectas reiicere ac reprobare, inficias haudquaquam iuerim, non leuem ex iis linguae Graecae tirones percipere vtilitatem, dum illarum ope ac ductu permulta extricant atque expediunt, quae ipſi per ſe nimis

nimis laborioſe adſequerentur. Sunt igitur interpretationes illae quaedam veluti faces, quae ſtudioſis adoleſcentibus, propter imperitiam principio verſantibus in tenebris, viam aperiunt et commonſtrant, grauemque laborem et moleſtiam non parum adleuant: at ab iis, qui graecas literas ſibi adſciſcere neglexerunt, nolim vnquam euolui, tum quia, niſi cum graeco textu conferantur, multis in locis non intelliguntur, tum quia nullam ingerunt legentibus nobiliſſimorum ſcriptorum iuſtam opinionem. Hanc in primis tironum vtilitatem reſpexit deceſſor ac praeceptor meus ſapientiſſimus, cuius nomen et gloria nulla vnquam obliuione delebitur, Antonius Maria Saluinius, ὁ μακαρίτης, cum Homerum, paene ad verbum interpretatus, Italis auribus impertiit; quam verſionem, etſi graecae linguae ſtudioſis quam maxime vtilem, iisdemque non iniucundam, atque illepidam commendamus, attamen omnino probari non poſſe dolemus iis, qui, graece imperiti, eam perlegunt: non enim valeat intelligere, quantum vir ille maximus laborauerit, cum Homericis veſtigiis inſiſtendo, Etruſcam ederet interpretationem. Ea ſiquidem eiuſce verſionis praecipua laus eſt, vt, qua licuit, elegantia, graeca Homeri verba totidem ferme Etruſcis verbis, eodem etiam paſſim ſeruato ordine, reddita ſint. Ceterum, ſi ſibi libuiſſet, quis ignorat, licentius interpretando Homeri ſententias tam decora veſte ad Etruſcae linguae et poëſeos leges conueſtire potuiſſe. vt iis quoque, qui, Graeca nobiliſſima chlamyde indutum, illum intueri nequeunt, maxime probaretur?

Sed, vt aliquando vela contrahamus, et ab huius argumenti pertractatione, in quo ſatis diu immorati ſumus, conquieſcat oratio, ſiue ad ſingula verba, ſiue ad ſententiarum rationem, Homerum legatis, conuerſum apud interpretes, credite, auditores, qualibet interpretatione vos fore illum habituros (verbo vtar Hieronymi, quod de Gregorio Nazianzeno, latine verſo, aptiſſime dixit) ſemper plus minus imparem ſui. Atque id tametſi ſatis ſuperque, quo potui, rationum pondere validiſſimarum totis

tis tribus diſſertationibus probare contenderim, fieri tamen non potuiſſe ſentio, vt huiuſce rei certiſſimam veritatem iis omnino perſuaſerim, quibus Homerum graece legere non liceat. Niſi enim adlatis rationibus experientia teſtis accedat, eae fidem numquam pleniſſimam obtinebunt. At ſi quis Homeri venuſtatem experiundo intime norit, ita in eum adficiatur, neceſſe eſt, vt ceteris ſcriptoribus quibuscumque illum anteferat, et ab eius lectione, vel centies repetita, auelli nequeat. De Claudio Belurgerio, Gallo, qui graecas literas Pariſiis docuit, memorat Ianus Nicius Erythaeus, adeo in deliciis habuiſſe Homerum, vt, ne in templo quidem deponeret, ſed in manibus, in oculis, in animo ſemper tuliſſe, et ſacrarum precum loco recitaſſe, obiiſſeque Alexandriae in itinere, quod inſano in poëtam amore, quinquaginta annos natus, ſuſceperat, viſurus campos, vbi Troia fuit, atque omnia loca, quorum Homerus meminit. In qua certe re nemo erit, qui eum non reprehendat, quod nimis inſigniter deſipuerit, et voluptate immodica ſe dementari ſiuerit; at inde profecto liquet, quam immenſa ſit dulcedo illa, qua, qui peruadit Homerum, capitur et perfunditur. Aut igitur linguae graecae cognitio adſiduo ſtudio comparanda eſt, aut de Homeri pulcritudine cognoſcenda, eiusque ſuauitate deguſtanda prorſus deſperandum.

DISSERTATIO XIII.

DE HEROVM AC PRAESERTIM ACHILLIS LACRYMIS.

SYNOPSIS.

Probi viri, etiamſi ſtrenui atque magnanimi, largi ſunt lacrymarum. Exempla e veteri teſtamento petita. Chriſti lacrymae. Locus inſignis D. Baſilii de lacrymis. Omnis prorſus pietatis expers eſt, qui numquam lacrymatur. Fleuit Achilles, tum rapta ſibi Briſeide,

ſeide, tum exſtincto Patroclo. Lacrymae Achillis cum Isboſethi lacrymis comparantur. Lacrymae Agamemnonis. Locus Homeri cum Iereminae verbis apprime conſonat. Fletus Eſaui. Heroum Romanorum, ex ira flentium, exempla tria. Socrates Achillem lugentem ſubſannat in Rep.

Qui ex Homeri reprehenſione laudem captant defoecatioris iudicii, tum multa alia, tamquam indecore ab eo dicta, condemnant, tum maxime frequentes heroum lacrymas, praeſertim vero ipſius Achillis, qui, rapta ſibi Briſeide, magnam lacrymarum vim effundens, ab eo inducitur. Annon, inquiunt, puſilli animi eſt, ac fracti, liberaliter indulgere lacrymis, fletuque diffluere? Nonne faciles, effuſaeque lacrymae magnos atque inuictos heroas dedeceant, quas, vti peculiare imbecillitatis praeſidium, pueris maxime et mulieribus tribuiſſe natura videatur? Equidem fateor, auditores, apud Homerum viros ipſos, bellica virtute praeſtantes, vehementiore aliqua ingruente cauſſa, quae ad flendum prouocet, a fletu ſibi minime temperare, atque idcirco dictum illud de eis ſaepius occurrere

— — *θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέοντες*
Fundentes teneras madide de lumine guttas.

Verum nequaquam abſurdum eſſe, putamus, lacrymari vel ipſos heroas; nequaquam damus, magnorum virorum dignitatem et virtutem lacrymis infringi. Certum ſiquidem eſt, probos viros, quantumuis ſtrenuos, inuictaque fortitudine inſignes, naturali quopiam inſtinctu multum in lacrymas propendere, quibus proinde non imbecillitatis vitio vertendus eſt fletus, quemadmodum pueris et feminis, ſed in ipſis ferme a probitate ortum habere lacrymas, bonaeque indolis argumentum eſſe exiſtimare debemus, ita, vt apud Graecos vulgo iactatum ſit, atque in prouerbium abierit hemiſtichium illud

— — — *ἀγαθοὶ δ' ἐριδάκρυες ἄνδρες*
Vir bonus haud raro lacrymis impletur obortis.

Et

Et ſane quis infitias ire poſſit, virtute maximos, rebusque geſtis praeclariſſimos fuiſſe veteris teſtamenti heroes illos, Abrahamum, inquam, Iacobum atque Ioſephum, vt ceteros ſilentio obuoluam, quos votis ſuis, Ambroſio teſte *de Abr. Patr. l. I., c. 2.* ethnicorum philoſophia non potuit aequare, cum minus ſit, quod illa finxit, quam quod illi geſſerunt. Atqui, non ſemel eos eſſe lacrymatos, ſanctiſſimus Moyſes perhibet, idemque ſapientiſſimus, qui de Ioſepho praecipue, ſingularis certe virtutis viro, et ad celſiſſimae dignitatis faſtigium apud Aegyptios euecto, diſertiſſimis verbis teſtatum reliquit, quod, dum fratribus ſuis, quos diu de induſtria latuerat, ſe ipſum aperiret, natura exſtimulante, *vocem cum fletu eleuauit, quam audierunt Aegyptii, omnisque domus Pharaonis. Gen. XLV*, 2.

Sed quid opus, in hiſce minoribus exemplis adferendis diutius immorari, cum exemplum omnium maximum, et luculentiſſimum praeſto ſit, ipſiusmet videlicet ſeruatoris noſtri, Dei, qui diuinam perſonam ſuam dedecere nequaquam putauit, lacrymas aeque ac ceteri homines fundere? Ipſum enim, qui numquam certe riſiſſe fertur, lacrymas ter fudiſſe, diuini ſcriptores meminerunt. Fleuit ſiquidem Hieroſolymam, hoſtium obſidione vallandam, funditusque diruendam. Fleuit, in monumento foetentem, Lazarum. Fleuit denique, adfixus cruci, cum ſe ipſum pro reparandis hominibus hoſtiam offerret, et cum laeſo iratoque patre ſceleſtos filios, perduellionis reos, conciliaret. Ait enim Paulus *Hebr. V*, 7. *preces illum cum lacrymis et clamore valido obtuliſſe.* Voluit enim Chriſtus, dominus, iis omnibus naturae noſtrae adfectibus, qui vitio carent, omnique labe et turpitudine abſunt, aliquatenus indulgere.

Quae cum ita ſe habeant, quis iam viris inclytis inhoneſtum dixerit, dum magnas in animo ſiue moeror, ſiue commiſeratio, ſiue laetitia, ſiue alius quispiam adfectus, turbas ciet, et ad lacrymandum inuitat, ad rationis modum naturae obſequi, lacrymas emittendo? Si enim ceteris motibus, e natura erumpentibus, obſecundare (dum-

modo rationis leges, aureamque illam mediocritatem quis non praetergrediatur) ſummis quibuscumque viris nequaquam eſt interdicendum, cur ipſis lacrymas etiam edere non liceat ad praeſens atque opportunum laborantis animi leuamentum? Diuus Baſilius nitidiſſimo, neruoſoque eloquentiae genere, quod illi peculiare eſt, et vel ipſi Demoſtheni inuidiam faciat, de lacrymarum origine, quas triſtitia elicit, diſputans, haec habet. *Hom. de grat. act*, A graecis autem auctoris verbis recitandis, quod locus viſus eſt mihi eſſe longiuſculus, conſulto abſtineo, ſatis eſſe ratus, ſi latinam tantummodo adferam interpretationem. *Tunc ſane, naturae impulſione, flere contingit, cum cerebri caua, excitatis a triſtitia, vaporibus referta, per oculorum meatus, veluti per quosdam canales, humoris onus egerunt. Quamobrem, cum res graues ac moleſtae praeter exſpectationem audiuntur, fit tinnitus quidam, vertigoque et oculorum caligo. Si quidem ob vapores, quos calor in interiora contractus ſurſum emittit, vacillat caput, et circum agitur. Deinde, mea quidem ſententia, quemadmodum nubes in guttas, ſic craſſae vaporum partes reſoluuntur in lacrymas. Hinc etiam voluptas quaedam inter lugendum accedit moerentibus, quia, quod ipſos grauabat, id latenter per ploratum eiectatur. Huius autem rei veritatem ipſa rerum experientia comprobat, et confirmat. Nouimus enim multos, grauiſſimis aerumnis preſſos, ſibi per vim a lacrymis temperaſſe, quorum alii poſthac in morbos immedicabiles inciderunt, in apoplexiam videlicet, paralyſimque; alii vero omnino ſupremum diem obierunt, quod eorum vires, quaſi debili quodam fulcro deſtitutae, pondere triſtitiae frangerentur. Nam quod videre licet in flamma, quam fumus proprius, niſi exeat et circumuoluatur, ſuffocat; id etiam in facultate, qua animal conſtituitur, fieri dicunt, nimirum extabeſcere illam et exſtingui prae dolore, ſi nullus ipſi exitus ad exteriora aperiatur.* Hactenus ſapienter quidem ac praeclare, more ſuo, Baſilius, qui certe praecipuam lacrymarum cauſſam declarauit. Saepius enim lacrymas a moerore, animique aegritudine, quam a laetitia, ortum habere experimur. Facilius ſiquidem

ad

ad lacrymandum impellimur, vel cum graui ipſimet calamitate adfligimur, vel cum alios, qui nobis conſuetudine coniuncti ſunt, extremis malis conflictatos conſpicimus. Ceterum vbi lacrymas excutit gaudium, humorem tunc effundi propter meatuum raritatem, qui a geſtientibus ſpiritibus dilatantur, plerique opinati ſunt philoſophorum. Verum vtcumque ex oculis erumpant lacrymae, ab omni certe humanitate remotum, omnisque prorſus pietatis expertem dixerim illum, qui ſiccis oculis ſemper rigeat, neque vmquam teterrimis aliorum, maximeque amicorum, calamitatibus illacrymetur; quorum ferme cauſſa lugentes facit heroas noſter vates. Et revera Virgiliana Dido, Aeneae duritiem incuſans, ait *Aeneid. l. IV.*

Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit? aut miſeratus amantem eſt?

Sed, vt Achillis fletum, ob quem maxime hanc de lacrymis diſputationem inſtituimus, aliquanto accuratius ſubtiliusque examinemus, reputate vobiscum, auditores, quam inſignem grauemque iniuriam, rapiendo Briſeidem viro inclyto, optimeque de Graecis merito, fecerit Agamemnon; quam cum ille (quo erat ingenio) nullo modo concoquere poſſet, triſtitia atque ira, plane immenſa, ſuperatus eſt. Animi vero perturbatione praeualente rationi, nigroque bilis exaeſtuantis fumo natiuam paene vim enecante, vt naturae concederet, lacrymisque conceptum dolorem aliquantiſper leuaret, impos certe ſui adactus eſt. Quid noui, quaeſo, quid abſurdi factum hoc, quod omnino ſecundum naturam eſt, faſtidioſis iſtis cenſoribus adferre poſſit: Hominem Laconicum obiurgauit quidem, quod prorſus fletui et lacrymis, ex intimis viſceribus manantibus, indulgeret. At is libere, reiectaque omni diſſimulatione, *Quid*, inquit *facerem? non enim ego, ſed natura mea mihi excutit fletum.* Τί πάθω, φησίν; οὐ γὰρ ἐγὼ αἴτιος τουτου, ἡ φύσις δὲ μου ῥεῖ. *Aelian. IX, c. 27.* Huc pertinet illud Capitolini de Marco philoſopho. Cum ille mortuum educatorem ſuum fleret, flentemque miniſtri

aulici vellicarent: *Permittite illi*, inquit Antoninus Pius, *vt homo ſit; neque enim philoſophia, vel imperium tollit adfectus.* Quid mirum igitur, ſi Achilles, quantumuis magnanimus atque inuictus, et hoc priore libro ob illatam ſibi iniuriam, raptamque puellam, fleat, fleatque rurſum libro decimo octauo, ploratusque acerbos edat, luctuque contabeſcat, ob Patrocli auditam necem, quem, alteram partem ſui, extrema linea amabat, et ferebat in oculis, natura ſcilicet impellente, illum maximo angore preſſum ad lacrymas? Summum potius poëtae iudicium ac ſolertiam animaduertere, admirarique debemus, qui flentem quidem illum inducit, ſed ratione eius ingenio conueniente, a ſociis videlicet remotum ac ſeiunctum. Vir enim tam celſo, generoſoque animo cauere debuit, ne, lacrymis diffluens, humanaeque imbecillitati ſuccumbens, a ſociis conſpiceretur. Cum Isboſethus, Sauli filius, lictores miſiſſet, qui Phatueli vxorem, cui nomen Michol, abriperent, perhibent diuinae literae, *quod, dolore* victus, *ſequeretur eam vir eius plorans. 2 Reg. III, 16.* Lacrymas vtriusque in eo ſimiles agnoſcere licet, quod ex pari enaſcebantur cauſſa; flendi tamen modo, multum a Phatuële diſſidentem, Achillem obſeruo. Illum lacrymarum non pudet, easque palam effundere ſibi probro non ducit: hic vero plorat clanculum, lacrymas occulit, ſibique putat, ſi cui pateant, indecoras. Verum non vnus Achilles apud Homerum ob iram fleuit. Rex etiam Agamemnon Graecorum concioni reditum in patriam infecta re, Iouis auctoritate, ſuaſurus, ex indignatione, pudore atque angore fleuiſſe dicitur; cuius lacrymas affatim adfluentes ita vates deſcripſit:

Ιςατο δακρυχέων, ὥσπερ κρήνη μελάνυδρος,
Ητε κατ᾽ αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.

Quos verſus nos ita latine ſumus interpretati:

Flens ſtabat, riguus ceu fons, qui largiter vndam
Vmbroſam effundit ſcopuloſo e vertice ſaxi.

Qui

Qui plane Homeri locus cum Ieremiae verbis apprime congruere mihi viſus eſt, vbi effuſiſſimas lacrymas optat propheta, quibus impendentem defleat Hieroſolymae calamitatem: *Quis dabit*, inquiens, *capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?* IX, 1. Atque hic verbis exprimere ſatis nequeo, quantam percipiam animo delectationem, cum Homeri dicta cum aliis diuinae ſcripturae conſimilibus locis confero. Nullibi enim Homericam ſapientiam altius adſurgere puto, nobiliusque ſeſe producere ac demonſtrare, quam, vbi ſimiliter, ac diuinae literae, ſentire viſus eſt.

Quapropter ſinite, adoleſcentes, vt huiuſce conſenſus, qui paſſim ſeſe offert, ſpecimen aliquod identidem praebeam, quo ſimul animi mei voluptati obſequar, veſtraeque ſimul conſulam vtilitati. Ceterum ſic res ſe habet, vt modo dicebamus, auditores. Tam vehementer animum percellit ira, permiſcet, transuerſum agit, vt vel eos, qui animo ſunt elatiore, ferinis moribus, virtute indomita, adplorandum adigat. Quis Eſauo moribus aſperior? quis elatior? quis truculentior? Nonne vero, inflammatus ira, et furore exagitatus, magno eiulatu ille fleuit, quod benedictionem patris praeripuiſſet ipſi Iacobus? *Gen. XIX, 38.*

Quodſi etiam aliqua Romanorum heroum, ex ira flentium, deſideratis exempla, pauca quaedam libenter adferam: non enim licet, pluribus recenſendis, longius euagari. Q. Caecilius Metellus, amicorum literis certior factus, Numidiam C. Mario Conſuli plebiſcito datam, quem aemulabatur, exaeſtuante ira et ipſe dicitur illacrymaſſe. C. Marcius Coriolanus, in exſilium abiens, cum iniuriam, quae ipſi inferebatur, ſecum tacitus reputaret, remotis arbitris, Achillis inſtar, in vberes lacrymas erupiſſe fertur. Denique C. Iulius Caeſar, traiecto Rubicone, acceptas iniurias, ſimulque ſua in remp. merita commemorans, pro concione fidem militum, flens, ac veſte e pectore diſciſſa, inuocauit. Quales quantosque viros, Dii boni! nominauerim, probe noſtis, quotquot adeſtis, omnes, eruditiſſimi auditores. His autem omnibus grauiſſimus

viſſimus angor, atque ebulliens in pectoribus ira, expreſſit lacrymas, quod, cum eximia eſſent virtute, tantamque gloriam, opes, potentiam reipublicae peperiſſent, nimis putabant indignum, ſibi ab ingratiſſimis ciuibus maleficia atque iniurias rependi. Sed adhuc rigent fletus Achillei reprehenſores, allatisque rationibus minime emolliuntur, quin prorſus Achilli indecoras lacrymas damnent. Qua enim erat virtute ac generoſitate, abſurdum omnino putant, vt ploraret, optimoque iure, aiunt, a Socrate in republica Achillem lugentem ſubſannatum eſſe, poëtamque noſtrum mulctatum, quod indecora viro illi magnanimo, ipſisque immortalibus Diis attribuerit. Sed iam ſatis ſuperque peculiari diſputatione expendimus, auditores, quo in Homerum animo, qua mente, Socratem induxerit Plato in ſua republica haec de Homero ſentientem ac ſancientem. Eam igitur, ſi forte animo excidit, inter ſuperiores expoſitam, iterum conſulatis volo. Verum etſi daremus, turpes Achilli fuiſſe lacrymas, quaeſtum, eiulatum, quid tum? Turpis etiam Achilli fuit, vitioque danda teterrima ira, deteſtabilis pervicacia, inexorabilis animus. Iam vero non ſemel docuimus, quod heroas non ab humanis vitiis Homerus liberat, et, cum ipſi quoque homines ſint, facile permittit, vt humana patiantur. Quod conſultiſſime ab eo factum eſſe, fuſe alio ſermone, ſi meminiſtis, oſtendimus, adoleſcentes, rationesque tum allatas, nequaquam iterum in praeſentia adferendas cenſemus, ne eamdem crambem inutiliter, moleſteque repetamus.

DISSERTATIO XIV.

DE HEROVM MENDACIIS.

SYNOPSIS.

Plato, aliique mendacium, quod vocant, officioſum honeſtum eſſe docuit. Mendacium a Chriſtianorum doctrina eliminatum. Ethnici heroes

heroes ad Chriſtianorum heroum exemplum non potuerunt effingi. Odium, atque inimicorum vltio, antiquis conceſſa, a Chriſto vetita. Locus Iſocratis de vltione inimicorum. Mendacia Vlyſſis, aliorumque ducum ad militaria ſtratagemata facile reduci poſſunt. Chriſtianos mentiri dedecet. Qui mentitur, ſermonis facultate peruerſe abutitur, naturaeque conſilium irritum facit. Mendacem pica exprimit. Humanam ſocietatem mendacium euertit. Mendacium natura ſua malum; nulla res, quae illud circumſtet, honeſtum facit. Mendacia ſe ipſa produnt. Homerus ipſe a mendacio deterret. Prouerbium, agere graeca fide, *explicatur.*

Quod humana vitia heroibus ſuis Homerus adfinxerit, et Achillem quaedam in Agamemnonem conuicia iactantem, et ob raptam ſibi Briſeidem lacrymas effundentem fecerit, nequaquam ob id reprehendendum eſſe, habitis ſuperiore anno diſputationibus, ſatis ſuperque, ſi meminiſtis, oſtendimus, praeclariſſimi auditores. Sed quoniam importuni quidam obtrectatores mendacia item, quae Homerici heroës idemtidem proloquuntur, magnificamque illam, quam de ſe habent, praedicationem nobis obtrudunt, eaque duo ſibi valde diſplicere in Homeri carminibus dictitant, duplicem accuſationem hanc aeque, atque alias, refellere ſtatuimus, ne, cum in ea loca inciderimus, huic heroum defenſioni manum iterum admouere neceſſe habeamus. De mendaciis igitur hodierno die, altera vero diſputatione de laudatione, qua ſe praedicant heroës, breuiter diſſeremus.

Verum antequam heroas Homericos culpae obnoxios, grauique reprehenſione dignos, aliquis exiſtimet, ſi quando mendacio vſi eſſe reperiantur, opus eſt, vt doctrinam, quae antiquitus de mendaciis tradebatur, probe teneat. Vidimus enim ſuperiori alia diſſertatione noſtra, hanc ignorationem in cauſſa eſſe, cur imperiti homines non minus inique, quam impudenter, in antiquis ſcriptoribus ea reprehendant, quae minime reprehendenda ſunt, dumque maxime omnium perſpicaces ſe ipſos oſtentare volunt, atque acutos, caetutire in ſole deprehenduntur. Non defuerunt ſiquidem inter ethnicos magni nominis, ſum-

ſummaeque doctrinae viri bene multi, qui mendacium illud, quod officioſum adpellant, haudquaquam morum honeſtatem dedecere, ſed honeſtum licitumque eſſe docuerunt. Nihil enim pulcrius aiebant eſſe mendacio, quod tibi prodeſt, et alteri non nocet. Plato quidem in libris de republica, Diis reuera inutile eſſe mendacium, tradit, hominibus tamen vtile aliquando eſſe, et neceſſarium, vt eo tamquam medicamento vtantur; magiſtratui autem, ſi cuiquam alii, mentiri fas eſſe, hoſtium ciuiumque ratione, ad communem ciuitatis vtilitatem *lib. I. et III. it. V.* Vbi ſane animaduertendum eſt, Platonem hanc tradere doctrinam in eo tractatu, in quo praeſtantiſſimam illam ciuitatem, vitiorum omnium expertem, omnisque honeſtatis cultricem, inſtituit ac fingit. Quid? quod ex Chriſtianis quoque ſcriptoribus nonnulli in Platonis ſententiam audacter iuerunt, eamque ſine piaculo admitti poſſe tum verbo, tum ſcripto docuerunt? Nonne vero veterum ſanctiſſimorum patrum complures Platoni adſentiri viſi ſunt, dum alii Abrahae ſimulationem in celanda vxore, mendacia obſtetricum Aegyptiarum, mendacium item Ruthae a crimine eximunt; alii vero ipſum etiam Iacobum, patri fucum facientem, ſeque eſſe Eſauum, qui primum erat genitus, doloſe adfirmantem, culpa liberant? Vt ſilentio praeteream Origenem, Caſſianum, aliosque non paucos, qui Platonis de innocuo mendacio documentum tuendum, defendendumque palam ſuſceperunt. Equidem ſcio, Chriſtianorum doctorum communi ſuffragio conſecutis temporibus mendacium eſſe damnatum, prorſusque a Chriſtianorum morum doctrina iam pridem eliminatum. At Homerici heroës, vtpote ethnici, hanc doctrinae perfectionem ſanctitatemque haud quaquam nouerant, nec eum poterat illis vates attribuere. Iam vero alibi docuimus, iterumque docemus, ridiculos plane eſſe ac ſtultos, qui ethnicos heroas ad Chriſtianorum heroum exemplum ac normam vellent effictos. Plurimum intereſt inter vitioſam religionem et prauam, religionemque ab omni culpa immunem, et vndequaque ſanctiſſimam. Siquis antiquis hominibus crimini tribueret,

quod

quod acceptas iniurias vlciſceretur, et inimicos odio proſequerentur, ob eam rem, quod chriſtiana lex vltionem inhibeat, odiumque inimicorum damnet, nemo vnus erit veſtrum, qui, tamquam ineptum, non derideat, veterisque doctrinae ignarum non contemnat. Nonne enim Chriſtus dominus, legumlator noſter ſapientiſſimus, putaſſe veteres, inimicorum odium eſſe ſibi conceſſum, diſertiſſime iis verbis adſeruit: *Dictum eſt antiquis, odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros?* Matth. V, 21. Perinde, quaſi diceret: probe noui prauas ethnicorum leges, vltionem et inimicorum odium iam permiſiſſe, aequitatique conſonum exiſtimaſſe, quinimmo animi magnitudini, virtutique adſcripſiſſe, ſi quis iniuriis ſeſe vinci non ſineret, ſed malum malo rependeret; verum a mearum legum rectitudine ac ſanctitate procul eſto huiusmodi prauitas et culpa, procul a vobis inimicorum odium ac vindicta; ipſos enim inimicos, qui vos laeſerint, maloque adfecerint, vt ametis, praecipio, veſtramque illis, dum tempus et res poſtulabit, beneuolentiam exhibeatis, iniuriasque, quas accepiſtis, beneficiis compenſetis.

Et reuera, auditores, Iſocrates ille, qui paſſim chriſtianam aliquantum videtur redolere ſanctitatem, in ſuis praeceptis, quibus adoleſcentis Demonici mores ad omnem honeſtatem informat, odio tamen inſectandos, vlciſcendosque inimicos, docet: Ὁμοίως αἰσχρὸν νόμιζε τῶν ἐχθρῶν νικᾶσθαι κακοποιΐαις, καὶ τῶν φίλων ἡττᾶσθαι ταῖς εὐεργεσίαις. *Non minus turpe ducas, ſuperari beneficiis amicorum, quam vinci maleficiis inimicorum.* Quod vero de inimicorum vltione et odio a nobis diſputatum eſt, id ipſum de mendacio non abſimili modo adfirmari poſſe videtur, auditores. Quemadmodum enim non veterum hominum culpa exiſtimanda eſt, ſi inimicos odio haberent, acceptasque iniurias vlciſcerentur, ſed vitioſae religionis, qua imbuti erant, ab huiuſcemodi odio ac vindicta non deterrentis: ita, ſi quando mentirentur, non ipſi valde reprehendendi ſunt, ſed ipſamet eorum religio, quae non tam rigide ac ſeuere, quemadmodum religio

 noſtra

noſtra ſanctiſſima, mendacia deteſtabatur ac vetabat. Si igitur principia haec prae oculis habeantur, quae ſane animaduerti deberent ab iis, qui, in Homerum inſanientes, praua quadam obtrectandi libidine eius carmina convellere inſtituunt, mendacia heroum paene omnia nec turpia eſſe, nec reprehenſionem mereri fatebimur. Profecto Vlyſſem, quem nullo non loco ſagacem, vafrum ac verſipellem oſtendit vates, liberalius mendaciis indulſiſſe, conſtat. Verum illius mendacia officioſa fere ſunt, et ad illorum genus pertinentia, quae loquenti proſunt, audienti non obſunt. Pleraque item eiusdem Vlyſſis, aliorumque ducum, mendacia ad militaria, vt vocant, ſtratagemata reuocari facile poſſunt, quae nemo non ſcit militibus ſibi inuicem inſidiantibus haberi licita, ingenioque potius adſcribi, quam vitio verti, ſi quis hoſtem decipere ſagaciter valeat.

Quamquam vero heroas Homericos hactenus tutati ſumus, magnaque ex parte, dum aliquoties mentiti ſunt, extra culpam poſuimus, cauetote, ornatiſſimi adoleſcentes, ne arbitremini, me mendaciorum ipſorum cauſſam defendendam ſuſcepiſſe. Mendaciorum etenim hoſtem me profiteor infenſiſſimum, maximeque optandum aio, vt mendaces ab hominum communione, quam adeo turbant, et commaculant, penitus abarceantur. Illud autem tantummodo palam facere in animo fuit, heroum mendacia partim ab infirma vitioſaque religione excuſari, partim ab ipſo vitae genere, quod profitebantur. Ceterum cum nobis, Dei Optimi Maximi ſingulari beneficio, melioris religionis lumen adfulgeat, quis iam mendacia non redarguat, odio habeat, perhorreſcat, cum per ea ſermonis facultate, qua a ceteris animantibus ratione carentibus ſecernimur, ac diſtinguimur, peruerſe abutamur, ſapiensque naturae conſilium irritum faciamus? Vſus ſiquidem linguae ac verborum ideo a natura tributus eſt homini, vt, quae animus intimo mentis receſſu excogitat, concipitque, aliis ad mutuum humanae vitae ſubſidium prodat et patefaciat. Qui vero mentitur, cum aliud mente gerat, aliud ore ſimulet, iniurioſus eſt in proximos,

mos, qui, dictis eius fidem habentes, nihilque fallax ſuſpicantes, miſere inducuntur in fraudem. Quam bene mendacem pica exprimit et repraeſentat! Quemadmodum enim anteriore parte ſui candida illa eſt, poſteriore autem nigricat, ſic mendax amicum purum ac ſincerum affatu primo ſeſe ſimulat, mox vero audientem decipit et eludit. Quid deterius, quid infenſius, ad humanae vitae amicitiam ſocietatemque labefactandam atque euertendam excogitari vmquam potuit: Hinc plane liquet, perpetuas inter homines ſuſpiciones exoriri; hinc nemini tutum eſſe fidere; hinc dolos ab omnibus ſibi cauendos; hinc fraudes vbique deceptionesque metuendas. O igitur humanae conſociationis et foederis deterrimam peſtem, labemque nefariam! O deteſtandum ſcelus! O probroſum, turpiſſimumque crimen! Quod adeo verum eſt, vt vix vllum reperias, qui maxime non vereatur, et caueat, ne mendacem deprehendas. Pudet enim quemcumque mendacii crimine coargui, quod cogitet, quantum hominum communioni mendacium officiat; quantumque probum atque honeſtum virum mentiri dedeceat. Neque vero in animum inducite, optimi adoleſcentes, iuſtam aliquando adeſſe cauſſam, vt quis ſine ſcelere mentiatur? Mendacium ſiquidem, quod natura ipſa ſua illicitum eſt et malum, nulla vmquam re, quae illud externe circumſtet, licitum fieri poteſt et bonum. Intereſt quidem plurimum, vt beatus Auguſtinus, de mendacio diſſerens, praeclare docet, qua cauſſa, qua mente, quo conſilio quid fiat. Verum ea, quae natura ipſa conſtat eſſe peccata, nullo bonae cauſſae obtentu, nulla boni conſilii excuſatione, facienda ſunt. Alioquin et caſta adulteria dicas, ſi aliquo bono fine perpetrentur, et licere, vt pecuniam diuitibus auferas, aut falſa teſtimonia vendites, vt, quod egenis poſſis tribuere, tibi ſuppetat. Quamobrem mendacium, quod nemini vmquam adhibere licet, reformidate atque auerſamini, adoleſcentes, candoremque illum loquendi amplectimini, qui tam pulcre atque inſigniter mores exornat, vt vir candidus et verax ab omnibus diligatur, ſummisque laudibus efferatur. Turpe ducite, maxi-

maximeque inhoneſtum, illos aemulari, qui, vt rebus ſuis conſulant, et lucellum aliquod ſibi parent, mendacio vti non exhorrent; decorum vero, gloriaeque plenum exiſtimate, cum Xenophane ſentire, qui ad res inhoneſtas ſeſe timidiſſimum eſſe fatebatur: cum praeſertim experientia conſtet, mendacia ſe ipſa prodere, et, ſi quid interdum mentientibus credatur, cito ipſorum fallacias patefieri.

Verum et Homerum ipſum adducere libet, a mendacio vos deterrentem: quamuis enim, ob rationes ſuperius explicatas, heroës ipſius liberari poſſint a culpa, dum mentiuntur, ipſe tamen, ſapientia longe poſt homines natos maxima colluſtratus, (quantam videlicet ab ea lucem humana mens pro naturae facultate poteſt recipere) mendacia damnare videtur, falſitatemque reprehendere, neque in ſuis ipſius heroibus probare. Inquit enim *Iliad. IV.*

> *Οὐ γὰρ ἐπὶ ψεύδεσσι πατὴρ ζεὺς ἔσσετ᾽ ἀρωγός.*
> *Nam Deus haud aderit mendacibus auxiliator.*

Quod, quamuis aliquanto remiſſius dictum ſit, cum Davidis tamen ſententia congruere videtur, vbi de Deo ait *Pſ. V, 6. Perdet omnes, qui loquuntur mendacium.*

Sed quoniam de mendacio hodiernus ſermo a nobis eſt inſtitutus, non abs re erit, tamquam auctarium, adiicere paroemiae illius interpretationem, nimirum *agere graeca fide.* Vulgo enim male audit natio illa, dum illi fere ab omnibus, propter illud adagium, inueterata quaedam mentiendi fallendique conſuetudo obiici ſolet. Verum non ita profecto rem ſe habere, paucis accipite, auditores. Nil aliud ſiquidem prouerbium ſibi vult, quam, rem agere, non verbis, non ſtipulationibus, ſed praeſente pecunia. Quod tum Plauti, tum Euripidis auctoritate luculenter euincitur. Nam apud Plautum Clareta lena in *Aſinaria* ita loquitur: *Diem, aquam, ſolem, lunam, noctem, haec argento non emo, quae volumus vti, graeca mercamur fide*, id eſt, numerata pecunia. Euripides vero in Iphigenia Tauricae habet: πιςὸν ἰλλὰς οἶδεν ὀυδέν, *Graecia nequa-*

nequaquam nouit fidem; videlicet nemini in mercatu faciundo fidit, niſi ſtatim, ipſoque in loco pecunia numeretur. Mentiendi crimen non Graecis omnibus generatim, ſed ſolis Cretenſibus, exprobratum eſt Menandri verſiculo, quem diuus Paulus *ad Tit. 1, 12.* adducit:

> Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.
> *Cretenſes ſemper mendaces, malae beſtiae, ventres pigri.*

Non inficiabor, auditores, quod non parum mihi placeo, meque amo, cum nationem illam olim florentiſſimam, quam ſupra ceteras omnes demirari vsque a puero conſueui, defendendi occaſio datur, et crimina propulſandi, quae falſo illi imputantur, praecipue vero adeo probroſum mentiendi crimen, quo eam plerique, etiam literati viri, allati prouerbii ſenſum ignorantes, in malamque partem accipientes, per ſummam iniuriam infamant et calumniantur.

DISSERTATIO XV.

DE LAVDATIONE, QVA HOMERICI HEROES SEIPSOS INTERDVM EXTOLLVNT.

SYNOPSIS.

Laus in ore proprio ſordeſcit. Iactationis definitio. Duae cauſſae, cur ſit vitioſa. Vates ſunt glorioſi. Homeri modeſtia. Pindarus, Horatius et Ouidius laudibus ſe ipſos vexerunt. Similiter Cicero. Gloriatio minus dedecet milites. Gloriatio Aeneae. Intoleranda Maximini Imperatoris iactantia. Cauſſae, quae iactationem excuſant, quatuor. Senes propriis laudibus indulgent. Sine cauſſa laudare ſeipſum, turpe eſt. Aliqua ferme cauſſa heroas Homericos, de ſe magnifice loquentes, tuetur. Nequaquam damnandus Homerus, quod militares homines thraſonice loquentes fecerit.

Laudem in ore proprio ſordeſcere notius eſt, quam vt verbis explicari opus habeat. Illud enim ὑπὲρ σεαυτοῦ μὴ

φράσῃς

Φράσῃς ἐγκώμια, *ne feceris de te ipſo encomia,* adagii loco, ex Menandro vſurpant Graeci.

> *De te alii narrent, proprio ſordeſcit in ore*
> *Gloria; ſi taceas, plus tibi laudis erit.*

Non ineleganter Michaël Verinus, moralium diſtichorum praeclariſſimus ſcriptor. Verum tamen numquamne ſe ipſum laudare liceat? Numquamne non vitio verti debeat honorifice de ſeipſo loqui? Atqui hoc ipſum eſt, de quo hodiernam diſputationem inſtituimus, vt ſimul Homericos heroas, qui ſibi ipſis laudem non raro tribuunt, defendamus, ſimulque vobis non inutilia de laude ſui praecepta tradamus, ornatiſſimi adoleſcentes. Quod dum breuiter exſequor, peto, atque obſecro, vt me benigne attenteque, quemadmodum conſueſtis, audiatis.

Equidem non infitior, quod extollere ſe ipſum gloriando, vitio plerumque non caret. Eſt enim iactantia inanis de ſe, et ſtulta praedicatio: ſiue cum Cicerone mavis eam definire: *iactantia eſt voluptas geſtiens, et ſe efferens inſolentius. Tuſcul. lib. IV.* Duabus vero de cauſſis ſordidam eſſe liquet, ac vitioſam praedicationem de ſe ipſo; quarum prior ea eſt, quod ſi decebat te pudor, etiamſi ab aliis laudareris, quanto magis aduerſus pudorem modeſtiamque feciſti, dum laudes tuas per te ipſum arroganter adferre non erubueris? Altera vero, quod ius etiam violas, dum tibi videlicet ipſemet ſumis, quod tibi ab aliis tribui oportuit. Nihilominus neſcio, quomodo huiuſcemodi iactatio peculiare ſummorum ſiue ingenio, ſiue rebus geſtis, virorum vitium eſt; quibus tamen magis credo admiratione virtutis, quam iure cauſſae plerique hominum hanc culpam ſolent remittere. Quantum enim Dii boni! ſe ſuaque amant, ac iactabundi efferunt maximi vates? Si enim vnum Homerum excipias, qui ſingulari exemplo pudoris et modeſtiae non ſolum a propriis laudibus ſibi temperauit, ſed ne nomen quidem ſuum diuinis carminibus vſpiam adfixit, in eoque totus eſſe viſus eſt, vt ſe ipſum celaret, vix alium inuenias, qui ſuarum laudum buccinator non ſit, ſeque non celebret arrogantius.

Nam,

Nam, vt Graecos praetermittam, in quibus prae ceteris Pindarus habetur elatior, dum nullum finem facit, facultatem, qua pollebat, magnifice oſtentandi, nonne Horatius atque Ouidius putidas ſui ipſorum laudes obtrudere videntur. *Exegi monumentum aere perennius*, inquiens ille, hic vero:

Iamque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

Cicero autem, vt ſaltem vnum etiam ex oratoribtus praeclariſſimis nominem, conſulatum ſuum, Catilinaeque a ſe detectam, profligatamque coniurationem nullo non loco ad nauſeam depraedicat, ſuumque ab exſilio reditum adeo verbis exornat, extollitque, vt reipublicae humeris, quum regrederetur, aduectum ſe eſſe iactet. Ita ſane res habet, auditores. Summi ingenio viri, vt mox dicebamus, licentiam quampiam ſeipſos laudandi, nemine paene refragante, ſibi tribuunt, longeque adhuc maiorem licentiam arripiunt milites, magnique duces et exercituum Imperatores, quos certe eſſe glorioſos, ex eo, quod profitentur, vitae inſtituto, minus videtur dedecere. Annon Virgilianus Aeneas, quem iſti Homeri iniqui reprehenſores, non recto fortaſſe iudicio, Homericis heroibus anteferunt, longeque illis adpellant pietate, honeſtate, verecundia abſolutiorem, ſeipſum fidentiſſime praedicauit?

Sum pius Aeneas, fama ſuper aethera notus.
Aeneae magni dextra cadis.

Quae duo plane loca ſatis effuſam, tumidamque prae ſe ferunt iactationem. Neque vero Aeneam reprehendere propoſitum mihi eſt, auditores. Noui enim iactationem illam egregiam quamdam in loquendo confidentiam, praeclarumque excelſi animi argumentum a plerisque exiſtimari, et a virtute potius ortum habere, quam culpae nomine eſſe coarguendam. Illud ſolummodo contendo, quod, ſicut ille ſe ipſum praedicans ab omni culpa prope iure ſuo vindicari poſtulat, ita et Homericos heroas pari dignos

dignos venia habeamus, aequum eſt. Sed quoniam quacumque in re ſtatuendus eſt modus, quem praetergredi ſine culpa non liceat, idcirco ſi certos fines, prudentis arbitrio viri figendos, tranſiliant vel ipſi duces, ſummique imperatores, dum ſe ipſos praedicant, nimisque immodicis iactationibus ſibi placent, minime puto tunc eſſe ferendos. Quis enim ferat Maximini Imperatoris iactantiam, arrogantiae pleniſſimam, quam recenſet in eius vita Capitolinus? Victa ſiquidem Germania, tam ſuperbas literas ad ſenatum dedit, vt nihil vmquam inſolentius excogitari poſſe videatur; quarum exemplum hoc eſt: *Breui tempore P. C. tot bella geſſi, quae nemo veterum. Tantum praedae in Romanum ſolum attuli, quantum ſperari non potuit. Tantum captiuorum adduxi, vt vix ſola Romana ſufficiant.* Itaque huiusmodi laudationem ſui vltra modum arrogantem, et inflatam imperatori etiam nequaquam licere vltro adfirmamus. Sed vbinam in Homericis heroibus immoderationem tantam, tantamque inſolentiam, animaduertas et damnes? Atqui ſi rem diligenter inſpiciamus, et cum doctiſſimo viro, Plutarcho, examinemus, ipſis ferme eas fuiſſe cauſſas, cognoſcemus, quibus non modo bellicis Imperatoribus, ſed aliis quibuscumque laudes ſuas pertractare nequaquam turpe ſit, ſed vtile potius et honeſtum. Primo enim, ſe ipſum commendare licet, ad crimen fictum, ſibi intentatum, propulſandum, refellendamque calumniam. Qui enim id facit, ſibi ipſi veluti ius ſuum, aliena adactus iniuria, tribuere videtur. Quapropter Sthenelus plane nobis damnandus non eſt, quum diceret *Iliad. l. IV.*

> Ημεῖς τοι πατέρων μέγ᾽ ἀμάνονες ἐυχόμεθ᾽ εἶναι.
> *Nos, multo noſtris meliores patribus eſſe,*
> *Iactamus* — — — —

Siquidem verba illa contumelioſa, quae Agamemnon in Diomedem coniecerat, concoquere non valebat, videlicet

> Ωμοι Τυδέος υἱὲ δαΐφρονος, ἱπποδάμοιο
> Τί πτώσσεις, τί δ᾽ ὀπιπτεύεις πολέμοιο γεφύρας;

Eheu!

Eheu Tydide, tam forti nate parente
Quid trepidas, timidusque acies circumſpicis amplas?

Cum itaque amicum, atque ex obliquo ſe ipſum, vtpote Diomedis adſeclam, ignominioſe compellatum, defendat, ipſa cauſſa veniam de ſe dicenti conciliat. Quodſi ad ingratos praeclaro viro, maleficia pro beneficiis recipienti, verba facere contingat, maior etiam facultas res, quas geſſit cum laude, recenſendi permitti debet. Sic Achilles, indigne ab Agamemnone habitus, iniuriaque illa, quam ſaepius memorauimus, laceſſitus, irae, quae ſe transuerſum agebat, neceſſariam veluti exhalationem, concedit iactantiam *Iliad. lib. IX.*

Δώδεκα γὰρ σὺν νηυσὶ πόλεις ἀλάπαξ' ἀνθρώπων.
Cepi bisſenas, comitatus nauibus, vrbes.

et rurſus *Iliad. l. XVI.*

— — *οὐ γὰρ ἐμῆς κόρυθος λεύσσουσι μέτωπον*
Εγγύθι λαμπομένης. — — — —
Non etenim galeae fulgorem cernere noſtrae
Cominus audebunt.

Nam loquendi libertas, quae ſui ipſius defenſionis pars eſt (vt ait Plutarchus, ex quo pleraque haec ſtudioſe delibauimus) iactationem admittit.

Secundo poteſt aliquis laudationem ſui ſine crimine auditoribus ingerere, ad eos honeſtae aemulationis ſtudio inflammandos. Hoc ſane modo Neſtor, ſuas pugnas et praeclara facinora narrando *Iliad. VII.* et Patroclum ad pugnam inſtigauit, et nouem graecos heroas ad ſingulare cum Hectore praelium excitauit. Hortatio enim, quae factum verbis coniunctum habet, exemplumque proprium ad imitationem inuitans, animata eſt, et mouet, et exſtimulat; et cum impetu, ac propoſito animi, ſpem etiam conſequendi et potiundi eius, ad quod impellimur, certam iniicit.

Tertio interdum etiam ad deprimendum, cicurandumque inſolentem hominem ac ferocem conducit, de

ſe ipſo aliquid tumidius iactare, vt rurſum Neſtor *Iliad. lib. I.*

Ἤδη γὰρ ποτ' ἐγὼ καὶ ἀρείοσιν, ἠέπερ ὑμῖν,
Ἀνδράσιν ὡμίλησα, καὶ οὔποτέ μ' οἵγ' ἀθέριζον.

Certe egomet, quam vos ſitis, melioribus olim
Conſueui, vixique viris, neque me tamen illi
Spreuerunt.

Quarto tempeſtiue nos iactando non modo amicos ferocientes retundere poſſumus, modeſtioresque reddendo, ad officium reuocare, ſed et timidis atque attonitis animos facere et adflictos erigere. Adparet autem, hoc perſpectum fuiſſe Homero. Facit enim Vlyſſem, ſociis, ad fluctus et ſtrepitum circa Charybdim animos deſpondentibus, in memoriam redigentem callicitatem ſuam et fortitudinem, *Odyſſ. lib. XII.*

Οὐ μὲν δὴ τόγε μεῖζον ἔπι κακὸν ἢ ὅτε Κύκλωψ
Εἴλει ἐνὶ σπῆϊ γλαφυρῷ κρατερῆφι βίηφι
Ἀλλὰ καὶ ἔνθεν ἐμῇ ἀρετῇ, βουλῇτε, νόῳτε
Ἐκφύγομεν. — — — — —

Non tamen hocce malum nunc grandius ingruit illo,
Quam cum nos tenuit vaſto Polyphemus in antro,
Et tamen hinc virtute mea nos, conſilioque
Fugimus. — — — — —

Denique in hanc qualemcumque culpam cum primis incidunt ſenes, vbi ad caſtigandos alios, arguendosque prauos mores, ac malefacta conuerſi, eo progreditur, vt ſe ipſos laudibus extollant, actaeque ſuae pueritiae et adoleſcentiae tempus memorent, diligentiamque iactent ſuam. Quod probe notauit Horatius in arte, vbi de ſene ait:

— — — — *laudator temporis acti,*
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum.

Nihilominus, ſi non aetate tantum, ſed gloria etiam et virtute praediti ſint, a culpa hac abſolutos facile dimittimus, quum non prorſus inutilis ſit eorum iactatio, ſed iunio-

iuniores ſiue a morum prauitate reuocet, et ad recte factorum ſtudium impellat, ſiue iam virtutis pulcritudine illectos in laudabili propoſito ſtabiliat, et confirmet. Ceterum nulla ex iis, quas explicauimus, cauſſis, excuſante, neque nos laudationem ſui, quam Graeci περιαυτολογίαν vocant, excuſamus, ſed, vtpote furioſam atque intolerabilem, condemnamus. A qua proinde omni ſtudio abſtinere contendite, adoleſcentes. Vt enim recte admonet Pindarus *Ol. od. IX.*

Τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν
Μανίαισιν ὑποκρέκει.

Intempeſtiua gloriatio
Stultitiae conſonat.

Abſtinebitis autem profecto, ſi culpam hanc animaduertatis in aliis, qui inſolenter ſe ipſos laudant, et vobiscum reputetis, quam moleſti habeantur, et importuni, quantum in odium omnibus veniant, et vt nulla oratio audientibus ſit perinde grauis et inuiſa. Quippe vt nullam aliam iniuriam in nos eorum, qui ſe iactant, conqueri poſſimus, tamen tamquam naturae inſtinctu moleſte ferentes eam rem, et auerſantes, dimitti ab eis et reſpirare properamus. Neque deſunt, qui, malum malo addentes, non ſolum inani, ſtultaeque ſui ipſius praedicationi obſequuntur, ſed ſimul alios, cum quibus ſe comparant, criminantur, iisque ſeſe iactant meliores. Quam turpe eſt, auditores, lucrum ex alieno damno, gloriamque ex alieno probro quaeritare! Satis eſt, ad iſtorum inſolentiam compeſcendam, pulcherrimum Ciceronis dictum adferre, *pro Sext. Roſc.* *Is tandem*, aiebat ille, *mihi videtur ampliſſimus*, *qui virtute ſua in altiorem locum adſcendit*, *non adſcendit per alterius incommodum et calamitatem.*

Sed, vt heroas, quorum cauſſam hactenus egimus, repetamus, in eoque, vnde progreſſa eſt, conquieſcat oratio, nullibi fere magnifica verba de ſe vſurpantes obſerues, non aliqua illos ex allatis cauſſis protegente, et a vitioſae oſtentationis crimine vindicante. Quodſi ad

huc obfirmatis ceruicibus aduerſarii contendant, aliqua eſſe loca, quae nimiam, nec ferendam heroum illorum exprimant iactationem, ne diutius cum eorum peruicacia luctemur, dare illis, quod aiunt, non detrectamus; nihil inde tamen eſt, quamobrem damnemus Homerum, qui militarium hominum mores, thraſonice loquentium, bene repraeſentauit; nam vt docet Horatius inter alia artis praecepta

Intererit multum, Dauuſne loquatur, an heros
Maturuſne ſenex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus.

et rurſus:

Reſpicere exemplar vitae morumque, iubebo
Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.

Neque vero dum ad hunc modum eos depinxit, vel probauit, vel commendauit (quod etiam in alio argumento nos animaduertere meminimus) ſed integrum cuicumque reliquit, vt de iis, prout ſibi videtur, ferat iudicium.

DISSERTATIO XVI.

DE ARMIS AEREIS.

SYNOPSIS.

Paſſim ab Homero celebratur aes in armis. Virgilius ea, quae ab Homero nuncupantur aerea, plerumque dixit ferrea. Teſtimonia aliorum ſcriptorum de vſu aeris. Idaei Dactyli aeris temperaturae auctores fuerunt. Arma atque inſtrumenta aerea veterum adhuc exſtantia in Cimeliis. Homerus aliique ſcriptores non vſurparunt figurate aes pro ferro. Oſtenditur teſtimonio ſacrarum literarum. Aes ferro firmius ac perennius. Aes ad ſplendorem ac magnificentiam viſum eſt opportunius. Non rubigini obnoxium. Gratum Diis, et boni ominis. Apud ipſos Hebraeos religioſius. An ferro prius fuerit inuentum. Omnia ſimul metalla reperiri non potuerunt. Centum et

ofto-

eMogata ſex annis ante bellum Troianum ferrum repertum eſt. De eupr. Diſputationis epilogus.

Inter ea, quae auribus abſurda et abſona eſſe in Homero quidam mihi noti homines, plane non indocti, ſed antiquitatis inſueti, exiſtimabant, arma recenſentur aerea, quae frequentiſſime apud hunc vatem leguntur. Cum enim apud nos arma ferrea vſu ſint recepta, ſtomachabantur illi, quod arma aerea Homerus nuncupauerit, quae minus apta, minusque valida ad pugnandum opinabantur. Non erit igitur ſuperuacaneum nec inutile, argumentum hoc hodierna diſputatione pertractare, ne forte vos pariter, optimi adoleſcentes, ineptire putetis Homerum, huiusmodi arma paſſim lectoribus ſuis obtrudendo. Aes igitur in armis ab Homero celebrari, veriſſimum eſt. Si enim clauam ferream Areithoi *Iliad. lib. VII.* et pauca quaedam alia, excipiamus, cetera omnia ex aere conflata ab eo deſcribi liquet. Verum hallucinatur et errat, qui minus bona ex aere procudi arma putat, quam ex ferro. Equidem fateor, Virgilium non ſolum arma, ſed et cetera, quae ab Homero dicuntur aerea, ſaepe adpellaſſe ferrea. Nam mortem Homerus dixit χάλκεον ὕπνον, nimirum *aereum ſomnum;* Virgilius vero *ſomnum ferreum.* Hic enim de Orode moriente *Aeneid. lib. X.* ait:

> *Olli dura quies oculos et* ferreus *vrget*
> Somnus, *in aeternam clauduntur lumina mortem.*

Ille vero de Iphidamante *Iliad. lib. XI.*

> — — τὸν δ' ἄορι πλῆξ' αὐχένα, λῦσε δὲ γυῖα,
> Ὣς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

Quam ſententiam latinis verſibus ſic expreſſi:

> *Atque hunc enſe ferit ceruicem, membraque ſoluit;*
> *Aereus et lapſo ſopiuit lumina ſomnus.*

Siquidem mors conuenienter vocatur ſomnus, ſiue aereus, ſiue ferreus, quod perpetuo opprimat, nec vmquam il-

lum a ſe depellere hominibus vita functis liceat. Quamobrem eleganter cecinit Catullus

Nobis vt ſemel occidit breuis lux,
Nox eſt perpetua vna dormienda,

Similiter *ferream vocem* dixit Virgilius, vbi Homerus χαλκόφωνον Stentorem adpellat, *aerea* videlicet *voce* praeditum; quemadmodum etiam Heſiodus in Theogonia aeream vocem tricipiti Cerbero attribuit. Haec omnia, inquam, vltro fateor, et concedo. Quid tum? Numquid ab Homero hac in parte deſciuit Virgilius, vt illum emendaret? Nequaquam, auditores; ſed conſulto aetatis ſuae moribus deſeruiendum putauit, quod et alia diſputatione, qua Scaligerum confutaui, me animaduertere memini. Iam pridem enim aetate ſua magis ferri vſus, quam aeris inualuerat. Neque vero ita ferrum, aut chalybem nominat Virgilius, vt non etiam aerea arma commemoret. Septimo enim Aeneidos libro ait:

Aerataeque micant peltae, micat aereus enſis.

Libro vero octauo ſimul arma ex chalybe conflari tradit, ſimulque meminit aeris, aurique. Inquit enim:

— — *fluit aes riuis, aurique metallum,*
Vulnificusque chalybs vaſta fornace liqueſcit.

Itaque Heroicis temporibus conſueſſe arma confici ex aere, tum ex Homero, aerea arma vbique commemorante, tum ex aliis ſcriptoribus apertiſſime demonſtratur. Nam et Heſiodus, Homero propemodum coaeuus, vbi quatuor mundi aetates deſcribit, et primam auro, alteram argento, tertiam aeri, poſtremam ferro adſignat, de aere differens teſtatur, non arma tantum, et campeſtria inſtrumenta ex hoc metallo conſtructa eſſe, ſed ipſas domos, nondum ferro in vulgares vſus recepto. Quod teſtimonium duobus hiſce verſiculis continetur.

Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι,
Χαλκῷ δ' ἐργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος,

Pro-

Proclus vero, eiusdem poëtae interpres, artem quandam veteribus notam fuiſſe tradit, qua ferri et chalybis duritiem aeri inducebant: quae ars, vt eruditiſſimus Calmetius in diſſertatione de re militari veterum Hebraeorum obſeruat, penitus noſtra aetate, qua ferrum inualuit, excidit. Talem vero aeris temperaturam Idaeos Dactylos inueniſſe, docent Diodorus Siculus *lib. XVII.* et Clemens Alexandrinus *Strom. lib. I.* Eius duritiei certiſſimum argumentum praebent arma veterum quaedam, caſu reperta. Nam in Diario Italico cap. 5. Bernardus Montfauconius teſtatur, in Muſeo Taruiſiano Venetiis inter alia cimelia gladium exhiberi aenea lamina atque acie, quae ferri aciem ac duritiem aemuletur. Item tradit, haud diu in portu Tiberino caementarios, dum macerias quasdam diruerent, incidiſſe in clauos aeneos duriſſima temperatura. Aereas etiam forcipes inuentas eſſe ex vltima antiquitate ad nos vsque ſeruatas tam valida acie, vt aereas laminas ſcinderent, apud eumdem Montfauconium cap. 12. teſtis eſt Flaminius Vacca. Sunt quoque hoc metallo conſtructae claues, lances, paterae, ſcyphi, foculi, ſecures, haſtarum cuſpides, et ſexcenta huius generis alia. Accedit Lucretii auctoritas, qui priorem fuiſſe aeris vſum, quam ferri diſerte tradit *lib. V.*

Poſterius ferri vis eſt, aerisque reperta;
Et prior aeris erat, quam ferri, cognitus vſus.
Inde minutatim proceſſit ferreus enſis,
Verſaque in opprobrium ſpecies eſt falcis ahenae.

Non me latet, fuiſſe aliquos, qui *aes* pro *ferro* ab Homero, aliisque poëtis vſurpatum autumarent, vt arma aerea, quae ipſi non probant, omnino reiicerent. Verum praeterquam quod Heſiodi ac Lucretii allata teſtimonia de vſu aeris proferro nimis manifeſta ſunt, atque enucleata, ipſemet Homerus alicubi inter aes et ferrum clare diſtinguit. Ait enim, alios geſtaſſe arma aerea, alios ferrea:

Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

Ex quo loco licet inferre, quamuis veteres, vt plurimum armis aereis vterentur, eos tamen armorum ferreorum

vſum penitus non ignoraſſe. Quid? quod diuinus etiam codex pleraque antiquiſſimis temporibus aere conſtructa fuiſſe commemorat? Occurrunt enim in tertio Regum libro *cap. IV.* fores et vectes aerei. Occurrunt tum in eodem libro *cap. XIV.* tum apud Iobum *cap. XX.* tum apud regium Pſaltem Pſ. XVII. clypei, galeae et arcus aerei. Vincula autem et catenas aereas recenſet Daniel *cap. IV.* rotas et axes tertius Regum liber *cap. VII.* prior vero ocreas ex eodem metallo *cap. VII.* Ecquis ſanae mentis adduci poſſit, vt credat, diuinos ſcriptores poëtica licentia tot in locis abuſos eſſe, aerisque nomen pro ferro et chalybe ſemper vſurpaſſe? Cum praeſertim hiſtorica ſanctiſſimarum ſcripturarum volumina nullo verborum fuco oblita ſint ac pigmentata, ſed narrationem ſimplicem et candidam vbique prae ſe ferant. Cum igitur Homeri et diuini codicis teſtimonia conueniant, manifeſtum eſt, nequaquam abſurda auribus, ſed vera illum, vſuque recepta de armis, aliisque inſtrumentis aereis narrare; ſicut et complures alios antiquorum temporum vſus, longe a noſtris diuerſos, ab eodem Homero deſcriptos, grauiſſima diuinorum ſcriptorum auctoritate confirmari ac probari, alibi ſaepe demonſtrauimus. Quid? quod aes, ferro comparatum in ſacris atque humanis literis, habetur firmius ac perennius? Legitur apud Iobum *cap. XX. Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum aereum;* hoc eſt, vt doctiſſimi quique interpretum explicant, leuiores fugiens, in grauiſſimas incidet calamitates. Et alibi *cap. XL.* de Behemotho habet: *Oſſa eius velut fiſtulae aeris, et cartilago illius, quaſi laminae ferreae.* Viden ferro cartilaginem comparari, oſſa autem aeri? adeo, vt ſentire videatur hoc loco Iobus, tantum aes praeſtare ferro firmitate ac duritie, quantum cartilagini oſſa. Quod ſi fortaſſe hyperbolice dictum arbitremur, tamen negari non poteſt, aes fuiſſe ab eo longe ſolidius, duriusque ferro habitum. Sacris literis humanae conſonant, rerumque aeternitatem ac firmitatem aere frequentiſſime exprimunt. Ita apud Virgilium *nixas aere trabes* ad perennitatem legimus, et *monumentum aere perennius* apud Horatium. Similiter Heſio-

Heſiodus in Theogonia, vbi de Tartari, vel Ditis agit ianua, illic ſplendidos eſſe, ait, poſtes, et aereum limen immotum, quod videlicet nulla vi poteſt conuelli. Vegetius vero docet, aereos clauos compingendis nauibus aptiſſimos eſſe, ferreisque firmiores ac diuturniores, quod ferreos tempore et humore celeriter rubigo exedat, ſed aerei, etiam in fluctibus nulli obnoxii rubigini, diutiſſime perdurent incolumes. Praeterea aes ad ſplendorem ac magnificentiam ferro viſum eſt opportunius, gratumque eſſe Diis, omenque illi bonum, et virtutem expiandi ineſſe putauerunt priſci. Quare in condendis vrbibus, Rhodigino teſte lib. X, cap. 70. Tuſci aereo vomere moenia deſignabant, tum boni ominis ergo, tum vt locum expiarent; quod in deſignandis moeniis vrbis Romae Romulus ipſe feciſſe perhibetur. Hinc quoque factum puto, vt Deorum templa et domicilia Chalcidica dicerentur, hoc eſt, aerea, quia aut ex aere conficta, aut aere ſaltem ornata, vt paſſim Homerus habet. Nam et Iouis, et Vulcani, ipſiusque Regis ventorum tecta atque aedes aerea ſunt. De Vulcano tantum exemplum dabo *Iliad. lib. XVIII.*

Ηφαίςου δ' ἵκανε δόμον Θέτις ἀργυρόπεζα
Αφθιτον, ἀςερόεντα, μεταπρέπε' ἀθανάτοισι
Χάλκεον.

Quos verſus ad hunc modum latinos fecimus:

Vulcani niueis pedibus peruenit ad aedes
Alma Thetis, ſtellis diſtinctas, Numine dignas
Aeternas, incorruptas, ſolido aere micantes.

Vnde et Virgilius Iunonis templum paene ex vno aere conſtructum recenſet *Aen. lib. I.*

Aerea cui gradibus ſurgebant limina, nexaeque
Aere trabes, foribus cardo ſtridebat ahenis.

Cuius rei rationem adfert luculentiſſimus interpres Seruius: *Quod aes magis,* inquit, *in vſu veteres habebant, vel quod religioni magis apta eſt haec materia.* Nam et Fla-

men Dialis aereis cultris tondebatur. Neque vero apud pleraſque ſolummodo ethnicorum gentes, ſed etiam apud Hebraeos hoc metallum habitum eſt religioſius, et ad templi ornatum, vſusque ſacros, ex omni memoria vſurpatum. Nam in tabernaculo Moyſis et Salomonis templo nihil ferreum fuiſſe fertur, ne claui quidem, paxilli, mallei, ceteraque inſtrumenta, ſed aerea omnia. *Malleus et ſecuris*, ait ſacer codex 3 Reg. VI, 7. *et vllum ferramentum non ſunt audita in domo, cum aedificaretur.* Equidem ſcio, locum hunc aliter alios eſſe interpretatos; nimirum, non eſſe auditum in domo, cum aedificaretur, omne ferramentum, neque malleum, neque ſecurim, quia ex lapidibus dolatis ac perfectis exſtruebatur, omniaque ita praeparata conuehebantur, vt ſolummodo in templo coaptarentur. Quam ſane ſententiam fere amplectuntur omnes, ac defendunt, nec ego facile improbandam, aut reiiciendam cenſeo. Nihilominus rem paulo attentius inſpicienti haec ſententia non ſine controuerſia admittenda eſſe videatur. Vtut enim dolata ac praeparata eſſent omnia, vt ſimul compingerentur, et cohaererent, aliquos ſaltem malleorum ictus neceſſarios omnino fuiſſe, credibile eſt, quibus ſtrepitus cieretur. Si quis igitur contendat, ſacrum ibi ſcriptorem ſignificare voluiſſe, ad ſacrum exſtruendam domum non ferreos vſurpatos eſſe malleos, ſed aereos, ſententiam plane feret, a veriſimilitudine non aberrantem, adeo, vt cum alia modo expoſita de veritate confligere poſſit, nec minus, quam illa, conſiderari et expendi mereatur. At ferri, inquiet aliquis, ingentem vim pro templi aedificatione comparauerat Salomon. Eſto: ſed, ferrum illud ad inſtrumenta tantummodo conficienda comparatum eſſe, putauerim, quibus exciderentur lapides e lapicidinis; et e ſiluis ligna, ad fabricandum templum neceſſaria, non quibus ipſum templum fabricaretur, pro quo componendo aerea potius inſtrumenta adhibita fuiſſe, allata argumenta videntur euincere, adeo, vt iure optimo ſacer codex teſtetur, nullius ferramenti fragorem exauditum eſſe in templo, dum exſtrueretur.

Sed

Sed hic fortaſſe aliquis veſtrum quaerat, an ferro prius aes inuentum ſit. Profecto diuinae literae vtrumque metallum paſſim coniungunt, nihilque ad quaeſtionem ſoluendam ſatis firmum, aut certum ſuppeditant. De Tubalcaino ſolum memorat ſcriptor Geneſeos IV, 12. malleatorem et fabrum fuiſſe in cunctis operibus aeris et ferri. Tamen ante natum Tubalcainum per ſeptingentos totos annos nullum prorſus fuiſſe horum metallorum vſum, non facile credam. Nam, quod Moyſes ad hanc artis aerariae ac ferrariae originem referat, non ita intelligendum eſt, vt neque ante ipſum haec metalla effoſſa ſint, neque in humanos vſus aptata, ſed quia rudia quaedam ad id tempus et parum commoda opera expolire ac perficere primus ille docuerit, artemque conficiendi aeris et ferri ad plures ac politiores vſus prouexerit. Quamobrem ex hoc Geneſeos loco tantum colligere licet, aes ac ferrum eo tempore hominibus iam innotuiſſe, artemque vtriusque elaborandi apprime tenuiſſe Tubalcainum. Vtrum vero horum metallorum ante generalem mundi eluuionem prius altero inuentum ſit, nec liquet, nec hariolari operae pretium eſt. Quodſi quis putet, omnia metalla ſimul eſſe reperta, huic nequaquam adſentiar: nam neque omnia omnes terrae ferunt, neque credibile eſt, ſimul omnia eſſe quaeſita, aut quaerentibus ſimul omnia patuiſſe. Sed quamuis daremus, ante mundi eluvionem aes et ferrum ſimul eſſe inuenta, non tamen id ipſum exiſtimandum eſt contigiſſe poſt illam. Nam, obruta refuſarum vndecumque aquarum immenſo auctu vniverſa terrae facie, et in tumulos partim adſurgente, partim deſidente in planitiem, aut valles, neceſſe eſt, metallorum venas obtectas fuiſſe, atque occoecatas. Quae cum ita ſint, quomodo pauci illi homines, qui e communi naufragio, diuino beneficio, erepti ſunt ac ſeruati, aut etiam eorum poſteri, metalla ſimul omnia reperire valuerint? Dicendum eſt igitur, apud alios alia, aliis atque aliis aetatibus, inuenta eſſe. Sane, cum a mundi colluuione vsque ad egreſſum Iſraëlitarum ex Aegypto et tabernaculi fabricationem aeris frequens mentio habeatur, ferrum

ferrum ne nominetur quidem, in eam ſententiam recte ibimus, vt adfirmemus, vulgatiorem primitus aeris fuiſſe vſum, quam ferri, priusque illud, quam hoc, a mortalibus eſſe repertum. Ferrum namque, vt in marmore quodam Oxonienſi computatur, teſte eodem Montfauconio, cuius auctoritatem etiam ſuperius vobis attulimus, non prius inuentum fuit, quam centum et octoginta ſex ante Troianum bellum annis. Ex quo conficitur, vt Heroicis temporibus aere adhuc longe rarius fuerit ferrum, et, quamuis in armis aliisque inſtrumentis ferrum etiam aliquantum eſſet in vſu, tamen aere, quod magis abundabat, fere omnia exſtruerentur. Ad plenam huius argumenti explicationem addendum puto, quoties in hac diſputatione aes nominaui, me illud ſimplex metallum ſpectaſſe, quod veteribus, teſte Varrone *de ling. lat. lib. IV.* et Valerio Maximo *lib. I. c. 6.* dictum eſt *raudus*, ſiue *rodus*; non vero illud, quod ſtanno, ſiue aliis metallis commixtum eſt, *cupri* etiam nomine adpellatum, quod Plinius *lib. XXXIII. c. 5. Cyprium aes* vocat. De illo etiam Spartianus *in Carac. c. 9.* loquitur, cum ait: *Ex aere, vel cupro, cancelli ſuperpoſiti.*

Sed iam diſputationis vela contrahenda ſunt. Cum conſtet, aes ferro prius antiquiſſimis temporibus eſſe repertum; cum ferro firmius ac perennius temperatura redderet, vt id circo pro aeternitatis teſſera ſumeretur; cum rubigini neutiquam ſit obnoxium; cum ad ſplendorem ac magnificentiam opportunius; cum gratum Diis et boni ominis, atque apud Hebraeos ipſos religioſius haberetur, quam ferrum; deſinite mirari, deſinite ſtomachari, o boni (vos enim modo adpellat noſtra diſſertatio, quorum maxime gratia a nobis eſt elucubrata), quod tum arma, tum multa alia, quae apud nos ferro, aut chalybe conflantur, aere conflata Homerus recenſeat. Diſcite, non fuiſſe ad ea conficienda aes minus ferro bonum, atque accommodatum. Diſcite, vnaque vobiscum ceteri Homerici cenſores aliquando diſcant ac fateantur, antiquos mores, qui ab Homero deſcribuntur, non potuiſſe moribus conſecutarum aetatum conformari, aut ab eis legem

acci-

accipere. Id profecto alias monui atque inculcaui; ſed parcite, auditores: vbi enim res et occaſio poſtulat, iterum ac ſaepius idem monitum inculcari oportet.

DISSERTATIO XVII.

DE CIBO POTVQVE HEROVM.

SYNOPSIS.

Panis pro quouis edulio. Panis vel ex tritico, vel ex hordeo. Panis in caniſtris ferri ſolitus. Carnes boum, ouium, caprarum, ſuum in cibum, et plerumque dumtaxat aſſae. Animalia prouectioris aetatis ad victum mactata. An feras, an piſces, an fructus et olera Homerici heroës manducauerint? Vini vſus apud Homerum maximus. Feminae etiam iuuenculae, etiam ipſi pueruli heroicis temporibus vinum potitare ſoliti: quod non probat Plato. In vtre caprino vinum habebatur: nihilominus etiam dolia fuerunt in vſu. Magno in pretio apud Graecos vini vetuſtas, et color niger. Vinum Maroneum generoſiſſimum. Vinum in cratere aqua temperabatur. Antiquitus cornua pro poculis. Deinde pocula ex auro et argento. Mactationes animalium fere erant ſacrificia. Statim ac mactauerant animalia, coquebant, edebantque. Vel carnibus rigentibus delectabantur, vel teneriores erant noſtris, vel ſtomacho vtebantur validiore. Stomachi ſtrenuitati tribuendum videtur, quod magna cibi, carniumque copia ſe poſſent ingurgitare. Conuiuium Abrahami, tribus hoſpitibus paratum. Salomonis menſa ſumtuoſiſſima. Cyceonis explicatio. Angli vinum, cum lacte commixtum, iucunde potant. Vinum vnguento permixtum apud veteres Romanos. Graecis vinum dulce in deliciis. Cepae in Graecia non acres, ſed dulces, nec male olentes. Guſtus populorum diuerſus.

Quamquam amorem meum in Homerum ſaepius ex hoc loco teſtatum fecerim, ſinite nihilominus, ornatiſſimi auditores, vt hodie Plautino verbo in *Curcul.* oculiſſimum nominem, aeque nimirum atque oculos meos mihi carum,

carum, illumque amatorie ad hunc modum inuocem: ſalue dulciſſime Homere, mea roſa, mi anime, mea voluptas. Quapropter mihi aequo animo ignoſcite, ſi veſtris animis quidquid eius exiſtimationem infringere poteſt, ſiue deminuere, quaſi meo amantis iure amoliri contendo, vt videlicet non minus, quam ego illum amo, vos etiam ametis. Quandoquidem igitur in antiqua eruditione nuperi ac nouitii Homerum faſtidiunt etiam propter cibum ac potum, quibus apud eum heroës vtuntur, de vtroque hodierno ſermone diſſerere volupe mihi eſt. Quum enim a moribus noſtris, qui delicatiores ſumus, cupediorum guloſi et tantum non ambroſia Deorum paſcimur, heroum aridus victus valde diſſideat, quibus nullae erant molliculae eſcae, mattyae, embammata, ſcitamenta, bellaria, eius ſiue ruditate, ſiue ſimplicitate non parum offendimur, quaeque Homerus de illo habet, partim abſurda ac paradoxa, partim odioſa, et reiicienda iudicamus. Age igitur, rem omnem diſcutiamus, grataque, qua poterimus, breuitate expediamus.

In cibo primum locum obtinet panis, σῖτος Homero dictus, vsque adeo frequens, vt pro quouis edulio, quemadmodum et ſacris paginis familiare eſt, vſurpetur. Qui panis e tritico, vel hordeo conſtabat: haec enim duo frumenti genera apud Homerum vſitata. Solebant autem panes ferri in caniſtris, quas κανέους Homerus adpellat:

> Σῖτον δὲ δμωὲς παρενήνεον ἐν κανέοισι.
>
> *Et famulae multo cumulabant pane caniſtros.*

Quem locum imitatus Virgilius dixit:

> — — — — *Cereremque caniſtris*
>
> *Expediunt.* — — — — — —

Mos enim, ait Donatus, *fertur fuiſſe apud veteres, vt panis non argenteis vaſculis inferretur*, *ſed caniſtris*, *hoc eſt*, *ſpecubus, factis ex vimine.* Accedebant carnes, et quidem boum praecipue, ouium, caprarum, ſuum. Hae ſiquidem Homericis temporibus vſu receptae, et plerumque dumtaxat aſſae. Quo facere videtur Curculionis verbum illud

illud apud Plautum: *Haec ſunt ventri ſtabilimenta, panis et aſſa bubula.* Athenaeus vero libro primo, Antiphanem citans, haec habet ex Dalecampii verſione:

Homerus immolans boues, nec iuſcula
Parat, neque elixat carnes, aut cerebrum,
Sed inteſtina, ventresque aſſat; adeo priſci
moris tenax fuit.

Quod etiam Seruius ad primum Aeneidos animaduertebat, vbi ait: *Heroicis temporibus non veſcebantur carne elixa.* Quamquam, vt verum fatear, aliquam aliam ſpeciem edulii apud Homerum nominatam lego, vt, verbi gratia, pedem bouis, quodam cum condimento excoctum, ventrem ſanguine farcitum: ſed haec perraro heroum menſis adhibebantur. Idem Seruius, Varronem ſcripſiſſe, narrat, Romanis quoque primum in vſu fuiſſe aſſa, ſecundo elixa, tertio iurulenta. Erant vero animalia illa, ad victum apta, prouectioris aetatis. Quod ſane ſobolis conſeruandae cauſſa factum videtur. Quo nomine etiam apud Athenienſes vetitum fuiſſe ferunt, ne quis intonſum agnum comeſſet, cui adfinis illa lex, quam Imperator Valens per Orientem dedit, ne quis vitulorum carnibus veſceretur, vtilitati nimirum agriculturae prouidens, vt ait Hieronymus libro aduerſus Iouianum ſecundo. Quantum ad feras attinet, nonnumquam ab heroibus manducatas conſtat ex frequenti veneratione. Nam memorat Homerus in *Odyſſ. lib. IX.* et *X.* capras ſilueſtres captas in cibum, ceruum, et id genus alia animalia. Sed et aucupio ac piſcationi operam dabant; vt ſocios Vlyſſis legimus feciſſe in inſula Solis *Odyſſ. lib. XII.* Plutarchus tamen in Sympoſiacis contendit, mortales illis temporibus abſtinuiſſe piſcibus, quod ad gulae voluptatem faciant, ſociosque Vlyſſis, extrema fame coactos, ad piſcandum ſe contuliſſe; quod videtur Athenaei opinionem elidere, qui, arte diu conſueta, illos id factitaſſe cenſuit. Heroibus vtique nullibi videmus piſces adpoſitos in cibum. Quid de fructibus et oleribus? Eorum aliquem vſum fuiſſe heroibus liquet ex eo, quod Neſtori adfertur

in

in caniſtro *Iliad lib. XI.* κρόμυον ποτῷ ὄψον, ἠδὲ μέλι χλωρόν, *caepe obſonium potioni et mel recens.* Vlyſſes quoque data ſibi, ait, puero a Laërte, patre, poma, *Odyſſ. lib. XXIV.* Hinc et in horto Alcinoi laudantur pira, mala, vuae, et alia id genus *Odyſſ. lib. VIII.* Et Tantalo apud inferos arbores multas fructus oſtentare noſter vates confinxit, vt piros, malos punicas, aliasque, ficus, oleas *Odyſſ. lib. XI.* Vſum pomorum maximum fuiſſe in menſis, quas dicunt, ſecundis, docet Seruius: *Duas,* inquit, *habebant menſas, vnam carnis, alteram pomorum* Eas tamen menſas ſecundas heroibus non adponit Homerus, etſi, ab antiquiſſimis iam inde temporibus in vſu fuiſſe, putet Athenaeus *lib. XIV.* Quae de cibo notanda occurrerunt, paucis expoſuimus. Iam de potu diſſeramus.

Vini vſus apud Homerum maximus, qui proinde *vinoſus* dicitur ab Horatio:

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.

Σῖτος καὶ οἶνος, *panis et vinum* paſſim apud eum coniunguntur: τὸ γὰρ μένος ἐςὶ καὶ ἀλκή *hoc enim hominis ſtabilimentum ac robur*, inquit Vlyſſes, vtriusque neceſſitatem in vita collaudans *Iliad. lib. XIX.* Nec viri modo, ſed et feminae, vel iuuenculae vino vti ſolitae, vt manifeſtum eſt ex Nauſicaa, ac ſociis puellis, quae vinum ſecum devexerunt ad flumen, dum eo irent lauatum ſordidas veſtes. *Odyſſ. lib. VI.* A quo ſane more, neutiquam laudabili, Romani, aliique populi maxime abhorruerunt, apud quos, Athenaeo teſte *lib. X.* nefas erat, mulierem vinum guſtare, qui et graecas mulieres temulentiae accuſat. Quinimmo puerulis quoque vinum propinari Graeci ſinebant, vt Achilli a Phoenice, eius cuſtode ac nutricio, propinatum legimus *Iliad. lib. IX.* Quod non probauit Plato ſecundo de legibus, vbi lege lata ſanciuit, ne pueri ad annos vsque decem et octo vino vtantur; deinceps vero vtantur quidem, non tamen ad ebrietatem impleantur Παῖδας μέχρι ἐτῶν ὀκτὼ καὶ δέκα, οἴνου τὸ παράπαν μὴ γεύεσθαι, μετὰ δὲ γεύεσθαι μὲν, μὴ μεθύσκεσθαι δέ. In vtre caprino mos plerumque fuit Graecis habere vinum,

ἀσκῷ

ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ *Iliad. lib. III.* et *Odyſſ. lib. IV.* Quod etiam hodie in Hiſpania, aliisque finitimis regionibus vſitatum accepimus. Nihilominus et πίθοι, videlicet dolia vini veteris, in Vlyſſis thalamo adſeruabantur. *Odyſſ. lib. I.* Magno fuit in pretio apud Graecos vini vetuſtas, quod vinum vetus, vt notat Athenaeus, non modo ad voluptatem, ſed ad ſanitatem quoque conferret. Vinum vel annorum vndecim Odyſſeae libro tertio memoratur. Potiſſimum vero niger color in vino celebratur ab Homero, qui paſſim αἴθοπα οἶνον commendat. Supra alia quaecumque vina vinum effert Maroneum, cuius vnum poculum aquae menſuris viginti temperabatur, et tamen ſtrenuum ſaporem ſuum probe retinebat. *Odyſſ. lib. IX.* Huiuſce vini meminit quoque Plinius, et vel ſua aetate nobile fuiſſe adſerit *lib. XIV. c. 4.* Vtinam hoc anno in hac tanta vini difficultate atque inopia, qua laboramus, onuſtas aliquot huiuſcemodi vino naues transmitteret ad leuamen populorum Iſmarus, ſiue Maronea, vnde ſe accepiſſe narrat Vlyſſes! Vinum quoque Pramneum poëta collaudat, quod idem Plinius naſci in regione Smyrnae iuxta delubrum matris Deorum refert, ita, vt eius honor tum quoque duraret. Solebant autem vinum in cratere aqua plerumque temperare. *Odyſſ. lib. I.*

Οἱ μὲν ἄρ' οἶνον ἔμισγον ἐνὶ κρατῆρι, καὶ ὕδωρ.
Illi vina quidem in cratere vndamque remiſcent.

Quapropter crater ἀπὸ τοῦ κεράσσεσθαι videtur eſſe adpellatus. Quam notationem et ipſemet ſaepe indicat Homerus, et confirmat Athenaeus *lib. V.* Has crateras vino coronabant: vnde ἐπιστεφέας οἴνοιο vocat poëta *Iliad. lib. VIII.* Atque hinc Virgilius:

Crateras magnos ſtatuunt, et vina coronant.

Quod idem fere eſt, ac vino implent ad marginem vsque, ita, vt coronam praeferrent. E crateribus vinum in pocula, a ſingulis ebibendum effundebatur. *Odyſſ. lib. IX.*

— — — μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
Οἰνοχόος φορέῃσι καὶ ἐγχέῃ δεπάεσσι.

I — *vina*

— — — — — *vina miniſter*
Hunc ferat, hauſta ex cratere, atque in pocula fundat.

Varia autem erant pocula, tum materia, tum forma, de qua accurate pertractat Athenaeus *lib. XI.* Ait autem, priſcos mortales boum cornibus bibiſſe, vnde et Bacchus κεϱατοφυὴς, hoc eſt, *cum cornibus* pictus eſt. Poſtea aurum et argentum fuit in hunc vſum adparatum, vt apud Homerum paſſim adparet, in conuiuiis heroum. Atque haec praecipua profecto ſunt, quae de cibo potuque heroum Homericorum mihi cenſui animaduertenda, atque ex Feithio, qui prior collegit, iisdem fere verbis huc transferenda.

Quae vero ſiue abſurda eſſe, ſiue indignam quampiam abiectionem praeferre nonnullis videantur, haec eſſe puto; videlicet, quod ipſimet heroës animalia mactarent, excoriarent, aſſarent; quod carnes illas ſtatim a mactatione coquerent, ederentque; quod tanta copia cibum ſumerent, vt fidem ſane ſuperet. Multo vero magis legenti moleſta eſt potio illa, cuius vel ſola recordatio inſuetis nobis nauſeam faciat, graece κυκεὼν, latine *cocetum:* vinum nempe cum caſeo mixtum, ſimila ac melle; cepaeque erant gulae irritamentum ad bibendum. Eam ſiquidem potionem et Vlyſſi in ſuis aedibus praebuit Circe, *Odyſſ. lib. X.* et Machaoni in tentorio Neſtoris famula Hecamede *Iliad. lib. XI.* Eius et in Eleuſiniis myſteriis poſt ieiunia Clemens Alexandrinus meminit in admonitione ad gentes. Vt haec omnia, quae in Homerum obiici ſolent, diluamus, illud animaduertatis, oportet, auditores, quod alias ſaepe monuimus, mores heroum, veterumque hominum longe ſimpliciores fuiſſe noſtris, nec famulorum miniſterio in rebus omnibus vſos, multaque ipſos per ſe praeſtitiſſe. A qua ſimplicitate longe hac aetate abſumus nos luxu peſſimo inualeſcente, omniumque ordinum homines perditiſſime corrumpente. Hac, inquam, aetate: namque ante annos non adeo multos apud nos tum nobiliſſimae matronae, tum ipſi nobiles viri, ſimplicitatis antiquae nonnihil retinebant, et culinae

opera

opera per ſe ipſos non infrequenter obire in deliciis habebant. Praeterea animalium mactatio veteribus ſacra erat, vtpote quae ſine ſacris caerimoniis fere numquam perageretur. Quod ex verbis Eumaei luculente conſtat, vbi procorum inſolentiam apud Vlyſſem conqueritur, qui, abſente illo, eius bona abligueriebant, gregumque atque armentorum animalia multa ad quotidianum conuiuium ſine vlla intermiſſione mactabant. Inquit enim *Odyſſ. lib. XV.*

Ὅσσαι γὰρ νύκτές τε, καὶ ἡμέραι ἐκ Διός ἐστι,
Οὔποθ᾽ ἓν ἱερεύουσ᾽ ἱερήϊον, οὐδὲ δύ᾽ οἴω.

Quot ſummo namque ab Ioue ſunt noctesque diesque
Hi numquam faciunt ſacrum vnum; vel duo tantum.

Mactabantur ſiquidem victimae non ſolum ſolemniter a ſacerdotibus in templis, ſed etiam a profanis hominibus priuatim, tum in domibus, tum alibi. Vel igitur eae mactationes ſacrificia erant, vel eas non reſpuebant heroës, quod ſacrificiis peragendis eſſent adſueti. Sed ſtatim, ac mactaſſent, igni ad coquendum tradebant. Qui poterant rigentes illas, nulloque poſt mactationem interiecto tempore emollitas, carnes manducare? Nonne aiebam, nimis nos eſſe delicatulos, moresque veterum ex moribus noſtris iudicare temere velle? Carnes illas rigentes non auerſabatur eorum palatum, vel fortaſſe animalium in Oriente carnes non tam rigidae duraeque ſunt, quam noſtrorum, ſed teneriores.

Cum tres angeli ad quercum Mambre adparuiſſent Abrahamo, atque ipſe omni beneuolentiae officio, advenas eſſe reputans, excepiſſet, ad armentum cucurrit, tulit inde vitulum tenerrimum et optimum, deditque famulo, qui feſtinauit, et coxit illum *Geneſ. XVIII.* Vox illa *tenerrimum* teneritatem forſitan peculiarem carnium regionis illius indicat. Sed rigentes fuerint; quid tum? Sic placebant, quemadmodum etiam hodie Anglis et Germanis placent, iisque mirifice delectantur, cum noſtras adeunt regiones. Fortaſſe inſuper populi illi ſtomacho vtuntur firmiore, et ad cibos concoquendos multo

I 2 vali-

validiore, quam nos. Cui ſane ſtomachi ſtrenuitati ac robori tribuendum puto, ſi tam nimia cibi, carniumque copia ſeſe poſſent ingurgitare. Quandoquidem vero ſaepius dixi, diuinis paginis Homerum, Homeroque viciſſim diuinas paginas facem praeferre, age, duo conſideremus exempla, e ſacro codice deſumta, quae ad id, quod in hac parte apud Homerum abſurdum videtur, explanandum apprime faciunt: vnum nempe Abrahami, menſam hoſpitibus inſtruentis, quod ſupra attigimus; alterum opiparae, opulentiſſimaeque Salomonis menſae. Abrahamum igitur, perhibent ſacrae literae, vt ſubcinericios panes, pro more regionis, hoſpitibus pararet, tria ſimilae ſata commiſcuiſſe, ſexaginta videlicet frumenti pondo, vnumquodque enim ſatum viginti continet libras, mactatoque vitulo, obſonium praebuiſſe. Quod certe conuiuium non ſolis tribus, ſed multo pluribus apud nos large ſufficeret, non quidem ciborum varietate, ſed copia: ex quo apud Calmetium recte infertur, veteres multo largiore, quam nos, cibo vti conſueuiſſe. Quid autem de Salomonis menſa? Nonne quotidie cibum illius fuiſſe perhibent diuinae literae, libro regum tertio, triginta coros ſimilae, et ſexaginta coros farinae, nempe panis libras, quingenties ſeptuagies mille, ſeu ſextarios noſtrae menſurae mille centum et quadraginta? Nonne ad inſtruendum obſonium decem boues pingues, et viginti boues paſcuales, et centum arietes mactabantur, venatione demta ceruorum, caprearum, hinnulorum, et auium altilium? Equidem puto, ad multa hominum millia in Salomonis aedibus verſatos eſſe aulae miniſtros, famulosque, multumque etiam cibi ad magnificentiae oſtentationem quotidie ſuperfuiſſe. Nihilominus tam effuſus cibi adparatus adhuc videatur abſurdus, niſi eodem confugiamus, eos populos multo magis, quam nos, eſuriiſſe, et cibos voraſſe. Quid mirum igitur, ſi Homerus, qui circa Salomonis aetatem vixiſſe creditur, largiſſimis et ipſe carnibus heroum menſas inſtruat? Quid mirum, ſi Eumaeus, ad parandum Vlyſſi hoſpiti conuiuium, duos occidat ſues? *Odyſſ. lib. XV.* Quos tamen non duos ſues pingues

pingues fuiſſe putem, ſed duos porcellos: eos ſiquidem adpellat χοίρους, pingues vero ſues ibidem dicuntur σύες σύαλοι Itaque cum nullo alio ferme edulio vterentur, quam carnibus, acriorique fame exſtimularentur, ſtomacho inſuper vterentur validiore; minime mirandum, ſi et carnes rigidas, et longe abundantiores comederent.

Vltimo de potione illa *cyceone*, ſiue *coceto* nuncupata, aliquid dicendum. Equidem fateor, inſuetis nobis, vel cum narratur, iniucundam eſſe ac moleſtam: non inde tamen inferendum, delectabilem non fuiſſe veteribus, ac pergratam, cum ad ſe reficiendos eam ſumerent. Angli etiam hodie vinum cum lacte commixtum potant, eumque potum in deliciis habent. Vnguenta vino permixta antiquos bibere conſueuiſſe, docet Plinius *lib. III. c. 18.* atque Athenaeus *lib. XIII. c. 11.* Illinc illud Iuuenalis *Sat. III.*

Quum perfuſa mero ſpumant vnguenta Falerno.

Nunc vero nos tales potiones, quamuis beatioribus vſitatas, propter inſuetudinem, non minus, quam Homericum cyceonem, auerſamur. Praeterea obſeruandum, vinum dulce valde arriſiſſe Graecis. Vnde Homerus paſſim nominat μελιηδέα οἶνον *mellitum vinum.* Quae autem ad commiſcendum cyceonem concurrebant, caſeus, farina, mel, dulcia omnia. Cepas ipſas, quae illi potui adiungi ſolebant, non acris, ſed dulcis ſaporis eſſe in Graecia, maximeque in inſulis Aegaei maris, nec odore, quo noſtrae, ingrato adſici, teſtis luculentus in ſuis itineribus Sponius eſt apud Calmetium *Num. c. XI.* Non igitur faſtidiendus Homerus eſt aut reprobandus, propterea, quae a moribus noſtris diſſident, dum gentibus illis probata erant, vſuque recepta. Quemadmodum enim genus aliquod cibi, vel potionis, aliis populis acceptum, nobis eſt inſuaue; ſic e contrario, quod nobis adlubet et voluptuoſum eſt, aliorum palatum, vſu non accedente, ſaepe faſtidit. Neque tamen aequum eſſe dixerimus, ſi quis propterea nos redarguat, et con-

demnet, quod iis vtamur, quae palato ſuo iucunde non ſapiunt.

DISSERTATIO XVIII.

DE STATVRA ET ROBORE PRISCORVM HEROVM.

SYNOPSIS.

Plura, quae fabuloſa videantur, fabuloſa nequaquam ſunt. Antiquis temporibus vere exſtiterunt gigantes. Nullo modo illorum ſententia amplectanda, qui gigantis nomen in ſacris literis metaphorice interpretantur. Multa exempla conglobata adferuntur de proceris cadaueribus per totam Graeciam atque alibi diſperſis, et frequenter effoſſis, quae probabiliter heroum Troiani belli eſſe creduntur. Cauſſae, cur paulatim imminuta fuerit ſtatura et robur hominum priſcorum in poſteris, luxuries nimirum, intemperantia, deſidia. Cornelii Celſi luculentum teſtimonium. Carnium copiam comedebant heroës, ſed nulla condimentorum acceſſione, vinoque liberaliter indulgebant, ſed aqua ferme diluto.

Poëtam ac fabulatorem idem plane eſſe, vna eſt omnium ſententia, idque poëtae ſuo iam quaſi iure facere videntur, vt, quidquid fabularum velint, inuehant, illudque carminibus ſuis ſpecioſum reddant; pictoribus ſiquidem atque poëtis aequam ſemper fuiſſe quidlibet audendi poteſtatem, diſertiſſime docet Horatius. Quamquam autem haec vera ſunt, non tamen id omne, quod fabulae ſpeciem praefert, fabuloſum continuo eſſe dederim: quandoquidem veriſimile ex Ariſtotele eſt, multa vera eſſe, quae veriſimilia non ſunt. Profecto habentur in Homero nonnulla, quae ceteris fabulis, quas enarrat, accenſeri ſoleant, quae tamen vel nullo modo, vel non omnino, fabuloſa ſunt. Ex quibus duo in praeſentia mihi ſeligenda eſſe putaui, *ſtaturam* nempe, ac *robur priſcorum hominum*,

num, qui Troiano praeſertim bello interfuerunt, *vocemque Stentoris*, plane incredibilem. Vtrumque enim fabuloſe a poëta deſcriptum exiſtimant plerique. Dum igitur huiusmodi argumentum neque incurioſum, neque iniucundum pertractandum ſuſcipio, meas circa illud animaduerſiones ſolerti iudicio veſtro, eruditiſſimi auditores, libentiſſime ſubiiciam. Ne vero ſim, quam aequum eſt, prolixior, neue patientia veſtra abuti videar, bifariam argumentum diuidam, et vnam rem hodierna diſputatione expendam, alteram vero diſputatione, quae hanc proxime conſequetur.

Cum Diomedis, Graecorum longe fortiſſimi, ſi vnum Achillem excipias, praeclara facinora *Iliad. lib. V.* exornet Homerus, eumque haſta pugnantem, et multos hoſtium, eosque fortiſſimos, interimentem faciat, ad extremum deſcribit ſaxum etiam in Aeneam eiaculantem, eiusque coxendicem illo ferientem; ſed ſaxum eiusmodi, vt non duo geſtarent homines, quales modo naſcuntur, En ipſa Homeri verba

— — — ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδείδης, μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύογ᾽ ἄνδρε φέροιεν,
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. — — — —

— — — ſaxum accipit ingens
Tydides, quod bina hominum vix terga ſubirent,
Quales nunc tellus producit. — — —

Hoc autem, quod Troiani belli homines ſtatura praeſtantiores eſſent, et robore, alibi etiam ſaepe iisdem plane verbis indicat, atque adeo de proceriſſimis quibusdam hominibus, ſiue gigantibus ſermonem habet. Sed haec multi non admittunt, et ad ceteras fabulas reiiciunt. Vt rem probe diſpiciamus, animaduertere opus eſt, antiquis temporibus vere exſtitiſſe gigantes. Neque enim illorum ſententiam vllo modo amplectendam exiſtimamus, qui gigantis nomen in diuinis literis metaphorice interpretantur, et ad alium ſenſum, ac manifeſtiſſima ſacri textus verba praeferunt, temere detorquent. Sed, quod iam de hoc alii diſſeruerunt, remque planam ſatis ſuperque fecerunt,

runt, et faſtidioſos huiuſcemodi interpretes validiſſimis rationibus refutauerunt, ad eos vos remittimus, adoleſcentes, maximeque ad Auguſtinum Calmetium, qui doctiſſimam de gigantibus diſputationem ſcripſit, ex qua nos ſtudioſe nonnulla ſelegimus, atque huc tranſtulimus. Quos igitur ſacrae literae referunt, proceritate corporis inſignes, miſſos faciemus, et aliorum, qui apud profanos ſcriptores commemorantur, maxime vero, apud Homerum, nonnulla adferemus in medium teſtimonia, e quibus ferre poſſitis iudicium, vtrum fabuloſum Homeri dictum habendum ſit, an verum.

Iam vero Phlegon, Adriani libertus, *de reb. mirab. c. 12. ex Apoll*, vbi eluuionis cuiusdam mentionem facit, quae ad Meſſeniam in Peloponneſo contigit, caſu detectum monumentum eſſe perhibet, in quo hominis caluaria adſeruabatur triplo maior, quam quae vulgo in hominibus conſpiciuntur, in qua nomen *Ideus* graece inſcriptum erat; vnde coniectura ducta eſt, caput illud fuiſſe Idei, herois inclyti, et inter gigantes ſtrenuiſſimi, ab Apolline, quem ad ſingulare certamen prouocauit, interfecti, vt narrat Homerus *Iliad. lib. IX.*

> *Ἰδεώθ᾽ ὃς κράτιστος ἐπιχθονίων γένετ᾽ ἀνδρῶν*
> *Τῶν τό τε.* — — — — — —
>
> *Atque Idei, ingenti vicit qui robore cunctos,*
> *Quos homines tunc terra aluit.* — — —

Thomas autem Fazellus, hiſtoricus Siculus, *Dec. I. lib. I. c. 6. et alibi* plura adfert exempla de cadaueribus gigantum, in ea regione idemtidem effoſſis, inter quae narrat, duobus circiter abhinc ſeculis repertum eſſe in agro Mazarae corpus tam ingenti proceritate, vt eius caluaria modium aequaret, vnusque dens, quem ipſemet in cimeliis apud ſe ſeruabat, ſelibrae paene efficeret pondus. Ex quo confirmari poſſit vetus illa traditio de natione Cyclopum apud Homerum, et de Eurymedonte, eorum rege, *Odyſſ. lib. VII.*

> *Ὃς ποθ᾽ ὑπερθύμοισι γιγάντεσσιν βασιλεύειν*
> *Qui tenuit quondam tumidorum regna gigantum.*

In

In Creta, terrae motu rupto monte, inuentum eſſe corpus ſtans, ſex et quadraginta cubitorum, refert Plinius lib. VII. c. 16. quod alii Orionis, alii Oti fuiſſe arbitrati ſunt. Eſt autem Orion vir ille gigas, frater Ephialtis, qui puer nouennis corpore erat nouem cubitos craſſo, et alto ſex et triginta, ſi Homericae narrationi habenda ſit fides. Narratur quoque, prope Romam, ſub Henrico ſecundo, Imperatore, Conradi filio, effoſſum proceriſſimum cadauer, quod complures docti homines Pallantem eſſe, Euandri filium, quem Turnus interemit, iudicauerunt. *v. Iac. Philip. Berg. ſuppl. Chron. lib. III.* Aliud, quod magis fidem ſuperare videatur, refert Boccaccius noſter *lib. IV. Genealog.* Drepani in Sicilia inter effodienda aedificii cuiusdam fundamenta coecum vaſtumque antrum reuelatum eſt, quo, incenſam praeferentes facem, foſſores illi ingreſſi in cadauer hominis inciderunt, de cuius immenſa propemodum magnitudine coniecturam inde capere licet, quod trabem, veluti nauis antennam, pro ſcipione habebat in manu. Tanta immanitas monſtri principio terrorem iniecit foſſoribus, coëgitque e loco ſeſe proripere; ſed animis iterum confirmati, et armatorum hominum manu ſtipati, redierunt; at gigas, vix tactus, abiit in cineres. Polyphemus Homero et Virgilio celebris gigas ille viſus eſt, de quo, imitatus Homerum, Virgilius cecinit:

Trunca manum pinus regit, et veſtigia firmat.

Sed et diuum Auguſtinum audiamus, de cuius in narrando fide nemo vmquam ſine piaculo dubitauerit. *Vidi,* inquit, *ipſe non ſolus, ſed aliquot mecum, in Vticenſi litore molarem hominis dentem tam ingentem, vt ſi in noſtrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuiſſe; ſed illum gigantis alicuius fuiſſe crediderim de ciuit. dei. lib. XV. c. 23.* Decem cubitis altos Troiani belli heroas fuiſſe, perhibet Philoſtratus *Heroic. prooem. et cap. I. n. 2.* Agit ille pariter de Aiacis cadauere, cuius ſepulcrum, iuxta mare poſitum, reducentes arenam fluctus detexerunt, atque in illo inuentum

eſt cadauer, vndecim cubitis procerum. Adrianus vero, Imperator, rudera Troiae inſpecturus, adueniens oſſa illa reſtauratum in ſepulcrum recondi iuſſit. Cui Philoſtrati de Aiace teſtimonio fidem adſtruit Pauſanias, qui narrat in Atticis, eius herois tumulum, qua mare reſpicit, aditu facilem eſſe; inde vero argumentum de viri ſtatura capiendum, quod genuum vertebrae, ſiue molae athletici inſtar diſci eſſent. Meminit inſuper idem Philoſtratus de gigante, cuius cadauer quidam e neceſſariis ſuis in inſula Coo ante quatuor annos e latebris eruerat. Spectaſſe item ſe, teſtatur, cum ad inſulam Lemnum adueniſſet, oſſa gigantis, a Menecrate quodam detecta; ex quibus, diſſoluta licet compage, coniectare licebat maximam hominis proceritatem, cuius caluariae tanta erat capacitas, vt duas Cretenſes amphoras ſuperaret. Et complura alia huiuſce rei exempla congerit in ſuo illo opere de rebus heroicis. Quae nequaquam a Philoſtrato mendaciter recenſeri, ex Pauſania diſcimus, qui ſcriptor eſt fide digniſſimus, teſtisque cadauerum giganteorum, per totam Graeciam diſperſorum, luculentiſſimus. Sed ſi haec vera ſunt, inquitis, cur ſtatura hominum a Troiani belli aeuo decurtata eſt; roburque imminutum? Nam cum priſcos illos heroas, tum ſtatura proceriores, tum robore praeſtantiores poëta exhibet, eos longe hominibus ſui temporis antecellere praedicat, ſicut hic videtis in Diomede, quem dicit, vt ex allatis ſuperius carminibus cognoſtis, ſaxum manu ſola prehendiſſe, idque maxima cum agilitate, quod duo viri ſui ſeculi ferre non potuiſſent. Quam adferam, huiuſce rei cauſſam vtrum admiſſuri ſitis, ignoro, auditores; adferam tamen.

Veriſimile eſt, victum frugalem, quo illi vtebantur, laboris ſtudium, quem minime detrectabant, vitamque a vitiis valde alienam in cauſſa fuiſſe, vt corporis magnitudine, optimaque et integerrima valetudine pollerent, adeoque robuſtiores eſſent, quam qui conſecutis temporibus vixerunt, quos omnis paulatim luxuria atque intemperantia, omnisque deſidia corrupit, ac peſſum dedit, quibus corpora frangi, viresque imminui ac langueſcere, certiſſimum

mum eſt: vnde et morbis magis fuerunt obnoxii poſteri, quam veteres illi homines, quos non Homerus ſolum, ſed et alii, qui ſimilia pertractant, nullo morbi genere conflictatos eſſe tradunt, niſi coelitus immiſſo, vt Iliadis libro primo peſte ab Apolline immiſſa conflictati ſunt Graeci. Haec autem ne inaniter dicta eſſe, et a veritate abeſſe credatis, grauiſſimi ſcriptoris, Cornelii Celſi, facit auctoritas *libro primo*. *Homero auctore*, inquit ille, *diſci poteſt, morbos tum ad iram Deorum immortalium relatos, et ab iisdem opem poſci ſolitam, verique ſimile eſt, inter nonnulla auxilia aduerſae valetudinis plerumque tamen eam contigiſſe ob bonos mores, quos neque deſidia, neque luxuria vitiarent. Siquidem haec duo, corpora prius in Graecia, deinde apud nos adflixerunt. Ideoque multiplex iſta medicina neque olim apud Graecos, neque apud vllas gentes neceſſaria vix aliquot ex nobis ad ſenectutis principia perducit.* Haec ille. Quodſi cui hae rationes ſatis non ſint, cur ſtatura roburque hominum ſit imminutum, addi poteſt, hanc etiam ſeneſcentium temporum naturam fortaſſis eſſe; vt, quo longius in mundo progredimur, eo imbecilliora reddantur omnia, non ſecus atque annis ingraueſcentibus virtus hominum frangi ac debilitari ſolet. Sed adhuc fortaſſe rationi neutiquam conſentaneum putabit aliquis, nec credere ipſummet Homerum potuiſſe, in animum inducet, tam breuis temporis ſpatio, centum circiter annorum curriculo (nam, ex communi τῶν χρονολόγων calculo, atque ex ipſo Plutarcho, tot interfluxerunt anni inter bellum Troianum et Homeri tempora), tam inſigne humanae proceritati ac robori decrementum obtigiſſe. Vtut tamen res ſeſe habeat, Virgilius certe in huiuſcemodi dicto Homero fuit multo audacior atque intemperantior. Ait enim de Turno, ingens ſaxum, quod in agro iacebat, neque non ſolum duo, vt habet Homerus, ſed ne duodecim quidem homines, quales nunc ſunt, geſtarent, ab illo prehenſum, atque in Aeneam fuiſſe contortum *Aeneid. lib. XII.*

Vix illud lecti bis ſex ceruice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Huc

Huc etiam reſpexit Iuuenalis ſatyra decima quinta:

Saxa inclinatis per humum quaeſita lacertis
Incipiunt torquere, domeſtica ſeditione
Tela; nec hunc lapidem, quali ſe Turnus et Aiax,
Et quo Tydides percuſſit pondere coxam
Aeneae, ſed quem valeant emittere dextrae
Illis diſſimiles, et noſtro tempore natae;
Nam genus hoc viuo iam decreſcebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atque puſillos.

Non infitior tamen, poëticae exaggerationi aliquid fortaſſe tribuendum eſſe, vt non ad philoſophicam amuſſim, ſed ex aliqua exſuperantia, atque ὑπερβολικῶς locutus ſit, vbi heroum ſtaturam et robur deſcripſit. Nihilominus ex tot allatis teſtimoniis facile credi poſſit, adhuc ex antiquiori aeuo nonnullos homines heroicis temporibus ſupereſſe multo proceriores ac robuſtiores, quam homines temporum conſecutorum; Homerum vero id generatim de heroibus fere omnibus adfirmaſſe, vt maiorem ipſis aeſtimationem conciliaret, bellique Troiani a ſe habitam narrationem faceret luculentiorem. Neque enim crediderim, id vmquam Homerum dixiſſe, niſi probabiliter dicere potuiſſet; Homerum, inquam, adeo ſolertem, adeo prudentem, adeo callidum, vt proinde proponatur vbique tamquam exemplar abſolutiſſimum ſcriptoris maximi, iudicio praediti. Nam, quod in arte Horatius praecipit,

Ficta voluptatis cauſſa ſint proxima veris;

ipſemet ex Homeri exemplis didicit.

Sed ad aliud, quod rurſus obiicitur, reſpondendum. Quomodo, inquiet aliquis veſtrum, hanc in heroibus illis ſobrietatem, et intemperantiae vacuitatem modo commendas, qui, ſuperiori diſputatione de cibo potuque heroum diſſerens, ingentem carnium copiam eos comedere fuiſſe ſolitos, vinumque adfatim bibiſſe adfirmaſti? Adfirmaui ſane; ſed vinum numquam non aqua in cratere dilutum potabant, aliquo demto exemplo, quod raro admodum

modum contigit. Carnes multas comedebant; ſed nulla horum condimentorum acceſſione, quae nihil aliud ſunt, quam ſuauia eſcis admixta venena. Nam, vt in Plauti Bacchide eſt, *hoc quidem homines tam breuem vitam colunt, quod condimenta huiusmodi in ſuam congerant aluum.* Et rurſus in Pſeudolo veriſſime ait: *Condimenta ſunt, quae inteſtina conuiuis exedunt.* Nulla tunc gulae irritamenta, nulla bellaria, cupedia nulla, nullae mattyae. Aridus ac parabilis cibus, panis videlicet, et caro aſſa, vinumque aqua commixtum, totus erat vel opipararum menſarum adparatus. Nusquam heroum ebrietas, nusquam crapula: vno verbo, certum eſt, nihil obſtitiſſe intemperantiam, quin ſtatura proceriores et robore validiores, et a morbis immunes fuerint, vt ex Celſi teſtimonio dicebamus.

DISSERTATIO XIX.

DE VOCE STENTORIS.

SYNOPSIS.

Aerea vox Stentoris non pro infragili, ſed pro immenſa vſurpatur ab Homero. Aes campanum turris veterum aedium regiarum in foro maximo. Sennacheribi clamor aduerſus Iudaeos obſeſſos. Herodotus cuiusdam Aegyptii meminit vocaliſſimi. Vox teterrima cuiusdam lenonis apud Boccaccium. Thraſybulus, Athenienſium dux, vocis magnitudine perinſignis. Carneadis philoſophi maxima ac ſonantiſſima vox. Concertantium in philoſophicis ac theologicis diſputationibus clamor. Stentorea vox in cantu. Ingens vox roboris ac fortitudinis indicium. Voce bonus Menelaus, aliique heroës adpellati. Vox magna leonis et tauri. Neptuni clamor paene incredibilis. Laus Daceriae, quae Homericum locum elegantiſſime in gallicum ſermonem vertit. Quomodo Virgilius locum de Stentore imitatus ſit. Vox Stentoris in prouerbium abiit. Tota Ilias in membrana deſcripta, quam teſta nucis caperet. An id fabuloſum. Siglis ac notis compendiariis Graeci amanuenſes abundabant. Catecheſes Cyrilli Ieroſolymitani extemplo

templo dictae, ab amanuenſibus exceptae. In inteſtino Draconis vtrumque Homeri poëma aureis literis deſcriptum. Callicratis, ac Myrmecidis tenuiſſimi currus, qui ſub alis muſcae abſcondebantur. Minutiſſimis etiam literis ſcripta quaedam noſtrorum temporum.

An fieri poſſit, vt vox hominis vnius tam ingens ſit ac ſonora, vt quinquaginta voces hominum conclamantium adaequet? Res plane mira, et quae fidem ſuperet. Homerus tamen, talem tantamque vocem valuiſſe emittere Stentorem, adfirmat: de qua, quemadmodum pollicitus vobis ſum, hodierna diſputatione verba mihi facienda ſunt. Homeri locum, qui in fine libri quinti Iliadis habetur, primum omnium recitemus:

> Ενθα ϛᾶσ' ἤϋσε Θεὰ λευκώλενος Ἥρη
> Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ,
> Ος τόσον αὐδήσασχ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.

Quos verſus ad hunc modum latine ſumus interpretati:

> *Stans ibi clamauit Dea candida Iuno lacertos,*
> *Stentora ſe ſimulans, cuius vox aerea, clamorque*
> *Aequabat clamantia guttura quinquaginta.*

Aerea igitur voce praeditum vates adpellat Stentorem, non ea ſignificatione, vt vox eius eſſet infragilis, ἄῤῥηκτος, quamquam et haec ſignificatio voci aereae poſſit attribui; ſed, quod longe lateque exaudiretur, vt mox ſubdit: quandoquidem tantum ſoni ipſe ſolus edebat voce ſua, quantum quinquaginta alii, qui ſimul vociferantur. Adpoſite autem vocem hanc aeream dixit. Aes enim, aut cuprum, magnam habet vim ad ſonitus ingentes in aëre ciendos, in cuius rei teſtimonium adferri poſſunt aerea, vt aiunt, campana, quae ad multa paſſuum millia exaudiuntur, inter quae celeberrimum illud fuit, quod ſtupendae turri veterum nobiliſſimarum aedium, quae in foro maximo huius vrbis ad ſummi magiſtratus ſedem excitatae olim ſunt, includebatur, cuius tanta erat moles, vt plures homines aegre valerent illud pulſare. Nomen autem *Vaccae* ei a vulgo tributum fuit, a nomine, vt puto,

to, ipſius turris, quae ante etiam, quam maxima illa nola illi committeretur, *turris Vaccae* gentilitia praeclariſſimae familiae nomine vocitabatur. *Vacca mugit*, longinqui ab vrbe populi, ad quos vel ad quatuordecim millia paſſuum ſonus eius diffundebatur, dictitare ſolebant: mugitus enim ille ſaepe ad arma ciues conuocabat. Sed haec praetereamus, quae obiter indicaſſe, neque ab re abſonum, neque vobis iniucundum fuerit, ſpectatiſſimi iuvenes. Praetereundum autem non eſt, magnam vocem in loco, quem explicamus, ſatis adpoſite tributam eſſe ab Homero Iunoni; ſiquidem nihil aliud vox eſt, quam percuſſus aër, per Iunonem ſignificatus. Oportuit autem Iunonem ſic vociferari, vt videlicet omnes in tam magno exercitu clamantem audirent. Succurrit mihi quid prorſus ſimile in ſacris literis de Sennacheribo, impio illo Aſſyriorum rege, qui, cum vrbem Ieroſolymam Ezechiae aetate obſidione vallaſſet, e caſtris ſuis extremum minitabatur excidium obſeſſis, vt talibus minis perterriti manus darent. *2 Paralip. XXXII, 18. Clamauit autem*, inquit diuinus ſcriptor, *voce magna*, Stentorea ſcilicet, vt ego interpretor. Alioquin quomodo a populis, qui in muris erant vrbis obſeſſae, exaudiretur? Exauditus eſt autem, eiusque teterrimis minis perterritus, Ezechias rex opem ab exercituum Deo impetrauit et retulit.

Quapropter miror ſane, hunc Homeri locum adeo nonnullis diſplicuiſſe, tamque abſurdum incredibilemque arbitratos eſſe, vt verſiculum illum, quo facit poëta vocem ſtentoris quinquaginta hominum vocibus parem, expunxerint. In multis enim codicibus non legi, teſtatur Euſtathius. Miror, inquam: nam abſurdius eſt atque incredibilius, quod de Neptuni boatu idem Homerus narrat, vt mox dicemus; nec tamen locus ille expunctus eſt. Cur igitur expungatur alter, qui prae illo longe modeſtior eſt?

Ceterum in hiſtoria etiam Herodotus meminit cuiusdam Aegyptii, omnium mortalium ſimilem in modum vocaliſſimi, qui in caſtris Darii erat. Porro Stentor hic, de quo meminit Homerus, in mentem mihi reuocat hominem

minem illum peſſimum, et lenonia arte infamiſſimum, qui ingenti atque horribili voce e feneſtra domus Andreocium Peruſinum apud Boccaccium noſtrum exterruit, atque ab aedibus expulit, dum per maximum dolum ab improba, quae intus habitabat, muliere rapto ſibi marſupio, argenti pleno, nocte intempeſta eiuſce domus fores pulſabat, vt intro reciperetur. *Fab. V. diei 2.* Eius enim teterrimam vocem tam graphice depinxit, ſolerterque expreſſit paucis quidem, ſed ſignificantiſſimis verbis ſcriptor noſter celeberrimus, vt non minorem, quam Homerus, admirationem et laudem mereatur.

Thraſybulus quoque, dux claſſis Athenienſium, vocis magnitudine perinſignis fuiſſe traditur. qui auctor fuit, vt militari ſuffragio Alcibiades ab exſilio reuocaretur. Memini etiam me legere in Carneade, Cyrenenſi philoſopho, quem μεγαλοφωνότατον, hoc eſt, vocaliſſimum deſcribunt Plutarchus et Laërtius, qui maximam et ſonantiſſimam vocem, qua pollebat, moderari vix poterat, adeo, vt, dum in gymnaſio doceret, ingenti voce ſua audientium aures obtunderet, ac paene ſurdos faceret nimio clamore: quamobrem ſaepius eum monere gymnaſii princeps coactus eſt, ne tantopere clamaret. Cui aliquando ille dixit: *Da mihi vocis modum;* cui gymnaſiarcha: *Modum habes auditores tuos.* Praeceptum hoc inculcandum ſane foret concertantium plerisque in philoſophicis ac theologicis diſputationibus. Saepe enim tam immodice vociferantur, vt miſeris auditoribus eorum clamor (Plautine loquar) cerebrum excutiat. Fidem etiam adſtruunt Stentoreae voci ab Homero deſcriptae monachorum quidam, dum vel in templis laudes Deo perſoluunt, vel mortuos deducunt ad tumulum, per vias vrbis circumeuntes. Eorum enim aliquis vno ſaepe tonitru vocis ſuae ceterorum adſeclarum cantum plurium quandoque, quam quinquaginta vel exaequat, vel etiam ſuperat, magna interea popelli corona ſacrum illum Stentorem, dum offert, verbo dicam Dauidico, *vociferationis hoſtiam* ſtipante, admirante, magnisque adplauſibus extollente.

Illud

Illud vero nequaquam ſilendum, ingentem vocem roboris indicium eſſe, ac fortitudinis. Qui enim magna claraque voce praeditus eſt, magnum etiam thoracem habet, vaſtumque, cui calidum cor ineſt, ac ſtrenuum, vt putant aliqui philoſophi; ex quo animi fortitudo corporisque robur proueniunt. Hinc paſſim apud hunc poëtam *βοὴν ἀγαθὸς, voce bonus*, Menelaus aliique heroës adpellantur. Hinc Hector, cum multas caedes patraſſet, et in Teucrum, aurigae ſui interfectorem, ira percitus vrgeretur, *σμερδαλέα ἰάχων, horribiliter vociferans* ab eo dictus eſt *Iliad. lib. VIII.* Et Ariſtoteles ingentem vocem tauro atque leoni ineſſe tradit, quod robuſtiſſima ac fortiſſima animalia ſint. Cui diuus Ioannes in Apocalypſi VI, 1. conſonat, qui leoni vocem, tamquam *tonitrui*, attribuit.

Sed de Neptuni voce iam dicendum, quae fidem multo magis, quam vox Stentoris ſuperare videtur, vt ſupra aiebam. Itaque, cum Neptunus res Graecorum in peius ruere videret, Achille adhuc in ira obfirmato et a pugna abſtinente, Agamemnoni animos addit, eumque, vt cum hoſtibus acriter dimicet, adhortatur. Vbi vero Agamemnonem ſtimulaſſet, vt pariter incitaret omnes Achivos, fortiter clamauit, tanta ſcilicet voce, tantoque clamore, quantum emitterent nouem, vel decem hominum millia in bello. Quo facto magnum plane robur in Graecorum pectora immiſit. En Homericum locum:

Ὣς εἰπὼν μέγ᾽ ἄϋσεν ἐπεσσύμενος πεδίοιο,
Ὅσσον τ᾽ ἐννεάχιλοι ἐπίαχον, ἢ δεκάχιλοι
Ἀνέρες ἐν πολέμῳ ἔριδα ξυνάγοντες ἄρηος.
Τόσσον ἐκ στήθεσσιν ὄπα κρείων ἐνοσίχθων
Ἧκεν, ἀχαιοῖσιν δὲ μέγα σθένος ἔμβαλ᾽ ἑκάστῳ
Καρδίῃ, ἄλληκτον πολεμίζειν, ἠδὲ μάχεσθαι.

Quae carmina adhunc fere modum latine verti poſſe cenſuimus:

Sic fatus campum inſiluit, clamoribus auras
Implens: nam quantum clamant noues deciesque
Mille homines, cum caſtra ruunt Mauortis in arma;

Tantam Neptunus miſit de pectore vocem,
Adderet vt robur Graiis in praelia longa.

Quamquam vero, cum immodica quadam ſermonis exſuperantia haec dicta eſſe, a poëta, videantur; non tamen abſurdum puto, immo Deo valde decorum, ſi tantam vocem emittere potuerit, quum praeſertim Neptunus aquarum Deus haberetur. Quis enim ignorat ingentem maris ſonitum, cum procellis exagitatur? Certe cum Ioannes vocem ſummi numinis exprimeret in diuina reuelatione inquit, vocem illius ſe audiuiſſe, tamquam *vocem aquarum multarum.* Nimis ergo frigide putideque Homeri dictum interpretatur Ariſtarchus. Cum enim tanta Neptuni vox illi prorſus videretur incredibilis, non legebat ἐννεάχιλοι, ἢ δεκάχιλοι *nouem* nimirum *aut decem millia;* ſed ἐννεάχειλοι, ἢ δεκάχειλοι, hoc eſt, *nouem aut decem labia*, quod idem eſt ac nouem decemue homines. Sed hoc modo nihil grande de Deo dixiſſet. Si enim Stentor tantum clamabat, quantum quinquaginta homines; Neptunus profecto, tantus Deus, non minorem, ſed multo maiorem hominum clamantium numerum exaequare debuit.

Hic vero ſatis admirari non poſſum ſolers illius nobiliſſimae feminae e Gallia iudicium, quae Homerum patrio ſermone elegantiſſime interpretata eſt, Daceriae, inquam; quae, cum videret, huiusmodi expreſſione, pulcherrima quidem in graeca lingua, nequaquam ſibi licere cum laude vti in gallica, ſimulque nollet tam pulcrum poëtae dictum ſiue omittere, ſiue imminuere, prudenter dixit, vociferatum eſſe Neptunum, quantus clamor eſſet totius exercitus, irrumpentis in pugnam. Hac enim ratione et Homericam ſententiam tenuit, niſi etiam amplificauit, ſiquidem totus exercitus ad centum millia virorum pertingebat, et tamen huiusmodi dicendi forma vſa eſt, quae neque duriuſcula eſſet, neque elegantiae linguae ſuae inconcinna. Quod vero Neptunum, Deum tam magnum atque inſignem, clamor ille optime deceret, probare poſſem ſimilibus dicendi formis, quibus Dei vocem exprimit

primit ſacer codex. Pſalmorum enim ſcriptor ait: *Vox domini in magnificentia*, Pſ. XXVIII, 4. Et rurſus: *A voce tonitrui tui formidabunt*, Pſ. CIII, 7. Iobus vero: *Tonabit voce magnitudinis ſuae*, cap. XXXVII, 4.

Sed, vt abſoluamus alterius, quem attulimus, prioris loci explanationem de voce Stentoris, notandum eſt, quomodo imitatus ſit illum Virgilius, diuerſo nempe ſenſu. Homerus enim vocem aeream ibi vſurpauit pro voce immenſa, longe lateque ſonum ſuum diffundente, vt declarauimus. Virgilius vero vocem ferream dixit pro voce infragili, quae clamando non deficit. *Aeneid. lib. VI.*

Non mihi ſi linguae centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina poſſem.

Vbi inſuper obſeruandum, quod Virgilius pro aerea, vt eſt apud Homerum, dixit *ferream*, moribus ſuae aetatis ſe prudenter accommodans, quae magis habuit in vſu ferrum, quam aes; cum contra heroicis temporibus magis in vſu eſſet aes temperatum, quam ferrum, vt decima ſexta diſputatione demonſtrauimus. Denique pro comperto eſt, vocem Stentoris abiiſſe in prouerbium, quod apud Iuuenalem legitur ſatyra decima tertia:

Tu miſer exclamas, vt Stentora vincere poſſis.

Cum vero duabus hiſce poſtremis diſputationibus duo ab Homero recenſita miracula explanauerim, videlicet ſtaturam ac robur heroum Troiani belli, vocemque Stentoris, et quae fidem ſuperare videbantur, credibilia, niſi fallor, fecerim; aliud etiam miraculum, pro huius ſermonis corollario, breuiſſime expendam, non quod in Homero ſit, ſed quod ipſum reſpiciat. Illud enim diſſertatione tertia commemorabam, cum vos ad Homeri ſtudium adhortarer, ſpectatiſſimi adoleſcentes, nempe totam Iliadem in tenuiſſima membrana antiquitus fuiſſe deſcriptam, quam complicatam teſta nucis caperet. Quod cum vobis narrarem, nihil de ea re me ſtatuere memini, vtrum vere, an falſo memoriae proditam eſſe exiſtima-

 rem.

rem. Vos autem iam tum, adoleſcentes, exſpectatis, et a me veſtro quaſi iure poſtulatis, vt meam vobis opinionem patefaciam, ac noſſe cupitis, vtrum ad hiſtoriam, an ad fabulas id amandandum putem, et quandoquidem alia illa duo miracula tuitus ſum, an aliquid praeſto mihi ſit, quo et huic fidem adſtruam. En vobis indulgeo, quaeque habeo ad rei, quae fidem omnem ſuperare videtur, veriſimilitudinem comprobandam, indicabo potius, quam explicabo. Nux illa ex maioribus fortaſſe fuerit, membrana autem ex tenuiſſimis, quales Sinenſium ſunt, aëri potius, quam craſſae materiae ſimiles, adeo, vt explicata in magnam ſuperficiem extenderetur, complicata in paruum globulum contraheretur, praeſertim cum et complicatio artificioſe facta multum conferre potuerit ad membranam ſubtilius contrahendam. Praeterea dicere poſſem, totam ibi ſcriptam fuiſſe Iliadem per ſiglas, ſiue literas ſingularias, ſiue etiam notas compendiarias, quibus graeci amanuenſes antiqui incredibiliter abundabant, ita, vt poſſent excipere orationes, quas populo dicerent Patres graeci, vt de catecheſibus pulcherrimis ac doctiſſimis Cyrilli Ieroſolymitani certiſſimum eſt; quae proinde αὐτοσχέδιασθεῖσαι inſcriptae ſunt, hoc eſt, ex tempore dictae, quaeque ad nos hac via deuenerunt, alioquin in aërem euanuiſſent maxima reipublicae chriſtianae iactura. Habeo auctoritatem Ciceronis, Plinii, Solini atque aliorum, qui id memoria prodiderunt. Habeo aliud ſimile, quod narrat Zonaras, et Cedrenus: videlicet in bibliotheca Conſtantinopolitana librorum pleniſſima, quae ſub Baſiliſco Imperatore conflagrauit, inter alia fuiſſe: τὸ τοῦ δράκοντος ἔντερον, ἐν ῷ ἦν γεγραμμένα τὰ τοῦ Ομήρου ποιήματα, ἥτε Ιλιὰς καὶ Οδυσσεία χρυσέοις γράμμασι μετὰ καὶ τῆς ἱσορίας τῆς τῶν ἡρώων πράξεως: hoc eſt, *draconis inteſtinum, cui Homeri poëmata, Ilias et Odyſſea, aureis literis fuerunt inſcripta, cum hiſtoria rerum ab heroibus geſtarum.* Habeo ex Plinio *lib. VII. c. 21.* Callicratem, ac Myrmecidem currus ex ebore fabrefeciſſe, qui ſub muſcae alis abſconderentur. Habeo et exempla noſtris quoque temporibus prolixioris ſcripturae minutiſſimis literis in

modica

modica chartula exaratae, quaé nudis oculis legi nequeunt ſine lenticularis perſpicilli ope. Habeo omnia haec, quae ſi vobis non ſufficiunt, ad fidem narrationi huiusmodi plane arduae creditu conciliandam, nihil aliud praeterea, quod vobis adferam, habeo.

DISSERTATIO XX.

QVAE SVMMAM TOTIVS ILIADIS, NONNVLLIS ANIMADVERSIONIBVS ILLVSTRATAM, EXHIBET.

SYNOPSIS.

Haec ſumma Virgiliano aenigmati coeli, ac tabulae geographicae comparata. Magis vnum Achillem, quam totum Graecorum exercitum timent Troiani. Centum millia virorum in Graecorum acie numerata ſunt. Catalogus copiarum nauiumque pleniſſimus veterum hiſtoriarum theſaurus. Commentaria in hunc catalogum antiquitus ſcripta. Quid Homerus intellexerit in Minerua, Pandaro ſuadente, vt foedus iuramento ſancitum violaret. Ethnici putarunt, Deos, humanis adfectionibus et calamitatibus obnoxios, vulnerari poſſe, non autem mori. Mille Graecorum fuerunt naues. Pro muro ad eas defendendas ſatis erat Achilles. Ex orationibus, quas ad Achillem habuerunt miſſi oratores, multum profecit Demoſthenes. Vberrima rerum varietas apud Homerum mirifice delectat. Iouis ſomnus explicatur. Alexandri M. ad Achillis tumulum fletus. Boiuinius aere caelatam clypei Achillis figuram dedit. Plurimum antiquae eruditionis hauriri poteſt ex deſcriptione pyrae atque exſequiarum Patrocli. Homeri et Virgilii comparatio in deſcriptione ludorum, ſiue certaminum. Regiis aedibus Iliacum Homeri poëma adſimilatum.

Vt Homeri amorem iuſtamque exiſtimationem in animis veſtris excitaremus, diſputationibus ad hunc diem habitis laborauimus, adoleſcentes, qua eius magnitudinem, ſapientiam, elegantiam vobis commendando; qua cri-

minationes, quibus immerito nonnulli eum ſugillarunt, et proſciderunt, refellendo; qua maiores difficultates, emolliendo aut enodando, quae offenſionem tironibus facile adferre poſſent. Antequam modo progrediamur ad alia, eaque maxime euoluamus, quae ad Deos pertinent, Iliadem omnem ſub vnum conſpectum vobis dare conſtituimus, vt eius ſemel praecognita ſumma, accepto veſtris mentibus quaſi ſemine, vberiorem fructum, dum poëma hoc domeſticis inſtitutionibus vobis exponimus, edere poſſitis. Aenigma coeli, vt opinor, in ſpeculo aut lebete aquae pleno repraeſentari Damoetas apud Virgilium *Eclog. III.* ad hunc modum Menalcae propoſuit;

Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat coeli ſpatium non amplius vlnas.

Non aliter ego, adoleſcentes, Iliadis imaginem, quam, nobiliſſimi coeli inſtar, ſplendido ac beatiſſimo optimarum rerum adparatu latiſſime explicauit Homerus, hac breui diſputatione contractam vobis exhibeo. Aut quemadmodum ingentes terrae tractus, qui in tot regiones ac regna diſpeſcuntur et diſterminantur, perangusto pagellae ſpatio oſtendunt Geographi, quam inſpicere atque expendere vtiliſſimum eſt longinquam peregrinationem habituris; ſic Iliaci poëmatis amplitudinem, nonnullis admixtis vtilibus animaduerſionibus, hodiernus ſermo coarctat, in quem intendiſſe mentis aciem, valde vobis proderit, quos ad percurrendum alacri ſtudio tam vaſtum Homericae ſapientiae regnum accinctos video.

Irato igitur Achille *lib. I.* et a pugna ceſſante, cuius irae cauſſam octaua diſputatione expoſuimus, Troiani, qui totis decem annis egredi ad pugnandum minime auſi fuerant, tandem eruperunt. Quid praeclarius ac magnificentius ad Achillem celebrandum excogitari poterat, quam facere Troianos, feroces alioqui populos ac bellicoſos, eius magis vnius fama perculſos et conterritos, quam tot ceterorum inuictiſſimorum ducum vna conſpirantium, totiusque graeci agminis, quod militibus centies mille conflabatur, pertimeſcentes virtutem? Tunc Iupiter, immiſſo

miſſo ſomnio, Agamemnonem monet, vt copias in praelium educat. Congregatis ille optimatibus, quid conſilii animo verſet, oſtendit, vtque militum exploret animos, in patriam hortatur fugere. Quos tamen ad diſcedendum ſe parantes (pigebat enim, tot annos, infecta re, a patria abeſſe) Vlyſſes et Neſtor, concione habita, detinuerunt, *lib. II.* Nam hoc ipſum voluerat Agamemnon, vt eo tentamento vel populos in bellum animatos videret, vel, ſi mallent abire, eos in officio continerent, et ad pugnam exſtimularent praeſtantiſſimi duces. Poſt haec copiarum nauiumque Graecarum κατάλογον attexuit vates, quem qui contemnunt, aut faſtidiunt, inſcitiam ſuam palam faciunt, prauumque iudicium. Non enim ſterilis quaedam atque inſulſa recenſio eſt, qualem plerique exiſtimant, ſed pleniſſimus antiquarum hiſtoriarum et γενεαλογιῶν theſaurus; quarum cognitio ad plura, quae ſequuntur, intelligenda neceſſario requiritur. Quare Homerus Muſam initio inuocat, vt oſtendat, res plane magni momenti ſe ibi ſuſcipere narrandas. Sane Moyſes ad eumdem modum in Numerorum libro familias et tribus diſcreuit. Duodecim volumina Apollodorus, tria vero et viginti Monogenes in hunc κατάλογον ſcripſiſſe dicuntur, quae culpa temporum interciderunt. Satis tamen eſt ad eius pretium aeſtimandum, ſupereſſe Strabonem, qui, paſſim ſuis in libris hunc κατάλογον citans, oſtendit, ſe non minus bonum geographum, quam poëtam, Homerum praeſtitiſſe. Cauete igitur, ne hanc recenſionem parui pendatis, adoleſcentes. Inſtructis vtrimque exercitibus *lib. III.* Alexandro, ſiue Paride Menelaum ad ſingulare certamen prouocante, factae ſunt induciae, omniumque iuramento ſancitum, vt, ceteris in acie quieſcentibus, qui alterum vinceret, Helenam et eius opes acciperet. Victum Alexandrum ſurripit Venus. Alexander videlicet, mollis ac venereus, vt ego interpretor, fuga ſibi proſpexit, ne ab hoſte interimeretur.

Tunc Pandarus, violatis foederibus, iaculo Menelaum petit, ſauciatque: cuius vulneri dum Machaon adhibet medicinam, Agamemnon ſuos hortatur ad pugnam,

in qua confertim multi vtrimque ſternuntur. Sed impium hic plerique Homerum coarguunt, quod Mineruam fecit *lib. IV.* ſuadentem Pandaro, vt foedera violaret. Nihilominus a culpa nos abſoluimus, cum nil aliud docere voluerit, quam Dei prouidentiam, ſiue ſapientiam, in Minerua adumbratam permiſiſſe, vt a Pandaro per ſummum ſcelus initi foederis iuramentum infringeretur; cui Homericae locutioni conſimiles paſſim habet diuinus codex, quemadmodum, vbi de Diis agemus, vberius demonſtrabimus.

In eo conflictu, Mineruae auxilio, *lib. V.* ſtrenue rem gerit Diomedes, nec ſolum hoſtium complures obtruncat, ſed Venerem in manu, Martemque in ventre vulnerat. Quod ob factum rurſus cenſores aliqui tum veterum, tum recentiorum in Homerum inſurgunt, accuſantque grauiter, quod vulnerabiles Deos fecerit. Sed cum vulgi opinio, vt ſuo loco videbimus, humanis adfectionibus et calamitatibus Deos quoque haberet obnoxios, ac vulnerari poſſe crederet, quamuis eſſent immortales, nec ſanguine conſtarent, ſed ichore, nullius culpae in eo commento vates putandus eſt reus. Deos itaque vulneratos curauit Paeon, Deorum medicus. Verum eos obiurgat Iupiter, quod temere in illud diſcrimen ſe coniecerint; qua deterriti obiurgatione Dii praelio abſiſtunt, Graecis interim ingenti ſtrage plurimos Troianorum mactantibus.

Cuius ſtragis horrificam narrationem opportune temperat Homerus, Glauci ac Diomedis interiecto colloquio *lib. VI.* qui, paternam amicitiam recognoſcentes, permutant arma inter ſe, vt cauere poſſint ab inferendo ſibi inuicem damno, ſi forte iterum obuii fiant. Mox alteram narrat vates ad *μονομαχίαν* prouocationem. Quod enim factum a Paride, fecit et Hector, ſed honeſtiori exitu. Namque, Helena conſulente, Graecorum praeſtantiſſimum quemque heros ille laceſſit, vt ad manus ſecum conferendas in medium prodeat.

Nouem illico ſurrexerunt *lib. VII.* e quibus, ſortitione facta, Aiax Telamonius delectus. Cum vero ſtrenuiſſime

me decertarent ambo, neuterque alteri praeualeret, veſperaſcente iam die, a praeconibus dirimuntur. Poſtridie eius diei, cum induciae factae eſſent Troianorum rogatu, ſublata vtrimque cadauera, et a Graecis murus exſtructus, quo mille nauium ſtationem defenderent. Mille ſiquidem ſupputantur naues, quas in catalogo Homerus recenſuit. Hic vero animaduertite, auditores, Achilli diſſimulanter a poëta tributam laudem longe maximam. Lectori enim inferendum hinc relinquit, quod muro antea non opus fuerat, quia pro muro erat Achilles. Verum Iupiter, cum Diis et Deabus omnibus vetuiſſet, alterutri partium opitulari, in Idam deſcendit *lib. VIII.* fecitque ſtatim, vt Graeci, qui pari virtute, ac Troiani, dimicauerant, neutram in partem inclinante victoria, iam minus valerent. Cumque Iuno et Minerua, Iouis iuſſa detrectantes, diſceſſum pararent, vt Graecis ſuppetias ferrent, Iridem, ad eas inhibendas, miſit Iupiter. Nocte autem aduentante, concione habita, Hector metari ſuos caſtra iubet, et, accenſis ignibus, per totam noctem colluſtrare.

Iam vero Agamemnon coepit timore frangi, animumque deſpondere *lib. IX.* quod Troianis ab Ioue dari videret proſperos belli ſucceſſus, Graecis vero exitium impendere: quamobrem iterum ſuadet ſuis, vt, relicta Troia, ad patriam fugiant. Acriter eius ſententiae Diomedes et Neſtor aduerſantur, mauultque Neſtor, vt ad Achillem legati mittantur, qui acceptae iniuriae luitionem et mulctam, Agamemnonis nomine, offerant, obſecrantes, vt, poſita ira, placari velit, et ad bellum redire. Adnuit Agamemnon, ingruente malo iam reſipiſcens, ſed Achilles inexorabilis, acer renuit. Quis autem explicare valeat orationum grauiſſimarum mirificam vim, quas duo illi praeclariſſimi viri, qui miſſi ſunt, Vlyſſes nimirum et Aiax, quibus tertius accedit ſenior Phoenix, legationis ſocius et dux, ad Achillem permouendum dixerunt? Hunc plane locum omnino neceſſarium iis, qui oratores futuri ſunt, ducimus: nam et graecae eloquentiae principem, Demoſthenem, multum ex eo profeciſſe, liquet.

Cum res ita ſe haberent, ſolertiſſimus vates nouum aliud ſpectaculum exhibet intuendum *lib. X.* Diomedem videlicet et Vlyſſem, ad ſpeculandum in Troianorum caſtra nocte concubia profectos, miſerumque Dolonem, obuiam ſibi factum, quod et ipſe ad ſpeculandum in Graecorum aciem aduenerat, interimentes. Maxima vero admiratione defigemini, iuuenes, animaduertentes, qua animi praeſentia, audacia, ſagacitate par illud ducum fortiſſimorum hoſtium caſtra penetrarint, Rheſumque, Thracum principem, qui nuper, Troianis auxiliaturus, acceſſerat, dormientem obtruncarint, eiusque pulcherrimos ac praeſtantiſſimos equos ad nauium ſtationem abegerint. Nam de Rheſo, eiusque equis, a Dolone edocti fuerant, qui fruſtra, ne ſe interficerent, quod eis omnia reuelaret, precabatur.

Quamquam haec ab hoſtibus Graeci retulerunt, res tamen eorum in deterius ruere. Nam inſtaurato praelio *lib. XI.* praeſtantiores duces vulnerati ex acie abire coguntur, easque in anguſtias coniecti ſunt Graeci, vt hoſtes, alacriores facti, deſcenderint ab equis, foſſam tranſierint, murum adorti fuerint, et propugnacula demoliti, Hector vero, ſaxo effractis portis, naues conſcenderit. *lib. XII.* Tantum ſuorum aerumnam Patroclus miſeratus, conſilio Neſtoris, orat Achillem, intima ſibi familiaritate coniunctiſſimum, ſuam vt ei armaturam permittat, qua indutus egrediatur ad pugnam, ſi forte eius adſpectu hoſtes ab inferenda clade deterreantur, preſſorumque Graecorum labor tantiſper ſubleuetur. Neptunus quoque victis Graecis ſuccurrere meditatur, ambosque Aiaces, Telamonium et Locrenſem, qui idem eſt atque Aiax Oilei, ad repellendos hoſtes incitat *lib. XIII.*

Sed, vt Graeci reſpirarent, opus erat, vt fucus Ioui, in Ida vigilanti, fieret. Iuno igitur, conſuta fraude, cingulum, ſiue ceſtum Veneris accipit *lib. XIV.* quo, ad Iouem profecta, amorem illi ſomnumque conciliat, adeo, vt, dormiente Ioue, Neptunus valuerit Graecis opem audacter ferre. Quaenam rerum pulcra ac mira varietas, auditores! quam vehementer lectorem oblectat, capit, detinet!

tinet! Quodſi concionum ac ſimilitudinum aptiſſimarum, omnigenorumque artis floſculorum, colorumque, quibus graphice omnia depingit, ac ſub oculos ponit, infinitam prope vim poſſem vobis referre, quanto eius amore ac deſiderio incenderemini? At ſi vel ſumma horum capita non dicam explicando, ſed leuiſſime delibando colligere tam breuibus ſpatiis contendam, idem plane faciam, ac ſi nuce mare velim concludere.

Age vero cetera perſequamur. Iupiter experrectus, Troianosque, a Graecis repulſos, videns, Iunoni iraſcitur, quae illum deluſerat *lib. XV.* Irimque confeſtim ad Neptunum mittit, vt a pugna ſecedat; Apollinem autem ad Hectorem, vt ei animum addat. Quare, adſumta aegide, anteiens Hectorem, in fugam verſos ad naues vsque compellit. Quamquam vero, de Diis diſſerens, ſomnum Iouis, qui abſurdus videtur, explanabo; hic tamen non omittam, quin obiter adnotem, Homerum eo loco docuiſſe, quod omne aduerſus ſupremum numen ſuſceptum conſilium irritum cadit. Etſi enim aliquando dormire videatur, et multa contra ea, quae vult, permittere, ſtatim tamen expergiſcitur, et aduerſa conſilia difflat.

Verum Achilles Patrocli tandem precibus obſecundauit, illique ſua permittit arma, cum quibus ad pugnam profectus *lib. XVI.* Mirmidonibus ſecum eductis principio Troianos fugauit, ſed mox ab Euphorbo vulneratum Hector interficit, et Achillis arma, quibus hoſtem ſpoliauerat, ipſemet induit. Saeuum de Patrocli cadavere tunc exarſit certamen, hinc atque illinc ad ſe illud rapere vtrisque conantibus *lib. XVII.* Tandem vicerunt Graeci, ablatumque hoſtibus detulerunt ad naues, miſſo ad Achillem nuncio, qui de eius nece certiorem faceret.

Ille vero tam acerbe amici obitum tulit, vt aegrimonia paene contabuerit, Maximam lacrymarum vim effundentem ſolatur Thetis, magnasque gerentem in Hectorem iras, qui dimidium animae illius exſtinxerat, vltionisque cupidine exardentem tamdiu abſtinere iubet a pugna,

quam-

quamdiu noua ſibi adferret a Vulcano arma *lib. XVIII.* Nihilominus, Iunonis iuſſu procedens inermis, ad foſſam adparet hoſtibus. Mirum plane dictu, et ceterorum quorumuis longe maximum, Achillis praeconium! Hoſtes vident, pauent, fugiunt, adeo, vt ipſe vnus, nullis armis, ſolo ſui adſpectu, rem graecam reſtituerit. Quid igitur miremini magnum illum Alexandrum, aemulatione laudis, cuius erat auidiſſimus, ad Achillis tumulum in Sigaeo fleuiſſe, ac dixiſſe: *O felix adoleſcens, qui virtutis tuae praeconem Homerum inueneris!* Quae plurima vates narrat exſculpta eſſe a Vulcano, in clypeo, *tota mundi imagine caelato*, vt Ouidii verbis vtar, fidem omnem transſcendere aliquibus viſa ſunt, nec ſine magna confuſione capi vno clypeo poſſe. Sed inclytus Boiuinius facile crimen hoc reiecit, aere ſiquidem figuram caelatam dedit, cuius ectypum apud me ſeruo, in qua concinne ac perſpicue diſtincta ea omnia exhibentur, quae deſcribit Homerus.

Allatis a matre armis, quae vna nocte confecit Vulcanus, mirum in modum recreatur Achilles *lib. XIX.* iisque indutus, ad bellum egreditur. Iam enim antiquam in gratiam cum Agamemnone redierat, et munera, placamenta irae, pro illata ſibi iniuria admiſerat.

Hac gloria et honore florentem magis magisque exornat vates, dum Iouem, Diis permittentem inducit, vt eo pugnante ad bellum deſcendant, Graecis alii, alii Troianis auxiliaturi *lib. XX.* Quomodo autem indicare vobis valeam, quot quantasque caedes edentem Homerus deſcribat Achillem, et, tamquam belli fulmen terribile teterrimumque, omnia euertentem? Profecto Aeneam quoque, ſibi obſiſtentem, interfeciſſet, niſi Neptunus nebula ſeruaſſet. Hector ipſe, poſtquam aduerſus illum aliquantum pugnauit, non amplius virtuti eius aduerſari valens, terga vertit, quem nihilominus fugientem eſſet adſecutus, niſi ex eius manibus eripuiſſet Apollo. Ceteros omnes, praecipiti ruentes fuga, ad vrbem vsque inſequendo vrget, mactatque innumeros.

Sed

Sed Scamander Troiae fluuius *lib. XXI.* immenſo auctu in campum refuſus, furentem Achillem repellere nititur. Cum fluuio ſtrenue luctantem, inuictum ducem facit vates; in quo ſane felix feſtiuumque eius ingenium maxime elucet, dum tam nouam, tam inſolitam, tam difficilem ad deſcribendum, et ab aliis quibuscumque diverſam pugnam inſtituit. Ne vero amnis magis magisque inualeſcente alluuione laborans Achilles obrueretur, accurrit Vulcanus, amnem incendens. Qui ſenſus in hac Homerica fabula lateat, alio loco dicemus. E flumine ſeruatum Achillem impedit Apollo, ne fugientes Troianos inſectari pergat. Nam Agenori adſimilatus, huc atque illuc fugitans, decipit, donec Troiani ad ciuitatem ſe recipiant. Occluſis portis, omnes ibi deliteſcentes, trepidantium inſtar ouium, quas famelicus adoriri ac deuorare cupiat leo, ſe tuentur. Vnus Hector, quem pudebat fracto abiectoque animo virum haberi, extra vrbem terribilem hoſtem exſpectauit *lib. XXII.* quanto magis occultare atque abdere pauorem nitebatur, tanto manifeſtius pauidus. Adpropinquantem enim Achillem non ſuſtinens, ſe in pedes dedit, mox reſtitit, et ab Achille interemtus eſt. Quam acerbo tunc dolore triſte ac funeſtum ſpectaculum miſeros Troianos adfecerit, non facile dixerim. Videbant ſiquidem nobiliſſimum ducem ſuum, currui ab Achille perforato talo alligatum, ad naues per campum indigniſſime raptari.

Pyrae et exſequiarum deſcriptio, quibus deinde exſtinctum ſocium magnificentiſſime honeſtauit Achilles *lib. XXIII.* antiquae eruditionis habet plurimum, adeo, vt ad funereos heroicorum temporum cognoſcendos ritus maxime faciat. Varia quoque in eius honorem celebrata ſunt certamina, quae ad Anchiſae tumulum elegantiſſime in quinto Aeneidos libro imitatus eſt Maro. Quemadmodum autem Homerus et Virgilius inclytos viros pro reportanda victoria inter ſe in illis certaminibus committunt; ſic doctiſſima Daceria vtriusque poëtae, Graeci et Latini, in eorum deſcriptione concinnanda quaſi contentionem expendit, et vbi ſubtiliter, vter vtri praeſtiterit, inueſti-

inueſtigauit, victoriam Homero adiudicat, quod omnia longe melius exſecutus fuerit. Verum ego facile dederim, etiam Virgilium, certamina deſcribentem, omne tuliſſe punctum, neque in eius deſcriptionis laude Homero ceſſiſſe. Quid tum? nonne nihilominus ſupra Virgilium Homerus adſurget, primasque promerebitur? Quis enim archetypae imaginis artificem non longe cenſeat praeferendum ei, qui quantalibet induſtria egregie atque accuratiſſime illam expinxerit?

Sed iam ad extremam poëmatis partem deuenimus, adoleſcentes *lib. XXIV.* in qua Thetidem ad Achillem ablegat Iupiter, ne amplius in Hectoris corpus deſaeuiat, ſed patri ſepeliendum reddat; Iridem vero ad Priamum, vt, redemtionis pretium Achilli perſoluens, cadauer filii ab eo recipiat. Hic igitur, Mercurio comite ac duce, qui graecos cuſtodes conſopiuit, ad Achillem tuto peruadit, ad cuius genua prouolutus, et lacrymarum imbrem effundens, filii corpus enixis precibus poſtulat, acceptum ad vrbem refert, et nobili exſequiarum epulique honore proſecutus, tumulo condit.

Atque hic Homeri labor conquieſcit, diuinae Iliadis opere expleto, quam veluti grande humani ingenii miraculum omnium ſeculorum homines, ipſaeque barbarae nationes ad haec tempora vnanimi conſenſione ſuſpexerunt. Quemaemodum autem, qui nobiliſſimarum maximi cuiuspiam regis aedium extimam tantummodo ſpeciem intueatur, neque ad ea, quae intus latent, demiranda ſe conferat, excelſas porticus, auguſta ac prope innumera cubicula, laquearia ebore atque auro internitentia, parietes argenteo caelamine conteɑos, pinacothecas ac dactyliothecas, raritate et copia praeſtantiſſimas, gemmas omnigenas, ſplendidiſſimam ſupellectilem, omnem elegantiam, omnem opulentiam, non poterit, quantum illarum aedium pretium ſit, aeſtimare; ita, credite, adoleſcentes, non poſſe vos animo reputare, qualis quantusque Homerus ſit in hoc poëtico aedificio, cuius vobis faciem hodierno ſermone praemonſtraui, niſi, intro admitti, ſedulo iugique ſtudio iam conemini. Tunc ſane licebit

cebit vobis, incredibili voluptate perfuſis, ſummaque admiratione defixis; quantas vniuerſae eruditionis opes, quales pulcritudines contineat, quam felici ingenio omnia ſint, excogitata, quam miro ordine omnia diſpoſita, quam propriis aptisque ornamentis inſtructa, pernoſcere.

DISSERTATIO XXI.

SEV POTIVS COHORTATIO AD GRAECAE LINGVAE STVDIVM.

SYNOPSIS.

Mediocritas in rebus indifferentibus, affectibusque mitigandis laudata, non autem in praeclaris facinoribus. Pelei monitum ad Achillem de praeſtantia laudis ſupra ceteros quaerenda. Adoleſcentes mediocri literarum laude non debent eſſe contenti. Supra ceteros facile eminebunt, ſi graecae linguae cognitionem ſibi comparent. Studium graecae linguae cum diſciplinis nobiliſſimis coniungendum. Neceſſitas huius linguae ad quaeuis ſtudia. Graeci ſcriptores fortes omnes, plenique ſanguinis, et coloris. Agricolae facie deformi induſtria, vt pulcros gigneret liberos. Duae ſalebrae, quae ſtudio graecae linguae plerumque opponuntur, nulla, vel leuiſſima, ſpes lucri, et timor nimiae difficultatis. Auiditas augendae rei quam maxime officit ſapientiae incrementis et gloriae. Exempla diſſimilia ex Horatio Graecorum et Romanorum. Literatis viris, inſignem doctrinam adeptis, dummodo etiam prudentibus, numquam vitae ſubſidia et commoda defuerunt. Ratio lucri nullo pacto iuuenes nobiles ac locupletes a graecae linguae negligentia excuſari videtur. Graecae linguae non tanta eſt difficultas, quantam plerique animo concipiunt. Exemplis comprobatur eorum, qui tum hanc, tum alias linguas, quae vulgo difficiliores habentur, non longo tempore didicerunt. Methodus, qua facilis ac parabilis fiat graeca lingua, proponitur. Apoſtrophe cum laude ad eos iuuenes, qui ſedulam graecis literis nauant operam, et ad alacriter tam nobile ſtudium proſequendum acris incitatio.

Nemini,

Nemini, qui ad laudem properet, arridere mediocritas debet, auditores. Auream illam quidem laudauit Horatius, laudauit Ariſtoteles, philoſophi omnes laudarunt: nihilominus cum mediocritatem laudarunt, eam ſane intellexerunt, quae vel in rebus indifferentibus ſeruanda eſt, quales diuitiae ſunt, epulae, ludi, ſpectacula, vel adfectibus mitigandis tamquam frenum quodpiam adhibetur; mediocritatem vero, vbi de praeclaris facinoribus, et de eo, quod in laude ponitur, ſermo eſt, numquam laudandam ſuſceperunt, ea ſiquidem, quae gloriam adferunt, mediocritatem reſpuunt, et ad excellentiam ſemper contendunt, ad quam quo propius acceſſerunt, eo maiora ac praeclariora praedicantur. Si qui vero in magnis facinoribus praeſtantiae culmen teneant, paene ſupra humanam conditionem euectos putamus, et vehementer admiramur. Quae cum ita ſint, quam vtile, pulcrum, praeclarum monitum illud habendum eſt, quod, vt apud Homerum lib. XVI. legere licet, animo filii Achillis, magnae indolis atque exſpectationis adoleſcentis, ad Iliacum bellum profecturi, ſapiens Peleus imprimere curauit: Fili, ait, illud ſemper prae oculis habe, in id toto pectore incumbe, vt ceteris quibus cumque bellica virtute praeſtes ac ſupra alios rebus praeclare geſtis eueharis:

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Quod nos ita interpretamur:

Semper praeſtare, atque alios praecellere laude.

Sinite, adoleſcentes, quotquot adeſtis, optimi, quandoquidem et acri ingenio praeditos, et gloriae vehementer cupidos, et doctrinae non leuiter ſtudioſos vos video, ſinite, vt breui quidem, ſed forti Pelei monitu hodierno ſermone, quo vertentis anni noſtras haſce graecanicas exercitationes auſpicamur, vos etiam exacuam, et ad gloriae verticem conſcendendum, admotis veluti facibus, impellam. Ne ſitis literarum mediocritate contenti, ſatagite, vt ſummam doctrinae gloriam vobis comparetis, contendite,

tendite, vt de vulgo ſemitariorum literatorum emergatis. Ad ea, quae prima in doctrina ſunt, accenſis animis properate, in ardua conamini, magnanimo niſu ſupra alios, qui ſegniores ſunt, voſmetipſos attollite; vno verbo, eam certiſſimam gloriae legem vobis proponite:

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Semper praeſtare, atque aliis praecellere laude.

Sed iam vos, me interpellantes rogantesque, audire videor: ecquid tandem vobis faciendum praecipiam, vt ſupra alios doctrinae laude eminere poſſitis. En viam plane regiam, ſi velitis inſiſtere, vobis cum Horatio commonſtramus.

— — — — Vos exemplaria graeca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

Credite, iuuenes, graecarum literarum ſtudium, graecae linguae cognitio ſelectiori ſolidiorique doctrina quapiam vos imbuet, ſingularem quampiam vobis laudem gloriamque conciliabit, et vos eximet e turba. Nobiliſſimarum quidem ſtudia diſciplinarum, et illa vobis eſſe maxima cum attentione excolenda praecipimus, ſed, niſi cum iis linguae graecae ſtudium coniungatis, vix ſperandum aliquid vobis eximiae claritatis fore acceſſurum. Iam vero de huiuſce linguae neceſſitate, quae omnes vrget, qui qualibet in diſciplina, quauis in ſcientia velint eminere, alias memini tum validiſſimis argumentis, tum graviſſima doctiſſimorum hominum auctoritate me diſſerere, et nemo eſt, ſi literas vere norit, qui illam infitietur, vt, ſi quis hanc longe inſigniorem ſapientiae amplitudinem, quam adfert graecae linguae cognitio, non admittat, iudicio et exiſtimationi ſuae, non graecae linguae laudi detrahere videatur.

Quapropter in praeſentia ab iis, quae ſaepius a me diſputata ſunt, iterandis, eademque, vt aiunt, repetenda crambe prudens abſtineo. Illud tantummodo dicere non omittam, vnam ex multis cauſſis, cur, qui graece

ſciunt, ſupra alios in doctrina excellant, illam eſſe, quod graeci ſcriptores, quos euoluunt, intime deguſtant, et animo combibunt, quod facere nequit is, qui verſos in aliam linguam perlegit, fortes omnes ſunt et laeti, et alacres, et pleni ſanguinis, et coloris. Quare qui eorum adſiduae lectioni impalleſcere conſueuerunt, ſimiliter atque illi, animo concipere diſcunt, prudentiamque illam, et iudicium in ſcribendo, aliaque praeclara, quae apud eos demirantur, etiamſi ingenio ipſi vtantur imbecilliori, ad ſe pertrahunt, ſibique faciunt peculiaria. Quidam agricola, vt ſermo eſt, deformi facie, veritus, ne ſibi conſimiles liberi gignerentur, hoc remedium commentus eſt: domi imagines egregie formoſas collocauit; in eas vxorem adſpicere quam minime conniuentibus oculis iuſſit. Ita de ſe quam pulcherrimam prolem propagauit. Ad hunc plane modum et vobis continget, optimi iuuenes: ſi namque, ex Horatii praecepto, exemplaria graeca, quibus ceterarum nationum ſcriptores omnes faſces ſubmittunt, nocturna diurnaque manu verſetis, et in ea indeſinenter intueamini, veſtra eruditio ad illorum praeſtantiam proxime accedet, veſtra ſcripta illorum ſucco bene vigebunt, pulcritudinem illorum referent, vosque ceteris eminentiores in doctrinae laude conſtituent. Contra vero, quemadmodum aquila pullos ſuos ad ſolem explorat, vt, quos fixis et immotis oculis fulgorem illius non poſſe adſpicere ſenſerit, a ſe abiiciat tamquam adulterinos, ſic animo fingite, optimi iuuenes, literariam famam, non humilem illam dico volantemque demiſſius, ſed ſublimiorem alteram, quae celſiſſimo volatu ád coelum vsque videtur extolli, numquam pro ſuis vos eſſe admiſſuram, tubisque aureis nomen veſtrum concelebraturam, niſi ad graeci ſermonis radios non conniuentes viderit, graecaeque literaturae apprime peritos nouerit.

At duo ſunt, quae, veluti quaedam ſalebrae, plerumque ſtudioſis iuuenibus opponi atque obſtare videntur, eosque a graecis literis remorari: nulla, vel certe leuiſſima, ſpes lucrum aliquod e graeca literatura referendi, frigidusque timor grauiſſimi taedii ac laboris, quem in

illa

illa perdifficili addiſcenda lingua ſe putant ſubituros. Equidem fateor, auditores, iis de eximia in literis laude reportanda deſperandum, quorum animis cogendarum diuitiarum cura inoleuerit. Officit enim quam maxime ſapientiae incrementis auiditas augendae rei, et animi argumentum eſt plane illiberalis, et ad veram laudem conſequendam ineptiſſimi: quod etiam Venuſini vatis auctoritate probare poſſum, qui, graecos poëtas cum ſuis Romanis conferens, hosque ab illis longe ſuperari ſentiens, id ex eo prouenire putauit, quod ſcilicet graeci poëtae non ſolum ingenio, et elegantiſſimae linguae rotunditate praeſtarent, ſed quod etiam non aurum, non diuitias adpeterent, ſed ſoli laudi inhiarent;

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui, praeter laudem, nullius auaris.

contra Romani iis artibus imbuendos pueros curarent, e quibus multum emolumenti atque vtilitatis referrent, vt, exempli gratia, arte illa, quae longis rationibus in centum partes aes diducere docet, quaeque Arithmetica nuncupatur. Vbi vero haec narrauit, indignatus ſubdidit:

— — *At haec animos aerugo, et cura peculi*
Cum ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, et leui ſeruanda cupreſſo?

Neque vero ſuſpicemini, o iuuenes, ſi doctrinae laude emineatis, prouentus vobis defore ad vitam honeſte ſustentandam neceſſarios. Literatis viris, magnamque in doctrina nominis celebritatem adeptis, ſi ſibi cum doctrina prudentia ſimul adfuerit, vitae ſubſidia et commoda vix vmquam defuiſſe reperiemus. Inſignis enim doctrina, ſolidiorque ſapientia, quae admirationi omnibus eſt, patronos plus minus quauis ſemper aetate ſuis comparavit, qui ſibi glorioſum ducant, eos fouere, protegere, tutari, curareque, vt honorifica ipſis munera, ſplendidaque ſtipendia attribuantur.

Hactenus eos iuuenes noſtra compellauit oratio, quibus cum fortuna nouercante domi res tenues et curta ſit ſupellex, ſi de victu ſibi parando cogitent, profecto parcendum eſt. At quibus cum ſanguinis claritate opes adfatim benigna ſors ſuppeditauit, ſi literarum ſtudio teneantur et ad literariam gloriam adſpirent, (nam ceteros, qui deliciis atque otio diffluunt, et generis ſplendorem ignauia vitae commaculant, non curo) quamnam ſibi poſſunt praetexere excuſationem, ſi linguarum, latinae etruſcaeque ſtudio, ſtudio item nobiliſſimarum diſciplinarum, quibus ſedulam nauant operam, graecam linguam, quae totius eruditionis caput eſt, non coniungunt? Certe ii non graecam linguam negligere deprehendentur, quod nequaquam eſt quaeſtuoſa: nam neque cetera ſtudia ad lucrum reſpicientes excolunt, ſed ſolum ad honeſtam animi voluptatem, et ad nominis ſibi famam comparandam. Sed, ſi ita res habet, cur, o generoſi, ad graecum ſermonem animum non adpellitis, ſine quo, veluti neceſſario inſtrumento, nemo ad vllam rem ſatis illuſtrem poſſit accedere, quique non ſolum longe ampliorem et iucundiorem ſapientiam, quod alio ſermone ex profeſſo olim docuimus, ſed et ad ſummum vsque gloriae verticem deuehet?

Verum audio iam illam alteram a vobis iterum in medium adferri excuſationem, qua vosmet ipſos tueamini, maximam videlicet huius addiſcendae linguae difficultatem, pro qua nimis deſudandum eſſe metuitis, nimisque moleſtos ac diuturnos labores perferendos. Quid autem, ſi dederim graecam linguam arduam eſſe, et in altiſſimo, praeruptoque monte ſitam? Quis ignorat, neminem ſine labore, ſine vigiliis peruenire poſſe ad ea, quae nos a vulgo ſeparant, et a populo? Sed fortaſſe non ea eſt graeca lingua, quam vobis animo fingitis, optimi adoleſcentes, non ita ſalebroſa, non ita perceptu difficilis, non ita vepribus vndecumque obſepta. Marcus Cato Cenſorius prouecta iam ſenectute eam ſibi comparauit, quod Cicero de ſenectute tradidit. Romae apud ſequiorem ſexum graecae linguae eruditio olim tranſiit in luxum, quod vel

ex

ex Ouidio cognoſcimus, qui ſuadet, rem puellis gratam facturos amantes, ſi duarum linguarum, latinae videlicet et graecae, eruditione praeſtitiſſent:

Profuit et linguas edidiciſſe duas.

Nonne vero multi docti viri, vt Picus, Bellarminus, aliique breui temporis tractu linguas, quae difficiliores vulgo habentur, ſibi adſciuerunt? Quid de Plauto? qui dum molam verſat, et fabulas feſtiuiſſimas ſcribit, Punicum ſermonem, non hercle graeca lingua multo faciliorem edidicit? Quid de Mithridate, Ponti ac Bithyniae rege inclyto? Nonne duas et viginti linguas percalluiſſe fertur, in quibus tum graeca, tum aliae, quae vulgo habentur difficillimae, recenſebantur? Plura alia exempla, quia notiora ſunt, praetermitto, ne veſtras aures obtundam nimis vulgata atque exculcata obtrudendo. Multa etiam huc adferre poſſem ex iis, quae olim Italice diſſerui ad linguae graecae facilitatem demonſtrandam, non certe qualemcumque (nam difficiliorem eſſe vernaculis hiſce linguis, puta gallica, hiſpanica, aliisque ſimilibus, vltro fateor), ſed contra, quam plerisque creditur, qui humano ingenio prope inacceſſam faciunt atque inſuperabilem, ſed quoniam orationem illam publici iuris fecimus, ad eam conſulendam, ſi lubeat, vos remitto, adoleſcentes. Illud ſolum in praeſens denuo adfirmabo, quod et alias adfirmaui ſaepius, ſi quis vel mediocri praeditus ingenio duas diei horas, vel ſaltem vnam nullo intermiſſo die graeco ſtudio impenderit, fore, vt ad iuſtam eius linguae cognitionem duorum, aut trium annorum exacto curriculo certiſſime perueniat, praeſertim ſi in eo diligens inſuper fuerit, vt ſucciſiuis horis, et inter otioſe deambulandum, nominum, quas dicunt, declinationes, verborumque coniugationes iterum ac ſaepius ſecum ipſe repetat, et vnoquoque die quatuor, aut ſex primigenia graecae linguae vocabula memoriae committat, ex quibus cetera quaeque pullulant, et quae in ſtudioſorum commodum breui collecta libello circumferuntur. Plerique enim, quod oſcitanter, ac remiſſe graecum ſtudium peragant, et Apelleum praeceptum, *nulla dies ſine linea*, ſibi

ſeruandum non proponant, aut fundamenta non probe iaciant, et ſtabiliant, graeci ſermonis ſcientiam nequaquam ſuperſtruunt. Itaque cum neque lucri ratio, quod ex graecis literis minime profluere querebamini, neque rei difficultas, quae profecto tanta non eſt, quantam animo conceperatis, ab ignauiae culpa non abſoluat; quid ſtatis, ornatiſſimi adoleſcentes? quid cunctamini? quid non expergiſcimini? quid graecam linguam omni animi ardore non expetitis? quid in eius ſtudium toto pectore non incumbitis? Quid bono atque athletico, vt Apuleii verbo vtar, eius ſucco roborati aliis doctrinae vigore praeſtare, et laude inſigniter praecellere non connitimini? Eia agite, proponite vobis quaſi lucem veſtrorum ſtudiorum habere illam, quam ſi vobis adſciueritis, vltro vos confeſſuros confido, omnia literaria bona adueniſſe vobis pariter cum illa, viſurosque, quod omnium fere literarum mater eſt beatiſſima. Infinitum enim theſaurum illa adfert ſtudioſis hominibus, quo qui vſi ſunt, in omni vita laetantur. Ego quidem venuſtatem illius, liceat mihi diſertiſſimi Salomonis vſurpare verba, ſine inuidia communico, et honeſtatem illius non abſcondo. Et quamquam verear, ne linguae huiuſce neceſſitatem, elegantiam, praeſtantiam toties ediſſerendo ad ſtudioſam iuuentutem inuitandam atque acuendam, nonnullorum, qui palmam Graecis aegre concedunt, odia atque offenſionem incurram, nequaquam tamen committam, quin, vbicumque opportunitatem, atque etiam importunitatem nactus fuero, hanc meam ſpartam adornem, et quae ſunt iniuncti mihi muneris partes cumulate impleam. Quandoquidem enim militiae huius ſacramentum adiimus, capitale eſt, decedere praeſidio.

Iam vero vos alloquor, vobis gratulor, inclyti iuuenes, qui graecarum literarum curriculum me duce corripuiſtis: non enim poſſum facere, quin manus attollam, meumque gaudium, meamque voluptatem in hac doctiſſimorum hominum luce palam faciam, dum vos video, tum genere, tum ingenio, tum doctrinae ſtudio conſpicuos graecae linguae paene olim ſepultae atque exſtinctae

vita-

vitalem quamdam adflare auram. Equidem vobis in tam glorioſo ſtadio currentibus, vocibus ſecundis acclamo, vt pergatis, vt non fatigemini, vt calcem ipſum contentis oculis inſpiciatis, et huic palmae nihil anteferendum exiſtimetis viuentibus ac mortuis profuturae. Ceterum, ſi quod taedium aliquando ingruat, excutite, et vosmet ipſos ad progrediendum alacriter impellite.

Durate, et vosmet rebus ſeruate ſecundis.

Seruate vos Homeri deliciis, quas modo primoribus labiis delibatis, largiſſime perfruendis, quibus nil melius, nil dulcius, nil iucundius humana vobis ſapientia poteſt vnquam ſuppeditare. Seruate vos ceteris graecis ſcriptoribus, quorum non nemo doctrina et elegantia dexterrimus eſt, quorumque lectione veſtrum ingenium irrigatum numquam areſcet. Et quoniam ſacratioris ſapientiae cupidiſſimos nonnullos veſtrum eſſe noui, ſeruate vos Baſilio, Chryſoſthomo, Gregoriis, ceterisque graecis patribus graece euoluendis atque intelligendis. Ipſi enim per vos ipſos tunc cognoſcetis, quam vere a graecae linguae peritis illud iactetur, neruos graecae eloquentiae apud interpretes plerumque ſuccidi, quodque in graeco fonte generoſiſſimum vinum eſt, in latina, ſeu quauis alia verſione euanidam vappam fere euadere. Seruate vos diuinis, noui praeſertim foederis, literis vtilius ac profundius adſequendis: nemo enim quispiam diuinorum verborum ſitim ſuam penitus explere poſſit, niſi in graecos ſemet fontes paene ingurgitet. Animo recolite, quot labores, quot incommoda, quot certamina Troiani Graecique decem totos annos pro Helena, feminarum pulcherrima, poſſidenda ſubierunt. Et vos igitur pro graeca lingua, quae ceterarum linguarum omnium iure optimo quaſi Helena adpelletur, certatim depugnate, nullisque laboribus, nullisque vigiliis, vt ea potiamini, parcite. Mementote duram olim ſeruitutem annorum quatuordecim pro venuſta Rachele Labano ſeruiiſſe Iacobum, et prae amoris magnitudine perbreue ſibi viſum eſſe diutinum illud famulitium. Sane ſi totidem annorum labor pro graeca lingua addi-

addiſcenda vobis foret ſubeundus, detrectare illum minime deberetis; quanto igitur magis multo breuiorem ad tantum bonum conſequendum non detrectabitis? Quid vero Argonautae, vt aureo vellere potirentur? Quot pericula adierunt; quot maria transmiſerunt? quot ſibi obſtantia impedimenta inuicto animo ſuperarunt? Atqui theſaurus longe praeclarior aureo vellere graeca lingua eſt, quae vos melioribus opibus, omnigena videlicet eruditione, locupletabit. Quis Columbo ac Veſputio non inuideat, quibus nouas terras adire, nouos orbes detegere, nouas nationes, noua rerum ſpectacula inuiſere licuit? Credite, iuuenes, nouos eruditionis orbes, illosque pulcherrimos, ceteris imperuios, graeca lingua vobis aperiet, in nobiliſſima ſapientiae regna ceteris inacceſſa vos introducet, vt peregrina quapiam ac pretioſiore doctrina abunde ditemini. Itaque nullum laborem declinate, nullos vepres, quos offendatis, metuite, nullas praeruptas rupes, quas conſcendere oporteat, expalleſcite, ſed inceptum iter conſtantiſſime tenete, proſequimini, conficite; niſi quod, paullo vlterius in haec ſtudia progreſſi, omnem paene laborem euaneſcere, meramque propinari vobis voluptatem ſentietis, et cum Seneca praedicabitis, quod *multa, non quia difficilia ſunt, non audemus, ſed quia non audemus, difficilia ſunt.*

DISSERTATIO XXII.

DE ACHILLIS ALIORVMQVE MIRABILI VELOCITATE.

SYNOPSIS.

Ad bellum proſpere gerendum maxime prodeſt pedum velocitas. Teſtimonium Dauidis. Velocem pedibus Achillem laudat poſt Homerum Catullus. Pyrrhus, filius Achillis, a pedum ignea velocitate ſic adpellatus. Complura exempla mirae velocitatis atque agilitatis adferun-

feruntur. Ladas et Camilla veſtigia non impreſſiſſe ſolo dicuntur. Polymneſtor Mileſius puer. Philippides. Aniſtius Lacon, et Philonides, Alexandri M. curſores. Puer Atas octo annorum. Atalanta. Maximinus Thorax. Indacus. Ethus, Scotorum rex, alipes vocitatus. Americanorum plerique velocitate inſignes. Hominis incredibilis velocitas atque agilitas, a Camerario narrata. Habides, filius Cargoris, regis Curetum. Quas ob rationes videantur fabuloſae hae narrationes. Equi barbarici in D. Ioannis ſolemniis Florentinum hippodromum nona circiter horae parte percurrunt. Celeberrimi iuvenes a pedibus in regia Etruria aula. Quae rationes praedictis narrationibus ſuffragentur. E quibus cauſſis pendeat agilitas et velocitas. Cum ab armis otiaretur, Achilles ſe ipſum ſuoſque curſu exercebat. Epaminondas pernicitatis ſtudioſus. Curſores velociſſimi apud recentiores Perſas, quos Shatiros *nuncupant. Eos parentes a teneris unguiculis curſu exercent. Turcarum ſacerdotes perniciſſime choreas ducunt in gyrum. Maxima agilitas funambulorum et ſaltatorum. Elaterii vis in pilula ex muſculoſa ſubſtantia piſcium ac praeſertim Siluri. Futiles Aſtrologorum ac quorundam Phyſicorum velocitatis cauſſae. Troglodytae, Aethiopum perniciſſimi. Aſaël, Saruiae filius, velociſſimus in ſacra regum hiſtoria. Recentioris cuiusdam Samſonis velocitas. Ridicularii Bergomatis agilitas.*

Cum multae ſuppeterent Homero laudes, quibus Achillis nomen condecoraret, miretur fortaſſe aliquis, cur ſaepiſſime pedibus velocem, πόδας ὠκὺν maluerit praedicare. Sed ſi rem attentius reputabit, optime feciſſe Homerum videbit. Voluit namque ſignificare, ad bellum feliciter adminiſtrandum, in quo poſt homines natos primas ex eius praeconio obtinuit Achilles, prodeſſe quam maxime pedum velocitatem. Quis enim non videat, quam praeclara facinora in bello facturus ſit, quamque inſignes de hoſtibus victorias reportaturus, ſi quis vir fortis ac magnanimus ſe valeat huc illuc citiſſime pedibus transmouere, modo hoſtes adgrediendo, modo ab ingruentibus periculis cauendo? Quare Dauid iure optimo, vbi Deo gratias agit, quod opem ſibi tuliſſet in bello, inter alia ſibi praeſtita a diuino numine beneficia illa duo maxime recenſet, manuum fortitudinem et pedum pernicitatem.

Qui perfecit, inquit, *pedes meos tamquam ceruorum.* Et, *poſuiſti vt arcum aereum brachia mea.* Hanc velocitatis laudem in Thetidis epithalamio, Homerum ſecutus, Achilli addidit etiam Catullus, niſi quod ampliorem fecit, pluribusque verbis expoſuit:

Naſcetur nobis, expers terroris, Achilles,
Qui perſaepe vago victor certamine curſu
Flammea praeuertet celeris veſtigia ceruae.

Filium quoque Achillis, patri non degenerem, Pyrrhum adpellatum ferunt a pedum ignea celeritate, πῦρ enim graece, latine *ignis*, dicitur, ad eum plane modum, quo vocatus eſt etiam Neoptolemus, quod admodum puer ad bellum Troianum ductus eſt. Cum vero in epithetum illud Achilleum, Homerum reuoluens, ſaepius inciderem, veniebant mihi in mentem complura mirae velocitatis narrata exempla, ſtudiumque indagandae veritatis animum exſtimulabat, vt expenderem, vtrum hiſtorica fide, an fabuloſa vanitate literis eſſent commendata. Quibus ſtimulis cum aliquando paruerim hanc de ea re vobis offero diſputationem. Quandoquidem vero res ſcitu fert non iniucundas, libenti attentoque animo eam excipite, ornatiſſimi adoleſcentes.

Age vero, huiuſcemodi agillimae velocitatis, quae fidem ſuperare videtur, exempla aliquot, tum ex antiquis, tum ex recentioribus ſcriptoribus collecta, recitemus. Complura inprimis ſuppeditat nobis Solinus *cap. 6. Primam*, inquit, *palmam velocitatis Ladas quidam adeptus eſt, qui ita ſupra cauum puluerem curſitauit, vt arenis pendentibus nulla indicia relinqueret veſtigiorum.* Simile miraculum narrat Virgilius de Camilla *Aeneid. VII.* Adſuetam namque fuiſſe tradit

— — — *pedum curſu praeuertere ventos,*

Deinde ſubiungit:

Illa vel intactae ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu laeſiſſet ariſtas;
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret aequore plantas.

For-

Fortaſſis autem locum Homeri reſpexit Virgilius, vbi refert, equas Erichthonii, mortalium opulentiſſimi, pernici adeo curſu valuiſſe, vt humi currentes ſpicam fracturae non fuiſſent, in mari vero pedem aquis non merſurae. *Iliad. lib. XX.* Narratur item apud Salmonem, ceruos his etiam temporibus in Siberia, canesque, tam agiles eſſe, celeresque, vt onuſta plauſtra per niuem trahentes, vix pedum ipſarumque rotarum relinquant impreſſa veſtigia. Polymneſtor Mileſius puer cum a matre locatus eſſet ad caprarios paſtus, ludicro leporem conſecutus eſt. Philippides biduo mille ducenta quadraginta ſtadia ab Athenis Lacaedemonem decurrit. Aniſtius Lacon, et Philonides, Alexandri Magni curſores, a Sycione Elin vsque mille ducenta ſtadia vno die tranſierunt. Fonteio, Vipſanoque Conſulibus, in Italia octo annos puer natus, nomine Atas, quinque et quadraginta millia paſſuum a meridie tranſiuit ad veſperum. Haec omnia citato loco narrat Solinus.

De Atalanta vero, Schaenei filia, ſcribit Aelianus *lib. III. var. hiſt.* quod hominum conſortium fugiens, et ſolitudine, montibus ac ſiluis delectata, tanta praedita fuit celeritate, vt neque fera curſu euadere, neque homines inſidiantes, ſi ſe in fugam conieciſſet, eam conſequi poſſent. De Maximino Thrace tradit Capitolinus, quod Seuerum Imperatorem, equo currentem, comitari, interdum quoque anteuertere potuit. Quid de Indaco quodam, qui ſub Leone, Marciani Imperatoris ſucceſſore, floruit? De eo legitur apud Suidam, quod in eundo conſpiciebatur, et rurſus euaneſcebat, fulguris inſtar, per praecipitia, volanti magis, quam currenti ſimilis. Quam vero viam homo equis mutatis vno die conficere non poterat, eam hunc ſuis pedibus ſine vllo dolore percurrere adſerebatur. De Etho ſimiliter, Scotorum rege, memoriae proditum eſt, tanta fuiſſe pedum celeritate, vt paene ceruos et venaticos canes curſu aequaret, propterea alipedem vocitatum eſſe. Parem velocitatis laudem Americanis plerisque tribuit Petrus Martyr Mediolanenſis: adeo enim valere a pedibus ſcribit, vt ceruos et ipſi, alias-

que

que feras curſu non raro adſequantur, et nonnulli gallicis canibus ſint agiliores. Penitus autem incredibile videatur, quod de cuiusdam hominis velocitate refert Philippus Camerarius *cap. 75. hor. ſuccíſ. cent. I.* In aula principis Papembergenſis, inquit, ſaepius cum admiratione vidimus quemdam hominem inter pecora in vicinis montanis locis, vt aiebat ipſe, educatum, tanta agilitate et pernicitate corporis, vt ſtupore intuentes defigeret. Mirum autem prae ceteris in eo erat, quod non erecto corpore, ſed quadrupedis inſtar agilitatem ſuam oſtendebat. Habebat idem princeps in aula nanum quemdam, qui illum agilem hominem, veluti equum, conſcendebat, quem deinde in gyrum ducebat, et hinc atque illinc concurſationibus variis modis exercebat. Verum, quando volebat, vno ſaltu ſeſſorem ſuum, licet pertinaciter illius dorſo inhaerentem, nullo negotio excutiebat. Poſt quadrupes ille cum moloſſis, et generoſis canibus, inter quos erant ferociſſimi, certamen inibat, eosque ſuo latratu et fremitu canino, pendulaque coma conſternatos e cubiculo exigebat. Mordicus interdum comprehenſis iis minoribus ex indagatorum genere, exactis canibus et moloſſis, miris ſaltibus ſurſum et deorſum quadrupes ille fere omnes angulos ſublimiores cubiculi permeabat, vt ſimia vix hoc perficere poſſet, quod tam ruſticum quadratum corpus nullo negotio, vti videbatur, faciebat. Vidi ſemel atque iterum, cum apud principem in prandio eſſem, poſtquam ſuum ſeſſorem nanum excuſſerat, et canes ſuo ficto latratu e cubiculo exegerat, eum ſalientem a tergo ſuper humeros vnius conuiuarum, inde in menſam, intactis poculis et vaſis adpoſitis, mox in ſublimiora loca tanta celeritate, vt inſtar ſciuri, vel felis Indici, volare videretur. In tectis aedium, licet faſtigiatis, hinc atque illinc diſcurrere, ſicut feles noſtrates ſolent, facillimum illi et conſuetum erat. Alias quoque ſua agilitate ineptias fecit, vt nunc paſſim de ipſo ſermo ſit, quaſi de re inſolita et inaudita. Addit autem, hanc narrationem, quae quibusdam praeter fidem videri poſſit, ſe reticere maluiſſe, niſi ipſemet oculatus teſtis eſſet, aliique multi

multi huius rei ſpectatores adhuc ſuperſtites forent: quin etiam ille ipſe agilis homo adhuc, dum haec ſcriberet, ducta vxore in viuis ageret. Fere ſimilem pernicitatem habuiſſe quoque Habidem, filium Cargoris, regis Curetum, auctor eſt Iuſtinus. Mitto multa alia huiusmodi velocitatis exempla, ne nimia obruere copia vos videar. Dum igitur mecum agitarem, vtrum verae, an fabuloſae ſint huiusmodi narrationes, principio putabam falſitatis eas omnino inſimulandas et tamquam abſurdas, fideque indignas, reiiciendas. Nam quomodo poſſit, aiebam, hominum aliquis tamdiu currendo perdurare, quin viribus et anhelitu deficiat, aut ſuos rumpat ramices? Quomodo poſſit equos, ceruos, canes venaticos, natura agiliſſimos atque ad curſum natos, pedibus praeuertere? Scimus namque, celerrimos equos ex genere Barbaricorum in anniuerſariis D. Ioannis ſolemniis hippodromum noſtrum, qui ad duo circiter millia paſſuum protenditur, non citius, quam nona horae parte percurrere poſſe, adeo autem ſudore atque anhelitu delaſſatos, ad metam pertingere, vt ſi longius proſequi adigerentur, non valerent certe eamdem curſus contentionem ferre. Scimus item, aliquos currendi vi celeberrimos iuuenes, qui non multis abhinc annis in hac regia aula ſtipendia pedibus fecerunt, ſex quidem, aut etiam ſeptem millia paſſuum vna ferme hora confeciſſe, ſed non potuiſſe vltra illa progredi, niſi prius iuſto temporis ſpatio vires quieſcendo reficerent. Multo autem magis fabulam redolere videtur illud, quod additur de aliquibus, quod ſcilicet tam agiles fuerint, vt ne veſtigia quidem pedum in puluere currentes reliquerint, qualis ille Ladus, a Solino recenſitus, et Volſcorum regina, a Virgilio deſcripta. Quis enim inducat in animum, aliquos exſtitiſſe homines, qui ita corpus ſuum in aere quaſi librare ac ſuſtentare currendo potuerint, vt identidem ſolum pede non preſſerint, ac ne puluerem quidem vllo veſtigio ſignauerint? His plane adductus rationibus, in fabularum cenſu habendas ducebam memoratas narrationes, earumque ſcriptores ſubleſta eſſe fide ſuſpicabar. Nihilominus nonnulla ſuccurrerunt,

quae,

quae, ne ſententiam contra eas libere ferrem, inhibebant, ſidemque ipſis conciliare ferme videbantur. Nam ſi natura (en quibuscum conflictabar argumentis, quae, vt verum fatear, non parum me labefactarunt) tantam conceſſit celeritatem ceruis, equis, aliisque huiusmodi animalibus, cur non potuit etiam concedere nonnullis hominibus? Neque enim confeſtim aliquid damnes tamquam fabuloſum, quia ipſe non vidiſti, et quia tibi non videtur fieri poſſe: nam, teſte Ariſtotele, veriſimile eſt, multa eſſe vera, quae veriſimilia non videntur. Cum enim haec agilitas, celeritasque ex quadam corporis peculiari conformatione pendeat, ex ardentiori ſpirituum vi, et firmioribus muſculis, ex fibris pulmonis, cordisque robuſtioribus, quae anhelitum concitatum diutius ferant, ſi cui hominum huiusmodi conformationem, quantum architectonica humani corporis ratio patitur, natura conceſſerit, quo perfectiori gradu conceſſerit, hoc maiorem celeritatem atque agilitatem corpus illud prae ſe ferre potuerit, adeo, vt miraculo etiam haberi poſſit, vt perhibent multa exempla. Etſi enim haec prodigia raro eueniant, poſſunt tamen intra certos limites euenire, maxime cum accedat vſus a pueritia, modus quidam ſuſtinendo ferendoque corpori aptior, atque alia artificia, quibus mirum in modum aucto robore celeritas atque agilitas creſcit. Hinc accepimus, Achillem, fortiſſimum, celerrimum atque agillimnm Graecorum principem, ſupraque omnes animi corporisque viribus praepollentem (cum enim ex eo haec noſtra diſputatio ortum traxerit, eius exemplum non eſt omittendum), cum ab armis otiaretur, ſe ipſum ac ſocios ſuos currendo exercuiſſe, quo factum eſt, vt celerrime curreret, et praeconium ab Homero velocitatis pedum mereretur. Hinc etiam Epaminondam Thebanum in omni armorum genere exercitatum, corporis pernicitati multam impendiſſe operam tradunt. Exercebatur namque quotidie mane currendo, deſiliendoque, veſpere vero luctando, ita, vt quemlibet hoſtem curſu adſequeretur, et comprehenſum detineret. Memini me ſimiliter legere apud Salmonem *Tom. V. pag.* 70. quod recentiores

res Perſae, cum hemerodromis non vtantur, qui mutatis equis epiſtolas celeriter reddendas in longinqua loca ferant, complures habent perniciſſimos iuuenes a pedibus, quos vernaculo vocabulo *Shatiros* nuncupant, qui, vt in curſorum albo deſcribantur, ad illud currendi miniſterium prius probandi ſunt. Probatio autem conſiſtit in eo, vt tredecim, aut ad ſummum quatuordecim horis, ab ortu ſolis ad occaſum numerandis, centum ac duodeuiginti millia paſſuum currendo expleant. Quod vt exſequi valeant, cum vix pueruli reddere voces ſciunt, et pede certo ſignant humum, eos in curſu exercent parentes: nam plures familiae victum inde vnice ſibi comparant. Sic et Turcarum ſacerdotes, quos *Deruiſos* dicunt, a teneris vnguiculis edocti, choreas quasdam ducunt in gyrum tanta corporis pernicitate, vt non citius figularis rota circum agatur, adeo, vt faciem eorum in illo circumactu non ſolum inſpicere, ſed ne vix quidem agnoſcere liceat, cumque ad multum temporis perdurent, nulla vmquam capitis vertigine laborare dicuntur. Quid de funambulis ac ſaltatoribus iſtis, in quibus ſtudio ſtupidi ſaepe animum occupamus? Nonne videmus, quanta corporis agilitate per extenſum funem illi non gradiantur modo, ſed vibrato ſurſum corpore, pedibusque micantibus, citharoedo perſonante, ſaliant ad numerum, et interdum, ſimulata prolapſione, pendulum corpus habeant, alterutrius tantummodo pedis digitis ad funem vix adhaerentibus? Quod praeſtare nullo pacto poſſent, niſi arte quadam, quam pueri ediſcunt, ſuſtentandae grauitati corporis adſueuerint. Adeo valet vſus, atque exercitatio longi temporis. Hi vero poſtquam celſiſſimis ſaltibus ſeſe in aërem ſuſtulerint, tam leuiter terram pulſant deorſum dilapſi, vt vix aliquod veſtigium relinquant, vixque pedum ſonitus exaudiatur, ſed pilae inſtar, ſolo adflictae, ſtatim reſiliant. Quidni igitur potuerint et ille Ladas Solini, et Camilla Virgilii tanto, vt ita dicam, elaterio praeditas habere plantas, tamque agili eſſe corpore partim ex artubus, ad agilitatem aptiſſime concinnatis, partim ex longo vſu, vt currentes vix terram quaterent, leuiſſimaque in puluere relin-

relinquerent veſtigia? Nam nulla prorſus reliquiſſe, non videtur admittendum, et ὑπερβολικῶς dictum putamus. Cuius elaterii vis tanta quandoque eſt, tamque expromta, vt ea, in quibus reſidet, perniciſſime reſilire magno cum ſtupore videas; qualis, v. g. pilula ex muſculoſa piſcium ſubſtantia, ſi ita loqui fas eſt, confecta, ac praeſertim ex ea, quae naribus ineſt ſiluri. Haec enim ad ſolum alliſa tam ſubito celerique motu ad multas vlnas reſilit, vt terram vix attigiſſe videatur. Poſſemus etiam alias velocitatis in homine adferre cauſſas, quas ſiue Aſtrologi, ſiue Phyſici tradunt, ſed vanas ac fabuloſas exiſtimamus. Aſtrologi ſiquidem putarunt, illos, qui ſub ſidere Delphini in lucem editi fuiſſent, petaminarios eſſe, hoc eſt, praecipua pedum velocitate valere, vt prorſus admirabile videatur, quam celeri curſu et quam volucri meatu magna ſpatia terrarum breui temporis interuallo emenſi fuerint. Nonnulli vero phyſici docuerunt, quod ſplen ipſis deficiat. Quam fabellam inde liquet eſſe natam, quot quanto minor ſplen in corporibus foret, tanto eſſent homines velociores. Nihilominus praedicant Turcae, ſe arcana quadam arte valere, qua ſine lethali vulnere ſplenem curſoribus euellant: nec defuere quidam medici, qui id praeſtari poſſe putarunt, nonnullis allatis exemplis, quae apud Buretum Gallum leguntur, quibus adduci nequeo vt fidem habeam. *Tom. IV. Mon. Inſcript. pag. 416.* Ferunt alii, certum cibi genus plurimum facere ad velocitatem, vt ſi quis ſerpentibus, lacertis, aliisque reptilibus veſcatur. Nam Troglodytas, huiusmodi pabulo ſeſe alentes, Aethiopum omnium velociſſimos eſſe, Herodoti ac Plinii teſtimonio fulti, contendunt. Sed quis non videt, has eſſe meras nugas ineptiasque, quas idcirco, vt mox dicebamus, miſſas hinc facimus atque explodimus? Cibos illos tantummodo ad velocitatem conducere admittimus, qui vires quidem confirment, at corpus minime grauent, qualibus vti conſueſſe dolichodromos, curſores nimirum longioris ſtadii, teſtis eſt Arrianus in ſuo Epicteti commentario *lib. III. cap. 23.*

Atque

Atque haec ſane ſunt, quae meae eruditionis tenuitas ad quaeſtionem hanc explicandam mihi ſuppeditauit, ornatiſſimi auditores. Iam vero mihi quid certi ſtatuam, rationibus hinc atque illinc diſcuſſis, meditanti ſubit illud Phaedri, *periculoſum eſt, credere, et non credere.* Nam nihil credere, quod tibi fidem vincere videatur, et mendacii notam perperam inurere ſcriptoribus non contemnendis, vbi praeſertim rem, quam deſcribunt, ſuis ipſorum oculis vidiſſe teſtantur, vitioſum eſt, ac ſaepe etiam temerarium. Contra vero facile omnia admittere, hominis eſt leuis, teſte Salomone. Quid ergo mihi faciendum? Media inſiſtam via: nec omnia probabo, nec omnia reiiciam. Etſi enim nonnihil fabuloſi mirabiles illae narrationes in aliqua parte prae ſe ferre videantur, puto tamen multum etiam veri continere poſſe. In primis enim ſiue equos, ſiue ceruos, ſiue alios quadrupedes velociſſimos quadamtenus aequari potuiſſe a nonnullis hominibus, ob rationes, quas expoſuimus, vltro concedimus. Nam ſacra etiam regum hiſtoria, de cuius fide nefas ambigere, de Aſaële, Saruiae filio teſtatur, quod velociſſimus fuerit, quaſi vnus caprearum, quae morantur in ſiluis. Sed tot millia paſſuum, quot neque equus ex velociſſimis conficiat, per multas continenter horas, emetiri poſſe hominem, durius profecto eſt, quam vt probari a nobis poſſit, aut credi. Id enim ſupra naturae vires prorſus eſſe, apertiſſime conſtat. Mirabiles illos homines, de quibus narratum eſt, per aliquod currentes ſpatium non ad tantam illam longitudinem, quanta deſcribitur, ſed ad multo breuiorem extenſum, incredibilis cuiusdam velocitatis ſpecimen exhibuiſſe putauerim, ita, vt celerrimos equos, ſiue aequarint, ſiue etiam ſuperarint. Ad cuius ſpatii modum ſi longiora ſpatia percurrere poſſent, tot et tot millia paſſuum confeciſſe ſubductis rationibus inuenirentur. Fortaſſis igitur ſcriptores, qui rem narrandam ſuſceperunt, ad eum modum reputatam literis tradiderunt, ſiue quod mirabiliorem narrationem in vulgus edere voluerint, ſiue quod a vero non abhorrere crediderint. Etiam noſtra aetate ſingulari robore notiſſimus vir ille An-

glus, Riccardus Ioya, quem Florentiae Mediceorum principum liberalitas diu detinuit, ad imaginem illius veteris Samſon adpellatus a capite latae ſemitae, amoenis arboribus vtrinque conſitae, qua itur ad Mediceam villam collis, vt vocant, Imperialis, ad eius dimidium currendo quemuis equum velociſſimum ſuperabat, ſed vires, vt vlterius eadem velocitate curreret, non ſuppetebant. Si quis igitur eius hiſtoriam oculatus teſtis ſcriberet, et, habita exigui illius ſpatii ratione, per longiora etiam ſpatia ad eumdem modum currere potuiſſe traderet, nonne ſequeretur, decem v. g. horis plusquam ducenta millia paſſuum praeteruolaſſe? Falſitas igitur in eo verſatur, quod de maiori etiam curriculo praedicetur, id, quod praeſtari tantummodò valeat in minori. De agilitate vero hominis illius, a Camerario deſcripti, quamuis fidem omnem excedere videatur, minus ambigendum: quandoquidem ſimiliter videmus ridicularium Bergomatem in grege hiſtrionum ſurſum ac deorſum per ſcenam, ac per theatri forulos mira prorſus agilitate diſcurrere, et quaſi volitare, atque etiam iocularem in ipſis ſeruulam tam ſtupendos ſaepe luſitare agilitatis ludos, vt narratos aures reſpuant, ſpectatos vix oculi credant. Habetis meam ſententiam, auditores, qua ſi quis veſtrum ſubtilius aliquid, ac melius inuenerit, libenter amplectar.

DISSERTATIO XXIII.

DE ACHILLE CITHARA CANENTE VETERIQVE GRAECORVM MVSICA.

SYNOPSIS.

Antiquis heroibus familiare fuit muſicae ſtudium. Themiſtocles, quod lyram pulſare non didiciſſet, habitus eſt indoctior. Cantores antiquitus omnibus ſapientiae partibus inſtructi fuerunt, et philoſophorum nomen obtinuerunt. Comprobatur exemplo Phemii et aliorum canto-

cantorum. Temperantiae atque omnium virtutum exſtiterunt magiſtri. Muſica triplex. Lyrae chordae tum ex inteſtinis ouium, tum ex lino. Plectro tangebantur chordae, ita, vt crimini verteretur, eas pulſare digitis. Canebant de rebus tam diuinis, quam humanis. Quam diuerſe ſenſerit Homerus de Achillis cithara ac de Paridis. Plato atque Ariſtoteles aliique ſapientiſſimi viri muſicam apprime calluerunt. Socrates in ſenectute Muſicae ſtuduit. Sicut expetenda eſt virilis muſica, ita contemnenda effeminata.

Bene ac ſapienter inducit Achillem Homerus, muſica conſopientem iracundiam ac furorem, dum, Agamemnoni infenſus, abſtinebat a bello *Iliad. lib. IX.* Etenim cum eſſet muſicam a Chirone edoctus, et e ſpoliis, hoſti ereptis, nobilem accepiſſet citharam, decorum maximopere ſeruauit vates, dum iucundiſſimo honeſtiſſimoque muſicae ſolatio animum relaxantem facit, aliorum heroum exemplo, maxime vero Herculis, Eetionis, Thebanorum regis, et ipſius Chironis, quibus muſicae ſtudium familiare fuit atque inprimis carum. Valerius Maximus locum hunc Achillis canentis ad hunc modum interpretatur: *Homerus*, inquit, *ingenii coeleſtis vates non aliud ſenſit, vehementiſſimis Achillis manibus canoras fides aptando, quam vt earum militare robur leni pacis ſtudio relaxaret.* Cenſet igitur praeclariſſimus auctor, lyram Achilli fuiſſe, quod P. Aemiliano et C. Laelio conchulae et vmbilici, quos animi remittendi gratia interdum in otio lectitabant; quodque C. Mucio Scaeuolae pila, alueus, et calculi; aut Socrati arundo, quaſi ſtrenuis quoque viris otium interdum ſit expetendum, non quo euaneſcat virtus, ſed quo recreetur. Verum an ea ſolummodo vati fuerit mens, ex iis, quae infra dicentur, iudicare poteritis, auditores. Neque vero tantum antiquiſſimis temporibus muſicae ſtudium tenuit heroas, ſed conſecutis etiam aetatibus fortibus principibusque viris in deliciis fuit atque vſu; quod docet Themiſtocles, qui, cum in conuiuio oblatam ſibi recuſaſſet lyram, quod eam pulſare non didiciſſet, habitus eſt indoctior.

Age vero, quoniam hanc differendi de muſica occaſionem nacti ſumus, quae ex Homero colligi poſſunt, ad eam artem illuſtrandam, vosque, ornatiſſimi adoleſcentes, cognitionibus non plane vulgaribus locupletandos depromamus.

Primum quidem cantores ipſos, quos ἀειδοὺς adpellat Homerus, omni ſapientia inſtructos fuiſſe liquet. Penelope ſiquidem ait, Phemium, domus ſuae cantorem, noſſe omnia Deorum atque hominum acta *Odyſſ. lib. I.* Quapropter eum vocat Euſtathius Θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἐπιςήμονα, diuinarum humanarumque rerum ſcientem. Quod adeo verum eſt, vt philoſophorum nomen muſici antiquitus obtinerent, quemadmodum veteres teſtantur ſcholiaſtae tum Homeri, tum Pindari, quorum verba, ne longior ſit oratio, conſulto omittimus. Certe temperantiae atque omnium virtutum magiſtros exſtitiſſe, auctor eſt Athenaeus. Quamobrem Agamemnon, ad bellum diſcedens, cantorem Clitemneſtrae reliquit cuſtodem et monitorem qui, honeſtarum mulierum laudibus decantatis, probitatis ſtudium in ea accenderet, ſuaque conſuetudine illam a nefariis cogitationibus diuerteret: quare non ante ab Aegiſto corrupta fuit, quam hoc interemto, vt recte animaduertit Euerardus Feithius aureo antiquitatum Homericarum libello, ex quo multa excerpſimus, et in hanc diſputationem tranſtulimus. Parum enim intereſt, vtrum ea, quae ad veſtram eruditionem, ornatiſſimi iuuenes, vobis propono, faciliore quadam ratione diſpoſita et concinnata, ego, an alter, primum obſeruauerit, dum omnia collineent in eum ſcopum, quem mihi praefixi, ſapientiam Homericam vtiliter et iucunde vobis explanandi. Neminem autem latere puto, muſicam ſcientiam, in cantu ſonoque ſitam, ſic ſolere a pleriſque diuidi ac diſtingui, vt alia ore, alia manu, alia flatu fiat. Hinc Cicero in Roſciana cantum vocum, nervorum et tibiarum nominat. Quomodo igitur haec ſe habeant apud Homerum, iam libet expendere. Plane conſtat, vtraque eſſe apud illum inſtrumenta muſica, videlicet tum φωνητικὰ, quae inflantur, vt ἀυλὸς, σύριγξ, tibia,

bia, fiſtula; tum ἐντατικὰ, quae chordis, extenduntur, vt κιθάρα, φόρμιγξ, λύρα, cithara, teſtudo, lyra, quae omnia vnum idemque eſſe tradit, Pollux, et ipſemet Homerus aperte docet. Etenim Iliados *lib. XVIII.* dixit φόρμιγγι κιθαρίζειν, et in hymno Mercurii λύρῃ κιθαρίζειν, id eſt, teſtudine, lyra *citharizare*, ſi hoc verbo vti liceat. Quapropter ſcribit Euſtathius, omnem cytharam vocatam eſſe chelyn. Septem vero chordis intendebatur, quae plerumque erant ex inteſtinis ouium: vnde Homerus chordam vocat ἐϋστρεφὲς ἔντερον οἰός, ſcite attortum ouis inteſtinum. Sed ex lino etiam conſtitiſſe cenſet vetus ſcholiaſtes ad illum Iliadis locum *lib. XVIII.* vbi dicitur: λίνον δ᾽ ὑπὸ καλὸν ἄειδε, hoc eſt, *ac linum ſub pectine dulce canebat.* Porro ſeptem exſtitiſſe chordas in teſtudine, a Mercurio conſtructa, diſerte memorat vates:

> Ἑπτὰ δὲ συμφώνους οἴων ἐτανύσσατο χορδάς.
>
> *Septem ouium extendit concordes ordine neruos.*

Quod in hymno Mercurii expreſſit Horatius *lib. I. carmin. od. 2.*

> *Tuque, teſtudo, reſonare ſeptem*
> *Callida neruis.*

et Virgilius *Aeneid. VI.*

> *Septem diſcrimina vocum.*

Quare non inconcinne teſtudinem vocat Pindarus *Pyth. 2.* ἑπτάγλωσσον, quaſi dixeris *ſeptilinguem.* Plectro autem tangebantur chordae: nam Mercurius in hymno praetentaſſe dicitur plectro ſingulas fides, deinde vero cithara horrendum ceciniſſe. Idem ſaepius legere licet apud lyricum vatem, Pindarum, itemque apud Anacreontem, quemadmodum et apud Virgilium *ibidem:*

> — — *et pectine pulſat eburno.*

Quod vsque adeo obſeruatum fuit, vt Lacones fidicinem peregrinum mulctarint, quia citharam pulſaret digitis, teſte Plutarcho: quod feciſſe illos putamus propterea,

quod digitorum ille ſonitus fractus forſitan eſſet, et mollis, a quo vtpote ſapientes abhorrebant quam maxime. Fuiſſe vero plectrum illud non ita exile, conſtat ex eo, quod Aelianus *lib. XII.* ſcribit, Herculem illo necem intuliſſe Lino, a quo muſicam edocebatur. Neque illud ſane omittendum, citharae ac lyrae inferiorem partem aere fuiſſe inſtructam, atque illud aes ſonitum ad plectrum edidiſſe; quod tum ab aliis, tum a magno Baſilio accepimus, oratione prima in pſalmos, qua muſicae laudes diſertiſſime perſequitur. Cum citharae ſono iungebant vocem: nam Apolline, Diis menſae adſidentibus, citharam feriente, canebant Muſae, ἀμειβόμεναι ὀπί καλῇ *Iliad. lib. I.*

Cantum alternantes argutum voce venuſta.

Quod et de Mercurio legitur, Orpheo, aliisque. Canebant vero de rebus tam diuinis, quam humanis. Ita Mercurius cantu Deos celebrat immortales, terramque, et quomodo quaeque nata ac diſpoſita ſunt in vniuerſo. Similiter Orpheus apud Chironem cantat de rerum principiis, et quae memoratu digna antiquitus euenerunt. Apud Virgilium *Aeneid. lib. IV.*

— — — cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit quae maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, ſolisque labores:
Vnde hominum genus, et pecudes, vnde imber, et ignis
Arcturum, pluuiasque Hyadas, geminosque Triones.

Demodocus quidem in Odyſſea canit in Phaeacum menſis de Martis ac Veneris furtiuo congreſſu, quod Phaeaces ſolutioris vitae genus amplecterentur: verum tamen canit etiam de contentione Achillis, et de equo Troiano. Phemius de reditu Achiuorum: Chiron, etiam Centaurus, de bello Lapitharum et Centaurorum cantat. Sic *Aeneid. lib. IX.* Cretheus:

Semper equos, atque arma virum, pugnasque canebat.

Atque

Atque hi omnes ex tempore fere canentes inducebantur. Ex quo liquet, non eſſe intempeſtiuum, vt, qui ſimiliter ex tempore in nobis canunt, grauia et ſeria argumenta cantando pertractent; quod reprehendere eorum iudicium videtur, qui vellent eos ludicra tantummodo fundere, riſuque excipienda. Sed me reuocat Achillis cantus, propter quem hanc maxime diſputationem inſtituimus. Illum autem ad hunc módum deſcribit Homerus:

Τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ
Καλῇ, δαιδαλέῃ (ἐπὶ δ' ἀργύρεος ζυγὸς ἦεν)
Τὴν ἄρετ' ἐξ ἐνάρων, πτόλιν Ἠετίωνος ὀλέσσας.
Τῇ ὅγε θυμὸν ἔτερπεν, ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.

Sic autem latine verto:

Illum inuenerunt dulci teſtudine mentem
Placantem, quae pulcra iugum mira arte ferebat
Argento rutilum; hanc olim, Eetionis vt vrbem
Euertit, ſpoliis adiunctam accepit opimis.
Illa oblectabat ſeſe, et dum pectine pulſat,
Priſcorum heroum fortiſſima facta canebat.

Atque hic haudquaquam nobis immorandum intelligimus in ſignificatione loci huius illuſtranda: clara enim per ſe ipſa ſunt omnia, neque in iis implexum latet quidquam, quod explanari deſideret. Quare praeſtabit animaduertere, quam diuerſe ſenſerit vates de Achillis cithara ac de Paridis. Facit enim Hectorem exprobrantem Paridi timiditatem in bello, dicentemque, ſi cum Menelao bello decernat, non illi citharam, aut dona Veneris profutura, *Iliad. lib. III.*

Οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης.
Non citharae cantus, Veneris non dona iuuabunt.

Quis autem, his duobus de Achille et Paride locis inter ſe collatis, perſpicue non videat, Homerum magni feciſſe Achillis citharam, habuiſſe vero contemtui citharam Paridis? Quapropter Alexander ille Magnus cum Ilienſes

ipſum ad inſpiciendam Paridis citharam inuitarent, ſapienter reſpondit, ſe Paridis citharam nihil morari, gratum ſibi facturos, ſi citharam Achillis, qua heroum res fortiter geſtas heros ipſe fortiſſimus celebrauit, oſtenderent. Homerus ergo in pretio habuit Achillis citharam, non Paridis, quia Paris ea fuerat vſus ad modulandas turpes cantilenas, quibus aures femellarum, et effeminatorum iuuenum demulceret, quod Horatius elegantiſſime expreſſit his verbis *lib. I. od. 5.*

Necquidquam Veneris praeſidio ferox
Pectes caeſariem, grataque feminis
Imbelli cithara carmina diuides.

Vbi poëta imbellem citharam Paridis adpellauit, vt ab Achillis bellicoſa diſtingueret. Quod vero exercitium vtilius et iucundius Achilli, negotiis vacuo, vt notauit Plutarchus de muſica, inueniret Homerus? Nam cum bellator, et quidem ſtrenuus, eſſet Achilles, ex offenſione autem, quam contra Agamemnonem conceperat, periculis bellicis abſtineret, dignum heroë illo exiſtimabat, vt ſimul iram concoqueret, mentemque demulceret ſuaui varioque citharae cantu, ſimulque animum ſuum optimis modulamentis exacueret, atque ita ad expeditionem, quam breui poſt ſuſcepit, eſſet paratus. Ea enim recordatione ſine dubio, quaſi generoſitatis ſuae fomite, vtebatur. Solet enim in bene natis, et gloriae cupidis heroibus aliorum virtus commemorata maiores virtutis igniculos accendere, vt de Themiſtocle legitur, quem Miltiadis tropaea placide quieſcere non ſinebant. Eiusmodi igitur erat priſca muſice, eoque conducebat, vt animos ad virtutem omnemque honeſtatem inflammaret. Quid igitur mirum, ſi muſicam, maſculam illam, inquam, et diuinam, non autem confractam et garrulam tanti facerent viri ſapientiſſimi, eamque ſibi comparandam omnibus modis exiſtimarent? Vt de Platone ſileam, qui ſtudioſiſſimus muſicae fuit, vtpote qui Draconem audiuiſſet Athenienſem et Metellum Agrigentinum, ſileamque ſimiliter de Ariſtotele, qui de muſica doctiſſime diſ-

ſeruit;

ſeruit; nonne Socrates, cum eius iucunditatem atque vtilitatem cognouiſſet, quoniam non didicerat iuuenis, in ſenectute muſicam didicit, vt refert Plato, a Conno fidicine? Cum autem ei diceretur, nonne verecundaris in ſenectute his operam dare ſtudiis? Maiorem, reſpondit, verecundiam eſſe, in ſenectute ignorare, quam in ſenectute ſtudere. Quoniam autem muſicem virilem et ſtrenuam, fractam aliam et effeminatam nominauimus, de vtraque aliquanto copioſius differere optaremus. Sed ne nimis oratio ſuccreſcat, patientiaque abuti veſtra videamur, auditores, ad alium ſermonem, quae dicenda ſuppetunt, reſeruamus; in quo et quaedam alia ad muſicen ſpectantia, non plane iniucunda, neque fortaſſe ſatis vulgata adferemus.

DISSERTATIO XXIV.

DE VTRAQVE MVSICA VIRILI ET EFFEMINATA NONNVLLISQVE ALIIS AD COGNITIONEM MVSICAE PERTINENTIBVS.

SYNOPSIS.

Muſicae virilis et effeminatae diſcrimen. Muſica antiquitus Deorum venerationi ac bonorum laudi tantummodo inſeruiebat. Cur pueri muſicae diſciplina imbuerentur. Leges ad numerum decantabantur. Pueri nutricis cantu a fletu ceſſant. Statim atque expergiſcuntur homines, iubet Pythagoras, ſono aliquo ad munera obeunda excitari. Muſica furorem immittit, atque etiam exſtinguit. Cur muſicam veteres conuiuiis adhibuerint. Qui muſicam inter Graecos primi corruperint. Pherecrates imaginem confinxit muſicae deprauatae. Veteres mulctam iis, qui muſicam violarent, definierunt. Lex illa in deſuetudinem abiit. Perſtringuntur confractae muſicae vitia. Reprehenditur effuſiſſima in cantores largitas. Exempla Romanorum, qui, luxu perditi, hiſtriones, muſicos opibus cumularunt. Quae fuerit muſica muta. Aliquid delibatur de muſicae auctoribus, tonis,

modis, rhythmis. Notae muſicae Graecorum. Non manus, ſed pedis ictu muſicae tempus ferme metiebantur Graeci. De Dionyſii libris, et operibus muſicis. Buretti teſtimonium de antiquis notis muſicis Graecorum.

Quod polliciti ſumus altero ſermone, praeſtamus hodie, auditores. De vtraque ſiquidem muſica, virili et effeminata, paulo liberius diſſeremus, diuinamque hanc ſcientiam ab hominum criminationibus, malaque, quam plures de ea habent, opinione vindicabimus. Iam virilem muſicen apud Homerum in Achille canente animaduertimus, effeminatam vero in cantilenis Paridis. In quo autem vtriusque diſcrimen, contrariamque rationem ſitam eſſe dicemus? Enimuero, harmoniam rem eſſe plane coeleſtem, naturamque eius diuinam et pulcram, negare poterit nemo, cui aures prorſus non obſtupuerint, vel deteriores ipſis brutorum animalium auribus non ſint, quorum pleraque deliniri, adficique plurimum muſica, teſtis locuples eſt Plutarchus in ſympoſiacis. Verum haec harmonia vt rebus quibuslibet contingit natura bonis, vitio hominum facile deprauari poteſt, et corrumpi. Siue enim res, quae modulis agitantur, improbae ſint, moresque commaculent, ſiue cantilena ipſa nimis intemperanter laſciuiat, et luxurietur, mollem, turpem et effeminatam dixeris muſicam. Sin autem tum rebus cantu celebratis, tum recta cantus ipſius ratione ad virtutem muſica, morumque honeſtatem audientes impellat, ſolida erit, grauis et virilis. Et quidem initio huiusmodi erat muſica. Nam apud antiquiores Graecos, ſi Plutarcho fidem habemus, ne nota quidem fuit muſica, quae theatris inſerviret. Tota ſcientia illa numinum cultui, adoleſcentiumque inſtitutioni impendebatur: quod tunc, nondum theatro aedificato, muſica adhuc in templis verſaretur, Deorum venerationi, et bonorum laudibus inſeruiens. Et veriſimile eſt, theatri vocem, ac multo antiquiorem vocem θεωρεῖν, quod eſt *ſpectare*, a voce θεός, quod eſt *Deus*, deductas eſſe. Ex quibus plane liquet, priſcis Graecis haud iniuria id praecipue curae fuiſſe, vt adoleſcentes diſci-

diſciplina muſica imbuerentur. Horum enim animum exiſtimabant muſicae opera fingi, et concinnari ad decorum poſſe, et ad praeſtantiorem illam in ſe ipſis muſicam factitandam, quae non in vocum fidiumque cantu, ſed in morum virtutumque concentu ſita eſt. Ratio enim, vt inquit Plato, cum muſica contemperata in eius animo, qui ipſius compos eſt, inſita virtutem per vniuerſam vitam conſeruat incolumem. Quocirca veteres philoſophi leges ipſas, vt cum vocibus dulcedine tenacius et libentius in animis hominum exciperentur, ad numerum decantari volebant, et ob id *νόμους* adpellabant, teſte Ariſtotele in Problematis. Siquidem *νόμοι* leges et canonas ſignificabant, quibus componitur cantus et gubernatur. Inſitum namque videtur natura omnibus, muſica oblectari; cui rei argumento ſint pueri, qui vix dum nati modulis permulcentur, nutricisque cantu a fletu ceſſant, et conticeſcunt. Sonitu autem aliquo homines experrectos ſtatim atque e cubili exſurgunt, ad aliquod ſubeundum munus Pythagoras iubet accendi: ita enim ſenſus vegetiores, vividioresque fieri, et conſopitam mentem exacui. Morum quoque exempla mala vt ſuſcitari, ita refringi arte muſica poſſe teſtatur Cicero. Ea vero ars valuit olim non ſolum accendere ad praelium, furoremque immittere, vt de Timotheo perhibetur, qui, cum ad Alexandri menſam caneret Orthium modulum, regem repente, velvti inſanum, ſtatuit in pedes, coëgitque ad arma proſilire; ſed valuit etiam furorem exſtinguere, vt cithara Davidis furentem Saulem compeſcebat, vt Empedocles Agrigentinus cantiuncula quadam furibundum adoleſcentem, nudoque ferro hoſpitem impetentem ſuum compeſcui, ac ſedaſſe perhibetur. Sane antiquis temporibus cithara numquam a conuiuiis abfuit, quod illo verſiculo docuit Homerus:

> *Φόρμιγγος θ', ἣν δαιτὶ Θεοὶ ποίησαν ἑταίραν*
> *Conuiuis citharam, quam Di fecere ſodalem.*

Placuit etiam veteribus, vt muſica adhiberetur epulis, tum quia muſica moerorem expellit, liberalemque hilaritatem,

tatem, quae maxime conuiuia decet, operatur, Salomone ipſo atteſtante: *muſica et vino hilarari cor hominis;* tum quia elidere vim feruidiorem vini exiſtimaretur, vt alicubi Plutarcho teſte refert Ariſtoxenus. Sed eiuſce conſuetudinis grauiorem adfert rationem Athenaeus. Antiqui omnes, inquit, et moribus, et legibus conſtituerant, vt Deorum immortalium hymni in conuiuiis canerentur, ad temperantiam honeſtatemque retinendam. Nam cum cantilenae concinnae eſſent, Deorumque accederet metus, vniuscuiusque mores facile componi poſſe videbantur. Cato ſimiliter, grauiſſimus auctor in originibus, quem adducit Cicero Tuſculanarum diſputationum lib. IV. morem apud maiores hunc epularum fuiſſe teſtatus eſt, vt, qui accumberent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes ac virtutes. Vsque adeo ſolida illa virilisque muſica in humana vita apud veteres viguit, obtinuitque: ſed breui conſecutis temporibus tam caſtam vtilemque exercendi cantus rationem peruerterunt homines et corruperunt, et, maieſtate muſices exturbata, pro maſcula illa ac diuina, confractam aliam et garrulam inuexerunt. In cuius flagitii crimen Plutarchus maxime vocat Cnexum, Timotheum, et Philoxenum, pluresque alios aetate iis inferiores, qui, importunae nouitatis ſtudioſi, modum adfectauerunt, quem dixerunt humanum et thematicum. Euenit enim, vt, luxu aliarum rerum inducto, paucitas quoque chororum, ſimplicitasque, muſicaeque decora grauitas plane ob vetuſtatem contemnenda videretur, quo reſpexiſſe Horatium veriſimile eſt, cum ait in arte:

Tibia non, vt nunc, orichalco iuncta, tubaeque
Aemula, ſed ſimplex, tenuisque, foramine pauco
Adſpirare, et adeſſe choris erat vtilis, atque
Nondum ſpiſſa nimis complere ſedilia flatu.
Quo ſane populus numerabilis, vtpote paruus,
Et frugi, caſtusque, verecundusque coibat.
Poſtquam victor agros extendere coepit, et vrbes
Amplior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius feſtis impune diebus,
Acceſſit numerisque, modisque licentia maior.

Sic

Sic priſcae motumque, et luxuriem addidit arti
Tibicen. — — — — —

Res vero paulatim in eum locum deducta eſt, vt Plutarchus tantum temporibus ſuis receptum eſſe diſcriminis dixerit, vt eius muſicae, quae ad puerorum diſciplinam facit, nulla memoria iam exſtaret, nullaque cura eſſet, cum omnes, qui ad muſicam adpellerent, theatris ſervientem Muſicam amplecterentur. Quod malum Pherecrates indigne ferens, muſicam continxit muliebri figura totum corpus verberibus foede mulctatam, fecitque iuſtitiam huius foeditatis cauſſam quaerentem, et muſicam reſpondentem, ſe a Timotheo turpiſſime illis verberibus confoſſam. Sane a veteribus multa etiam definita eſſe traditur iis, qui muſicam violauiſſent. Sed quid profuit? Poſteriorum aetatum homines, optimis neglectis legibus, moribus corruptis pulcherrimum illud genus, cui ob maieſtatem antiqui maxime ſtuduerunt, ita omnino repudiaverunt, vt nullam interuallorum harmonicorum habeant rationem, illudque decus priſtinum e cantilenis prorſus exterminent, dicantque nugatos eſſe, qui de ea aliquid ſenſerint, aut illud muſicae genus probauerint. Atque hinc factum eſt, vt non ſolum cantilenae ab honeſtis, vtilibusque rebus celebrandis paene deſierint, ſed etiam in eam canendi rationem abſurde declinarint, quae muſicam in minutiſſima quaſi fragmenta concidit. Antiqui enim ab hac ratione, fractisque cantilenis, vt Plutarchus, quem ſaepius laudauimus, docet, non ob imperitiam abſtinuerunt, ſed illam reiecerunt, quia indecoram reipublicae iudicabant. Muſica namque erat olim modulatio grauis et ſedata, cum qua verba integra percipiebantur, cui, quae hodie vſu recepta eſt, barbara omnino adpelletur, neceſſe eſt: ſiquidem in ea praeter ſonum, et voces aliquando, nihil auditur, ita, vt intelligere quis non valeat, etiamſi attentat, quid demum cantetur, quae proinde aures dumtaxat inaniter demulcet, ſine aliqua ipſius intellectus oblectatione, vt aues tibi videaris audire, non homines canentes. Quodque magis dolendum eſt, hac grauiſſima muſicae calamitate, magis magisque in dies

dies increbreſcente, cantusque facultate in peius ſemper ruente, eam tamen ſingulariter probant, perditiſſimeque amant, ſeu praua conſuetudine, ſeu fucata voluptate decepti, plerique hominum, et cantores huiusmodi, cantatricesque, veluti numina, admirantur, tantum flexis genibus ac thuris ſuffitu non adorantes, virtutis ac ſapientiae auguſto nomine indigniſſime donant, ingentiaque ipſis praemia, mercedesque incredibiles proponunt, quibus maximopere inſoleſcunt. Sed ea nequaquam noſtrorum dumtaxat temporum culpa eſt, auditores: in ipſis Romanis, cum a maiorum ſuorum continentia, vitaeque integritate deſciuiſſent, luxuque paene diffluerent, hanc in effeminatos cantores comoedosque honoris et pecuniae vitioſiſſimam largitatem animaduerto. Quandoquidem, vt narrat Macrobius, Roſcio mercedem diurnam denarios mille populus Romanus conſtituit. Aeſopum autem, hiſtrionem, tantis opibus cumulauit, vt, quum luxurioſis ſumtibus diuitias immenſas prodegiſſet, et in vna patina ſexcenta abſumſiſſet, ducenties ſeſtertium moriens filio reliquerit.

Quoniam vero muſicos hiſtriones antiquorum temporum nominauimus, ſpeciem aliquam muſicae animaduertere non abs re erit, quam *mutam* veteres adpellabant, quae, ſine ſono, ſolis manuum, vultus, pedum geſtibus exercebatur, quibus veluti ſilens cantilena inerat, ita, vt populus omnia intelligeret, et mirum in modum oblectaretur actibus in ſcena intermediis. Qui vero hanc exercebant, *mimi*, *pantomimi* et *chironomi* dicebantur, vt ex multis ſcriptoribus, praeſertim vero Caſſiodoro, deprehenditur, qui, ad Altinum ſcribens, haec habet: *Iſtam muſicae partem veteres nominauerunt mutam, quae quibusdam geſtibus facit intelligi, quod lingua, aut ſcriptura melius exprimi non poſſet.* Sane Demetrius Cynicus, cum mimum, ſiue chironomum quempiam ſpectaret, nefarium Martis et Veneris congreſſum repraeſentantem, exclamaſſe fertur, permultum admiratus: *Audio, quae facis, o homo, nec modo video, ſed et mihi videris manibus ipſis loqui.* Ad pleniorem vero harum diſputationum per-

pertractationem exiſtimet fortaſſe aliquis, me et muſicae auctores narrare debuiſſe, quam a luſciniis didiciſſe fama eſt, et muſicorum inſtrumentorum, quibus ſingulae nationes ſiue vtuntur, ſiue vſae ſunt, varium multiplexque genus, genera item diuerſa tonorum, quorum praecipue ſunt Lydius, Phrygius, Dorius et Mixolydius, quos cantores noſtri *authenticos* vocant, videlicet primarios, quibus alios quatuor addiderunt *plagios* dictos, hoc eſt, ex obliquo additos; nec non tria genera modorum, *enharmonicum* videlicet, *diatonicum* et *chromaticum*, varios inſuper nomos, rhythmos et alia id genus permulta. Sed quoniam de hiſce omnibus ſcriptores complures copioſe doctiſſimeque diſſeruerunt, maxime vero omnium ſapientiſſimus Plutarchus, eaque inſuper tam implexa ſunt ac difficilia, vt, qui ſtudiorum iſtorum abſcondita penetralia diutiſſimo labore non peruaſerit, mente adſequi minime valeat, mihi omittenda eſſe ſum arbitratus. Duo tantum attinguam, vulgo non facile obuia, neque cognita ſatis multis, nempe notarum muſicarum apud Graecos valde ingentem fuiſſe numerum; cum pro notis vterentur ipſis literis, modo rectis, modo inuerſis, modo obliquis, vno verbo multifariam locatis et coaptatis, muſicaeque tempus non manus, quemadmodum nos, ſed pedis ictu fere metiri veteres conſueſſe, ictumque illum, qui duas in partes diffindebatur, in aëre inceptum, contra quam nos facimus, humi quieuiſſe, et ex duabus partibus illis, alteram θέσιν, ſcilicet *eleuationem*, alteram ἄρσιν, nempe *demiſſionem*, eſſe adpellatam. Quod vero pede, dum canebant, icerentur, verſus, hinc pedibus conſtare dicti ſunt, et eorum metiendorum actum grammatici dixere *ſcanſionem*. Dionyſius quidem, vt e Suida conſtat, muſicae hiſtoriam, ſex et triginta libris diſtinctam, conſcripſerat, libroſque duos et viginti muſicarum inſtitutionum, multaque ediderat a ſe elucubrata muſicae opera, quae omnia maxime dolemus iniuria temporum intercidiſſe: in iis ſiquidem antiquae Graecorum muſicae bonum ſpecimen haberemus, cuius nunc ne veſtigium quidem, quod ſciam, vllum ſupereſt, niſi quod doctiſſimus

mus Burettus in diſſertatione quapiam gallice conſcripta, a me nuper lecta, tradit, quatuor graecas cantiones cum antiquis notis muſicis a ſe eſſe repertas, tres nimirum hymnos in Calliopen, Apollinem et Nemeſin, vniusque Pindaricae Odae principium, quem certe ex antiquitate theſaurum pretioſiſſimum atque ineſtimabilem nemo non dixerit.

DISSERTATIO XXV.

AN MVSICA CVRENTVR MORBI.

SYNOPSIS.

Duo aegrotationum genera: vnum animi, alterum corporis. Muſice morbo animi mederi poteſt. Saulis exemplum. Teſtimonia Aſclepiadis et Pythagoricorum. Timothei, Terpandri, Empedoclis et Xenocratis fidium mirabiles effectus. Theophraſti aliud teſtimonium. Cur veterum muſice mirabiliores effectus produceret. Etiam modo vehementiores animi motus aliquando ciet in animis muſice. Tria exempla. Excantationes vulnerum ex Galeno atque Apollonio. Morbos, qui a ſpirituum turbatione non enaſcuntur, curari muſica aegre concedendum. Fabuloſae quaedam curationes morborum per muſicen. Curatio adhibita de morſis a Tarantula in Apulia fuſe narratur et explicatur. Theophraſtus Ereſius ſimile quid narrat de quarundam viperarum morſibus. Germanicus morbus per muſicen ſimiliter curatus. Diſputationis anacephalaeoſis.

Narrat Homerus Odyſſeae libro decimo nono, filios Autolyci fluentem e vulnere Vlyſſis ſanguinem inhibuiſſe carminum cantu:

Ὠτειλὴν δ' Ὀδυσσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο
Δῆσαν ἐπισταμένως, ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
Ἔσχεθον. — — — — — —
Diuini ſcite religarunt vulnus Vlyſſis,
Et cantu nigri fluxum tenuere cruoris.

Hunc

Hunc Homeri locum offendenti, bona mihi viſa eſt occaſio, quaeſtionem illam excutiendi, vtrum muſica et cantu curentur reuera morbi. Argumentum ſane non prorſus nouum adfero. Neque tamen putate me inutiliter ac putide illud pertractaturum, locum hunc conſcendiſſe. Nam qua vtiliora ſcitu ſeligendo, qua de iis, quae ab aliis tradita ſunt, iudicium ferendo, qua noua nonnulla adiiciendo, faciam, vt me actum non egiſſe, et ferculum eruditioni veſtrae non inſuaue praebuiſſe confiteamini.

Duo aegrotationum genera diſtinguere liceat, auditores: vnum earum, quae animum magis adficiunt, quam corpus; alterum earum, quae, totae corpori adhaerentes, vix animum tangunt. Conſtat enim, aegrotante animo non ſemper aegrotare ſimiliter corpus, nec viciſſim aegrotante corpore neceſſario aegrotare animum; etſi vix fieri poſſe credimus, vt morbus corporis aliquatenus ad animum non pertineat, multoque magis morbus animi ad corpus, propter intimam vtriusque conſenſionem. Equidem aegrotanti animo muſicen mederi poſſe facile putem. Multum enim in animum valet, in eoque diverſos motus mirum in modum ciere ſolet, furentem compeſcere, moerentem ſolari, erigere, recreare, aliaque multa praeſtare. Cuius rei teſtis ſtatim occurrit Saul, cuius aegro animo curationem citharae cantu mirificam Dauid adhibebat. Neque enim Daemonum opera procuratum, ſed ex ſanguinis aut ſpirituum turbatione ac tumultu morbum illum animi furoremque naturaliter excitatum, non vulgares interpretes arbitrantur. Ignotum nemini cenſeo, quid in homine huiusmodi morbus, Graecis *μανία* adpellatus, valeat, et quam miſere eo laborantes torqueantur, quo aeſtu corripiantur, quam incondite iactantur, quibus furiis exagitentur. Facile igitur intelligimus, laetitiam atque exſultantiam et muſica inſtrumenta aptiſſima eſſe, quibus ſua temperies ac motus aequalis naturalisque ſpiritibus ac ſanguini reſtituatur, ſublataque procella animus ad ſe redeat. Neque vero me fugit, ſacras literas teſtari, ſpiritum nequam, immiſſum a domino,

exagitaſſe Saulem 1. Reg. XXVI, 14. Sed non ſemel id faciunt ſacrae literae, vt Deo effectus tribuant, qui rei indolem quampiam prae ſe ferunt, naturae ſiue leges ſiue vires ſupergredientis, et e cauſſis occultis obſcurisque petuntur. Malum illud exaugebat vtique naturale viri temperamentum: numquam enim non ſe prodebat ſuſpicioſum, diffidentem, pronum ad vindictam, ſaeuum, violentum; quae ſane omnia procliuitatem ad morbum illum, cui ſe totum permiſerat, indicant ac demonſtrant. Criminis autem conſcientia, quae intus latrabat, minae Samuelis, perpetuus timor, ne ſpolietur regno, et ad priuatam conditionem redigatur, vel neci tradatur ab aemulo, vim morbi promouent, amplificantque. Accedit etiam Ioannis Chryſoſthomi auctoritas, qui, de Saulis morbo agens, *μανίαν* et ipſe adpellat, videturque ſolamen, illi a Dauide muſicis fidibus adlatum, eius peritiae acceptum referre, non diuino miraculo. Haec autem de Saule a nobis hactenus diſputata e doctiſſimo Calmetio ferme delibauimus. Ab eius tantummodo doctrina in eo deſciuimus, quod morbum Saulis ex atrae bilis accenſione, aliisque humoribus perturbatis agnoſcit: nos vero ex violenta ſpirituum, ſiue in neruis, ſiue in fibris conditorum, perturbatione. Eam ſiquidem doctrinam veterum recentiores philoſophi ac medici iam reſpuerunt, et celebrato illi, ſi ita loqui fas eſt, humorum quaternioni vale dixerunt. Aſclepiades vero medicus phreneticos, mente imminuta et valetudine animi adfectos, nulla re magis, quam ſymphonia et vocum concentu reſipiſcere, et ſanitati reſtitui cenſuit. Pythagorici itidem, cum violento animi aeſtu vel ſe, vel alios agi intelligerent, tibiae vel citharae ſonitu intimum diſſidium compeſcere conſueuerunt. Pythagoram, ait Quinctilianus, accepimus concitatos ad vim pudicae domui adferendam iuuenes, iuſſa mutare in ſpondaeum modos tibicina, compoſuiſſe. Quid de Timotheo, celebri citharoedo, qui tanta arte et facilitate animum ciebat, quod etiam ſuperiore diſputatione notabamus, vt quondam canente illo Magnus Alexander ad arma procurreret, quod me legere memini et apud Plutarchum

chum, et M. Baſilium? Quid de Terpandro, lyram pulſante, et ſeditionem Lacaedemonum compeſcente? Quid de Empedocle, Pythagorae diſcipulo, qui adoleſcentem, ira furentem, et ſtricto iam gladio necem alteri inferentem, adeo opportune promteque citharae cantu mitigauit, vt, ne iniuriam vrgeret, impedierit. Sed et Xenocrates fertur actos in furorem homines ſanitati hac eadem arte reſtituiſſe. Quamobrem nemini mirum eſſe debet, ſi Theophraſtus muſicos modos eſſe tradit praeſentiſſimum pluribus morbis remedium.

Sed ſi tanta, inquitis, muſicae in animos virtus, cur non agit etiam modo in animis noſtris, quae olim in veterum animis agebat? Multa praeſto mihi ſunt, quibus obiectioni veſtrae reſpondeam, auditores. Adferam nonnulla. Quis ſcit, an veteres magis, quam nos, muſica ſint delectati, ſiue quod rarius audirent, ſiue quod magis, quam noſtra, animos mentesque percelleret? Veterum ſiquidem muſica grauior erat, et robuſtior, noſtra autem leuior et fractior, atque in minutiſſimas particulas, vltra quam credi poſſit, conciſa; a qua componendi ratione veteres, vt docet Plutarchus, non quia neſcirent, ſed quia minus flexanimam cenſerent, prudentes abſtinuerunt. Poſſem etiam dicere cum Calmetio, quod fortaſſe nos hodie maiori ſtudio in animi noſtri motus inuigilamus, nosque minus dolore et gaudio rapi ſinimus, quam veteres paterentur, ac quam maturrime conſueſcimus externos corporis geſtus, animi indices, occultare et moderari. Sed quia rationem hanc falſam arbitramur, miſſam facimus. Quamdiu autem miracula illa muſices in antiquitate celebrata nos teneant, fidemque omnem ſuperare videantur? Etiam modo vehementiores motus aliquando muſica ciet in animis. Equidem virum noui, rei muſicae peritiſſimum, qui modulationes quasdam, quibus canorae recitationis ratio exprimitur, ab Antonio Ceſtio iam pridem compoſitas, canere numquam poteſt, quin fleat. Eſt alius etiam amicus meus, qui ſanguinem ruptis ramicibus, dicam Plautine, ſputauerat: poſt aliquot dies adfuit cantor prope lectum, vbi ad recipiendas vires ad-

huc iacebat, et modulationibus quibusdam, quibus ille quam maxime delectabatur, eius aegritudinem leuabat. Tanta autem ſpirituum commotio facta eſt prae voluptate, quam ex illo cantu capiebat, vt vulnus, quod in pectore coaluerat, denuo hiauerit, ſanguisque per os, fontis inſtar, eruperit, ita, vt vita periclitans ſacerdotem, animae curatorem, accerſiuerit; etſi poſtea, propitio Deo, reualuerit, et nunc integris viribus medicinae faciendae, qua complures annos bonae valetudini Ioannis Gaſtonis, Magni Etruriae Ducis, conſuluit, ac nobiliſſimo muſeo ſuo amplificando multa cum laude omnem curam impendat. Quid plura? Vos ipſi memorare poteſtis, quid in theatro huius vrbis duobus abhinc annis acciderit; nam ipſe non aderam. Nonne, canente illic egregio cantore, neſcio quo, euirato, ſuauiſſimamque ac liquidiſſimam vocem celerrime criſpante et concidente, Anglus quidam tam vehementi voluptate percitus eſt, vt e forulo, vbi ad ſpectandam fabulam conſidebat, repente ſurrexit, et in medium theatrum tum pileum, tum comam fictitiam, ſui impos, atque inſanienti ſimilis, proiecerit, parumque abfuerit, quin ſe ipſum quoque praecipitem daret, niſi ab iis, qui prope aderant, opportune cohiberetur? Cum igitur muſicae tum veteri, tum recentiori, plus minus virtus ſit ſiue ad excitandos, ſiue componendos animi motus, virtute etiam pollere, ad morbos animi quandoque curandos, ex iis, quae hactenus diſputauimus, ſatis ſuperque oſtendiſſe me puto.

Reſtat igitur, vt de morbis corporis breuiter diſſeramus. Agit quidem Galenus de muſica, vel ex cantationibus, quarum vſus eſt ad vulnera obducenda, adfirmatque Apollonius, ſua adhuc aetate apud Thebanos id remedii genus adhiberi conſueſſe: quamobrem veriſimile eſt, quod praedicto loco narrat Homerus in curatione vulneris, quod Vlyſſi inflictum eſt, carminum cantum fuiſſe adhibitum. Equidem noui, putaſſe Clericum, cum ea carmina ſuper vulnera decantarentur, non ab arte muſica, ſed magica curationem exſpectaſſe ſuperſtitioſos homines; cui non repugno. Vix enim et ipſe in animum

mum induco, vt credam, muſicae ad obducenda vulnera virtutem ineſſe, illosque corporis morbos ſanandos, qui non a ſpirituum tumultu, ſiue ſanguinis turbatione enaſcuntur, vt ſupra declarauimus. Tunc enim fidem facit ipſa ratio, id fieri poſſe: ſed ceteris corporis morbis, qui non inde ortum habent, nulla euincit ratio muſicen poſſe curationem adferre; niſi fortaſſe vulneratae fibrae, tunicaeque ſono aliquando contrahantur, vulnusque obducatur, quod non ita facile factu eſt. Nihilominus Thaletem Cretenſem, ſorte quadam a Pythia edita, adiiſſe Lacaedemonios, eosque a peſtilentia ope muſices liberaſſe, tradit Pratinas apud Plutarchum. Iſmenias vero Thebanus, Antigenidae diſcipulus, plures Boeotiorum iſchiadicos, et dolore coxendicum laborantes tibiae cantu bonae valetudini reſtituiſſe dicitur. *Boethius de muſica lib. I.* Theophraſtus etiam iſchiadicos ſanos fieri ſcribit, ſi more Phrygio harmoniam aliquis indigena illis accinerit. *Athenaeus lib. XIV. cap. 10.* Quamuis autem pleraque haec fabulis accenſenda ſint, niſi quis ad animi ſolatium referat, qui dum muſica oblectatione tenetur, vim illorum morborum minus ſentiat; nullo tamen modo licet ambigere de muſicae curatione, quam phalangio illo percuſſis, qui *tarantula* adpellatus eſt, in Campania atque Apulia adhibent. Eam ſiquidem ſcriptores celeberrimi, et oculati teſtes adfirmant, fide digniſſimi. Hic autem obiter notetur *Tarantulam* a Tarento vrbe nuncupari, in cuius agro maxime gignitur. Ipſiſſimam huiuſce rei narrationem, plane non inelegantem, quam ſcribit Alexander ab Alexandro *Genial. dier. lib. II. cap. 17.* Eam ſiquidem veriſſimam puto, quod optime cum doctrina Georgii Balliuii conuenire comperi, cuius de hac re medicam diſſertationem ſtudioſe perlegi. Cum per Apuliae campos fertiliſſimos, inquit Alexander, vbi hoc malum peculiare exſiſtit, ſub cane iter faceremus, vndique oppida et vici tympanis, fiſtulis, aut tibiis circumſonabant. Cuius rei cauſſam nobis quaerentibus relatum eſt, tarantulae morſu adfectos vndique per oppida curari. Cumque eius rei gratia in agrum quemdam diuerteremus, in-

venimus adoleſcentem, morbo eiusmodi adfectum, qui, veluti repentino furore ictus, et mente abalienatus, corporis motu non indecore, et manuum pedumque geſtibus ad tympanum pſallebat non inconcinniter, vtque vehementius modos acciperet, quaſi illo pulſu demulceri animus, et leniri videretur, ſenſim et placide aures tympano admouere, mox manus, caput, et pedes crebro motu concutere, et demum ſe in ſaltum attollere videbamus. Quae res cum ludo et riſu prorſus digna viſa foret, interim is, qui tympanum pulſabat, ſonitu parumper intermiſſo, pauſam fecit. Atque illum morbo adfectum, vbi praecentio illa quieuit, veluti attonitum, ſtupentique ſimilem, repente animo linqui et omni ſenſu deſtitui cernimus. Rurſus reſumto tympano, vbi primum modulos audiuit, priſtinas illum vires reſumere, et acrius in choreas inſurgere ſpectabamus. Creditum eſt, quod a vero non abhorret, vim illam veneni virulento morſu et ſanie conceptam, harmonia et vocum concentu per totum corpus diffundi, atque inde fato, neſcio quo, dilabi atque exinaniri. Hactenus Alexander. Quod autem in hac narratione maiorem mirabilitatem facit, illud eſt, quod apud memoratum Balliuium legi, nempe non omnes eodem ſiue modulamine, ſiue inſtrumento delectari, et ad ſaltandum cieri, ſed, quemadmodum tarantulae diverſae magnitudinis ſunt, coloris et virulentiae, ita earum morſibus laeſi a diuerſis ſonorum generibus percelluntur, diuerſisque inſtrumentis, alii ſcilicet fiſtula, alii tympano paruo, cithara, lyra, cymbalo, aliisque. Inde fit, vt quamuis citharoedi tria vel quatuor diuerſa ſonorum genera efformauerint, ab iis tamen tarantulae veneno infecti ne minimum quidem ad ſaltationem moueantur, dum vero nouum aliud efformant, ſibi accommodatius, repente ad illud ſuſpirare, et vehementer ſaltare occipiunt. Hoc vnum tamen verum eſt, virulentia illa laborantes, licet ſuo quisque indigeat ſono, omnes tamen velociſſima ſonorum, modulamina deſiderare, quam ſonorum velocitatem vulgus illud *tarantellam* ſermone vernaculo nuncupat. Cuius rei citharoedi non ignari facile mulierculatum

rum fucum ſolent deprehendere: nam ſi viderint mulierem ad quoscumque ſonorum concentus ſiue veloces, ſiue tardos, et ſimiles alios ſtatim, imo et indiſcriminatim ſaltare, eam non eſſe a tarantula demorſam ſtatuunt; quod deinde ipſa etiam euincitur experientia. Iam vero meditanti mihi, quomodo muſici inſtrumenti pulſatio tam mirificam virulentiae illius curationem praeſtet, eadem ferme ſuccurrit ratio, quam ſuperiori parte adferebamus, videlicet fibras, virulentia imbutas, cieri a ſono, inde motum gigni, virusque in illo motu diſſipari, ac per ſudorem e toto corpore emanentem egeri, ita tamen, vt ſonus ſingulorum aegrotantium fibris ac ſingularum tarantularum veneno attemperatus eſſe debeat, quo motum in eis efficere valeat, atque hinc ſonorum diuerſitatem iuxta aegrotantium diuerſitatem requiri. Quod igitur Theophraſtus Ereſius memoriae prodidit, quarundam viperarum morſibus cantus tibiarum ac fidicinum atque alia organa artis muſicae, modulate adhibita, aptiſſime mederi, ſimili fortaſſe ratione explicari poſſit. Quaedam item inſania, e ſanguinis vitio ortum trahens, in Germania olim frequens fuit, quem morbum a ſancto Vito immiſſum ſuperſtitioſa plebs credebat; bellico autem tympano et fiſtula non tam curabatur, quam efferebatur, adeo, vt miſeri homines eo correpti ſupra naturales vires ſaltando atque exſiliendo per aliquot dies ſine vlla intermiſſione viros etiam fortiſſimos defatigarent, et quamuis viribus laſſi conciderent, linteis tamen in ſublime excuterentur, quod quies ipſa periculoſa eſſet; nec prius hic furor ceſſaret, quam partim labore conſumeretur, partim ardore exhauriretur morbi materies. Sed iam vela contrahamus, et ſumma diſputationis capita perſtringamus. Morbos animi, quos definiuimus, aliquatenus muſica curari poſſe contendimus, dum tamen ad canoras impreſſiones recipiendas animus ſit accommodatus. Sunt enim aliquorum animi ita ab harmonia alieni, vt nullo modulationis ſenſu adficiantur. Quantum ad morbos corporis, vulnera obduci cantionibus vel fabuloſum, vel magicum credimus. Tarantulae virus, aliudque ſimile, vel inſaniam

illam Germanicam huiusmodi eſſe, vt concentu, ſonituque in motum cieatur, et per illum motum abſumatur, atque euaneſcat, facile admittimus.

DISSERTATIO XXVI.

DE DIIS.

SYNOPSIS.

Heſiodi atque Homeri apud inferos poenae. Vterque a multis reprehenſus, quod impie de Diis ſenſerit. Eius carmina multis in locis non citra allegoricum ſenſum accipienda ſunt. Etiam ſacrae paginae multa docent per ambages et aenigmata. Quamquam ethnicorum theologia praua eſt, ac vitioſa; non tamen culpandus Homerus, perinde quaſi primus inuexerit. Aetatis ſuae theologiam expreſſit. Haud raro de diuinitate rectiſſime ſentit. Homeri nulla ſatietas. Hoc de Diis argumentum trifariam diſtributum.

Quod impie ſcripſerint de Diis duo praeclariſſimi totius antiquitatis vates, Homerus atque Heſiodus, poenas eo nomine apud inferos dare grauiſſimas, Laërtius et Suidas teſtatum reliquerunt. Nam Heſiodi anima, columnae aereae arctiſſime adligata, magnos eiulatus emittere, alterius vero a ſerpentibus cincta, ſimilem in modum gemere confingitur. In primis vero, ſi Sexto Empirico credimus, propter indignas fabulas, quas de Diis commenti ſunt, eos perſtrinxit Xenophanes. Ab Athenienſibus vero ob eamdem forte cauſam mulctatum Homerum, tamquam inſanientem, quinquaginta drachmis tradit Heraclides. Heraclitus vero philoſophus Homerum adfirmabat dignum, qui ex certaminibus eiiceretur, et colaphis caederetur. Quid vero Plato? Nonne, cum in libris de legibus teſtatus eſſet, ſe fabulas illas et commenta, vtpote Diis indecora, improbare, in tertio deinde reipublicae libro ex vrbe ſua Homerum abire iubet, et alior-

ſum

ſum ablegat, quamquam honoris cauſſa, vnguentis delibutum, lanaque, Dei inſtar, coronatum? Nonnullos enim alios praetereo tum ex antiquis, tum ex recentioribus, qui acriter ob eam rem vatem noſtrum reprehendunt, minusque beneuolo animo proſequuntur. Profecto, auditores, Homericas Deorum fabulas primo adſpectu intuenti et reprehenſione dignus, quod eas enarrauerit, videatur, et ſupplicio. Cum primum Iliadis librum vobis olim explicandum ſuſcepimus, locum ſtatim ſi meminiſtis, occurrit veritatis huiuſce teſtis admodum luculentus, videlicet quod in iis, quae ad Deos pertinent, Homerus quam audaciſſime ſit verſatus. Cum enim animaduertiſſet Iuno, Iouem promiſiſſe Thetidi ad grauem Achillis, filii ſui, dolorem leuandum, inflictumque animo vulnus ob acceptam ab Agamemnone iniuriam leniendum, ſe facturum, vt Graeci adficerentur clade, donec a pugna abeſſet Achilles, ipſa Iuno, quae acerbiſſimo odio Troianos inſequebatur, et quam citiſſime a Graecis profligatos, euerſosque funditus videre cupiebat, cum Ioue grauiter iurgatur, quod huiuſcemodi rem ſe praeſtiturum Deae pollicitus eſſet, eoque inſolentiae altercando progreditur, vt iratus Iupiter, niſi linguam inhibeat, eiusque voluntati ſe ſubmittat, manus illi, quod etiam alias feciſſe commemorat, ſeſe iniecturum comminetur. Quid indignius, quid turpius, exclamant iſti, de Diis excogitari, fingique vmquam potuit?

Quoniam igitur ſuperioribus diſputationibus, cum multa alia, quae in Homero reprehendebantur, tum praeſertim heroas, defendimus, multaque eſſe oſtendimus, quae legentes offendant, vel quod antiquitatis ſint ignari, vel quod interpretes perperam verterint, planeque ridiculum atque indiſertum per ſummam iniuriam tam inſignem vatem effecerint; ſentio, eo iam me deueniſſe, vbi ab iis criminationibus vindicare oporteat, quas in eum plerique congerunt, quod Deos paene ludibrio habuerit, et Deorum fabulas, quae piorum aures grauiter laedant, homo impius ſuis carminibus ingeſſerit. Equidem cum Heraclide Pontico fateor, auditores, laeſae contemtaeque deorum

rum maieſtatis reum fuiſſe Homerum, prorſusque impium, ſi non aliud dixit, aliud ſenſit, ſcriptaque ipſius in vtraque poëſi ſacrilega eſſe, et impugnante Deos vecordia paſſim fuerere. Quamobrem ſi quis citra contemplationem et allegoricum ſenſum eius carmina accipiat, non alius vtique fuerit Homerus, quam Salmoneus et Tantalus, intemperantia linguae, qui morbus eſt turpiſſimus, laborans. Atqui non ita res ſeſe habet. Nam Homeri locis bene multis allegoria medendum cenſuerunt praeter Heraclidem, quem modo citabamus, et Plotinus, philoſophus ſummus, et Porphyrius, et Proclus, acutiſſimi homines, et Macrobius, et Euſtathius, et Stoici omnes, teſte Cicerone de natura Deorum. Multique praeterea ſapientes viri hanc ſententiam adprobarunt, vt prudenter non amplius, tamquam inepta, reiici poſſe videatur. Allegoria ſiquidem poëtae veritatem ſaepe abdere rati ſunt, ne vulgi oculis conſpecta vileſceret, ob eamque cauſſam quaedam fabulae, quae impiae extimo in cortice adpareant, ob ſignificationem intus latentem, Deorum maieſtatem minime dedecent, quod his non eorum vitia, ſed naturae opera exprimantur. Quo fit, vt huiusmodi fabulis et imperiti gaudeant, et ſapientes: nam imperitos fabuloſa narratio, ſapientes fabulis incluſa veritas voluptate adficit. Annon et ſacrae literae ſermonis inuolucris vſae ſunt, et videntur hoc orationis genere abundare? Quot, et quanta, Dii boni! per ambages et aenigmata paſſim docent? Sane Ioſephus opus promiſerat, ſi longiorem ſibi Deus conceſſiſſet aetatem, quo Moſaicorum librorum non infrequentes allegorias erat explanaturus *Antiquit. Iud. lib. I. in proëm.* Atque huc reſpicere viſus eſt Dantes noſter *Par. cap. 4.* poëta et ipſe maximus, vbi ſacras paginas ait humanae imbecillitati orationem ſaepe accommodare, dumque manus pedesque Deo attribuunt, et Gabrielem, Michaëlem, illumque alium, qui ſanitati aegrum Tobiam reſtituit, humano vultu ſpectantes exhibent, aliud intelligere, atque innuere, velle. Enimuero philoſophi quoque, quos nuda, nullisque coloribus fucata veritas magis decet, ab hoc docendi genere quandoque

que non abhorruerunt, et vel ipſe Plato, qui Homerum reprehendit, allegorias, fabulasque, vbi etiam de Diis egit, eloquenter eſt perſecutus, vt peculiari diſſertatione planum fecimus. Quanto igitur magis poëtis id conueniat, quibus philoſophari non niſi occulte, et quaſi aliud agentibus, licet? Hinc igitur adparebit, cur Numinibus tribuant adfectiones ab illa diuina, immortalique natura abhorrentes; cur facta fingant Deorum, quae turpe ſit hominibus, non omnino perditis, attribuere. Non enim haec numinum peccata, ſed naturae adfectiones, non adulteria, contentiones, irae, libidines, ſed elementorum pugnae, rerum mixtura, deſideria naturae debent intelligi. Quamquam vero hiſce diuinandis allegoriis nimis intemperanter quidam indulgeant, nullumque finem faciant eas ad faſtidium lectoribus obtrudendi, nonnullasque excogitaſſe videantur, quae imaginariae prorſus ſint, futiles ac violenter extortae, adſunt tamen aliae plurimae, quae tam manifeſtis indiciis ſeſe produnt, vt, niſi cum peruicacia, refelli non poſſint. Haſce igitur conſiderandas vobis offeremus, auditores, vbi opportune atque ordine ſuis in locis ſingulas excutiemus: in praeſentia vero ſatis eſto, pauca haec generatim indicaſſe.

Illud autem palam omnibus factum volo, defendenti mihi Homerum in iis, quae de Diis enarrauit, haud quaquam propoſitum eſſe, vt ethnicorum Theologiam excuſem, aut protegam, quam prauam eſſe, ac vitioſam vltro damus, et fatemur, vt proinde recte et laudabiliter fecerint tot ſapientiſſimi viri, qui ad eam refutandam ſtrenue operam ſuam contulerunt, nimirum Athanaſius contra gentes, Gregorius Nazianzenus duabus acerrimis in Imperatorem Iulianum actionibus, Euſebius in eruditiſſimis praeparationis euangelicae libris, Arnobius ſimiliter aduerſus gentes, Lactantius de vero cultu, caeterique quam plurimi. Itaque falſam, inanem, ſuperſtitioſam, criminoſam ethnicorum Theologiam nos quoque damnamus et improbamus quam maxime. Verumtamen contendimus, reprehendendum Homerum non eſſe, perinde quaſi primus ipſe fabellas Deorum, quas commemorat,

effinxe-

effinxerit; quod certe maxime abhorret a vero. Quapropter Ciceroni, qui Homerum habet veluti earum fabularum auctorem, nequaquam adſentimur. Inquit enim *lib. I. Tuſcul. Fingebat haec Homerus et humana transtulit ad Deos, diuina mallem ad nos.* Non eas fabulas primus Homerus conſinxit, confictas reperit ante ſe. De Diis ſiquidem ea in medium attulit, quae antea Orpheus et Muſaeus euulgauerant, quaeque euulgauit Heſiodus in theogonia, Homero ipſi ferme coaeuus; ita, vt, quemadmodum teſtatus eſt Ariſtoteles, opiniones, quae tunc apud omnes vigebant, doctrinamque vulgo acceptam, vno verbo, aetatis ſuae theologiam ſuis in carminibus expreſſerit. Neque vero aliter facere ipſi licuit, dum gentis ſuae laudem et comprobationem aucupabatur. Nihilominus, vbi meliorem mentis ſuae ductum ſecutus eſt, nequaquam philoſophis prudentioribus concedit, de divinitate diſſerens, et quandoque, paene dixerim, vt chriſtianus theologus, de diuino numine recte ſentit. Illum ſane ethnicorum errorum tenebrae obuoluebant, ſed has transuerſas tenebras fulgurans idemtidem veritatis radius permeabat, eiusque mentem veri numinis luce colluſtrabat. Neque enim exiſtimandum eſt, qua erat ingenii perſpicacia ac dexteritate, illius theologiae ſordes et dedecora non agnouiſſe, et, vt prorſus abſurdam, ſecreto mentis iudicio eam minime reſpuiſſe, aſpernatumque eſſe; ſed quoniam poëtam agebat, qui eo maxime collineat, vt lectorem vbique oblectatione demulceat, imagines illas et fabellas adhibuit, quae vulgo praeſertim arriderent, voluptatique eſſent. Quia vero ſimul etiam docendi finis illi propoſitus erat, veriſimile eſt, vtile dulci commiſcendo, non contemnenda monita ſub illis fabulis abdidiſſe. Iniquior autem ſis, qui a poëtis exigas, vt res aperte, et ſine vllo velamine tradant, quemadmodum legumlatores, philoſophi atque oratores: idem enim erit, ac poëtam e gradu ſuo deturbare, et ad aliam agendam perſonam ridicule impellere. Iam vero, quae leuiter ac ſtrictim de Diis Homericis modo attigimus, aliis atque aliis diſputationibus fuſius deinde explicabimus, resque ſingu-

ſingulas, quam poterimus, maxima ordinis perſpicuitate digeremus. Dabimus enim tamquam ſub vnum conſpectum, quidquid in multis variisque in locis de numine ſparſim diſſeruit. Veſtris enim commodis inſeruiens, ornatiſſimi adoleſcentes, ea omnia transacti anni auctumnalibus feriis ex Iliade ſtudioſe depromſi:

Romani belli ſcriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romae, Praeneſte relegi,

ad amicum ſcribit Horatius *lib. I. ep. 2.* Sed ego contra, adoleſcentes, dum vos ruris otio fruebamini, commoratus in vrbe, domique abditus, a capite ad calcem Iliadem reuolui. Etſi autem non multum intercesſerat temporis, ex quo iterum ſimiliter euolueram, tantam nihilominus cepi voluptatem, vt veſtra ruris otia ac delicias vobis non inuiderem. Habet enim hoc peculiare Homeri poëſis, vt vel centies, vel millies repetita placeat, ne dum dicam decies. Nam quemadmodum ſolis luce numquam explemur, ſed ſuauiſſimus eius conſpectus perenniter nos recreat, ſuique faſtidium numquam gignit; ſic diuina Homeri carmina, vbi ſemel quis deguſtauerit, iterum ac ſaepius auidius repetuntur, numquaque dulcedine ſua exſaturant, ſed nouas ſemper delicias nouamque adferunt voluptatem, vt eorum amor et deſiderium ad terminum vsque vitae protrahatur, viresque acquirat eundo. Πλησμονὴ ἁπάντων, *omnium ſatietas*, tamquam e tripode, ait Iſocrates *orat. ad Demon.* Sed ne mendacii effatum illud coarguatur, Homerum excipe, cuius nulla vmquam ſatietas eſt. Quam bene Homeri carminibus, velut aquis e puriſſimo ſplendidiſſimoque fonte manantibus, Ouidii verſiculum illum accommodes *lib. I. Faſt.*

Quo plus ſunt potae, plus ſitiuntur aquae.

Eia agite, optimi iuuenes, ad has aquas, omni melle dulciores, et vel ipſi Deorum nectari conferendas, properate. Ad eas linguae graecae praeſidio hauriendas vos prouocamus atque inuitamus. Diuturno atque improbo labore ſatagite, vt, non extremis tantummodo labris madidi

didi, ſed poculis capacioribus proluti, poſſitis et ipſi talium deliciarum intimo ſenſu adfici; eaque voluptate, qua nulla in literis plenior et iucundior, large perfundi. Certo enim ſcio, me tunc vos meorum dictorum diſertiſſimos teſtes habiturum.

Totum vero de Diis argumentum hocce trifariam partiri vtile ducimus. Quoties enim de Diis ſermonem habet Homerus, vel de rebus naturalibus ſub allegoriarum ambagibus diſſerit, vel documenta ad mores pertinentia tradit, vel ſerio theologum agit. Ad haec tria capita, quidquid dicturi ſumus, facile redigemus, et publicam hanc materiem, eo, quem propoſuimus, ordine adhuc a nemine pertractatam, niſi quod ita pertractari poſſe animaduertit immortalis Daceria, priuati iuris noſtri facere enitemur. Quamquam enim innumeros accepimus, qui Homerum prolixis commentariis, notisque doctiſſimis illuſtrauerint, quod tamen campus iſte fertiliſſimus tam late pateat, omnigenaeque doctrinae meſſem copioſiſſimam ferat, mirandum non eſt, non totam omnino a maioribus eſſe occupatam, et multa adhuc eſſe, quae eorum induſtriam effugerint, vt proinde liceat etiam poſteris, in ſemper florentem Homeri poeſin nouas parere lucubrationes. Multum igitur reſtat adhuc operis, quemadmodum aiebat Seneca, multumque reſtabit, nec vlli nato poſt mille ſecula praecludetur occaſio aliquid adiiciendi. Vt autem, quae ſumus polliciti, rite atque vtiliter exſequamur, patientiam hanc veſtram humanitatemque ſingularem vt nobis etiam in poſterum exhibere non deſiſtatis, enixe petimus atque obſecramus, ornatiſſimi auditores. Hac enim et diligentiam noſtram non parum exſtimulari, laboremque leuari probe ſentimus; vt acceptum referri profecto debeat non magis ſolertiae noſtrae, quam veſtro in nos ſtudio, ſi quid vmquam boni in hiſce Homericis diſputationibus tenuitas ingenii noſtri vel hactenus edidit, vel deinceps eſt editura.

DISSER-

DISSERTATIO XXVII.

DE PHYSICIS ALLEGORIIS IN DEORVM FABVLIS ABDITIS.

SYNOPSIS.

Quid ſentiant Metrodorus Lampſacenus et Ioannes Spondanus de Homericis allegoriis. De Iunone, duas incudes pedibus aptas geſtante, et e nubibus dependente, aureo vinculo manibus reuinctis. De tribus Diis fratribus, orbis imperium, trifariam diſpertitum, accipientibus. De Diis praeliantibus, qui bini bini manus conſerere a poëta confinguntur. De Diis omnibus, ad concilium in Iouis aedibus habitum conuenientibus, praeter vnum Oceanum. De Nocte Deorum vetuſtiſſima. De Vulcani aduerſus Scamandrum pugna, Iunone ventos et procellas excitante. De Iouis gaudio, pugnantibus inuicem Diis. De Plutonis trepidatione, furente bello. De Achillis equo loquente. De Furiis.

Contrarias plane ſententias, et aduerſis frontibus pugnantes, defendiſſe comperimus apud Cl. Fabricium *Biblioth. graec. Tom. I. pag. 349.* Metrodorum Lampſacenum et Ioannem Spondanum in Homeri commentariis paſſim, quorum alter omnia apud Homerum ad allegorias detorquet, eiusque generis allegorias, quibus naturae res, quas Graeci φυσικὰς adpellant, latenter indicentur, alter vero adeo allegorias in eo nullas agnoſcit, vt illos irrideat, qui eas adſtruunt et confingunt. Liceatne medium inter duos venire, et, quod ſentio, apud vos, auditores ornatiſſimi, libere loqui?

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

Inſanire quidem Lampſacenum, nemini dubium eſt, qui recte ſentiat. Quis enim inducat in animum, totam Homeri poëſin perpetuam eſſe rerum phyſicarum allegoriam? Quanto, Dii boni! ingenii labore, quantaque vi opus eſt, vt ad vnum illum allegoricum tenorem totus Home-

Homerus, vel reluctans, adigatur? Spondanus item et ipſe deſipit, dum, vt ſupra ceteros ſapere videatur, ab Homero allegorias omnes amandare inſtituit. Nonnullae enim allegoriae ita manifeſtis indiciis ſeſe produnt, vt, qui eas adeſſe deneget, perinde faciat, ac ſi deneget, clarere ſolem. Nobis igitur media inſiſtendum eſſe via duximus, vt neque totum allegoriis ſcatere Homerum cum Lampſaceno adfirmemus, neque eas omnino cum Spondano contemnamus. Eas nimirum allegorias recipimus, quae ſapientum virorum iudicio comprobantur; e quibus in praeſentia eas ſolummodo ſeligimus, quae pertinent ad Deos. Cum enim argumentum de Diis complurium diſputationum conſertione pertractandum ſuſcepimus, ſi ad alias, quam de Diis, allegorias perpendendas euageremur, cancellos, quos ipſi nobis circumdedimus, egredi videremur. Hodierno autem ſermone nonnullas explanabimus, quibus naturae opera deſignantur.

Et, ne longioribus verbis rem protrahamus, ſtatim initio conſiderandum id vobis proponimus, auditores, quod de Iunone meminit vates. Grauiter enim ferens Iupiter, quod ſibi fucum feciſſet Iuno, ira excanduit, plenisque minarum verbis ſic illam adfatur *Iliad. lib. XV.* „Callida et fraudulenta Dea, quod plane voluiſti, malis „technis adſecuta es, nimirum vt Hectorem extra pugnam „faceres, eiusque copias in fugam verteres. Vix autem „mihi tempero, quin meritas pernicioſi conſilii huius, „factique deteſtabilis, a te poenas exigam. An tibi exci„dit, te alias duabus incudibus, ad pedes aptis, manibus„que aureo vinculo, quod abrumpi nequibat, reuinctis, „diu ex aethere nubibusque ſublimem dependiſſe, Deos„que, te circumſtantes, vt abſolutam dimitterent, cona„tos eſſe, neque tamen potuiſſe?" Ecquam igitur ſub hac fabula ſignificationem, quae nos erudiret, latere voluiſſe Homerus credendus eſt, auditores? Aëris naturam indicatam ab eo eſſe, cum ſapientiſſimo interprete, Euſtathio, putamus. Itaque Iuno aër eſt: duas habet pedibus adpenſas incudes, duo videlicet elementa, terram et

aquam:

aquam: aurea vincula, manus vincientia, aether eſt, atque ignis in ſuperiori regione ex aliquorum ſententia, tamquam in ſede ſibi naturali, conquieſcens. Illa autem craſſiora elementa duo incudum imago quam optime repraeſentat, vt oſtendatur, in hiſce elementis artes ferme atque opera ſua homines exercere. Veriſimile quidem eſt, aliquod Iunonis ſimulacrum exſtitiſſe, quod eas incudes pedibus haberet adpenſas, manibus vinculo religatis. Euſtathius autem meminit, a quibusdam ſe accepiſſe geographis, duo adhuc ſe viuo ingentia ſaxa multa cum religione Troiae adſeruari, quae gentes illae ipſamet eſſe, quae Iunonis pedibus olim fuerant adpenſa, ſtulte exiſtimabant.

Neque vero huic abſimilis eſt altera de tribus fratribus allegorica Fabula, Ioue, Neptuno ac Plutone, Saturni ex Rhea filiis *Iliad. lib. XV.* inter quos orbis imperium trifariam eſt diſpertitum, ita vt Ioui coelum, Neptuno maria, inferi Plutoni contigerint, Olympum vero ac terras haberent communes. Docet enim haec fabula, tres illos Deos tria eſſe elementa, videlicet aërem, aquam et ignem, eaque tum in Olympo, hoc eſt, in media aëris regione, tum in terris commixta verſari.

Dii autem, duas in partes ſecreti, ſtantesque alteri a Graecis, a Troianis alteri, bini bini ſingulari certamine pugnant *Iliad. lib. XXI.* aduerſus Neptunum Apollo, Minerua aduerſus Martem, ſapientia nimirum aduerſus temeritatem, Diana aduerſus Iunonem, caſtitas ſcilicet adverſus nuptias. Quas allegorias procul dubio reſpexiſſe vatem argumento eſt, quod in eam partium diuiſionem Pluto, Ceres et Bacchus haudquaquam venerint. Pluto ſiquidem cum hominum internecione quam maxime delectetur et gaudeat, neutri partium ſuppetias ferre debuit. Sophocles de eo teſtatur, hominum gemitibus et lacrymis diteſcere, et numquam dicere, *ſatis eſt;* quod cum eo mire congruit, quod de inferno habet Salomon *Proverb. XXX, 16.* eſſe ſcilicet inſaturabilem. Bacchus item, Ceresque ab hocce bello abſiſtunt, quod ipſi ho-

mines alant, bellum autem deſtruat, agrisque vaſtitatem inferat.

Quid vero eſt ad Deorum concilium, in Iouis aedibus habitum, vbi de Troiani belli exitu agitur, Deos omnes conuenire, praeter vnum Oceanum *Iliad. lib. XX.* niſi quod aquae elementum altius nequit naturaliter adſcendere quam ipſi ab auctore naturae ſedes eſt adſignata? Vbi autem Noctem vetuſtiſſimam Deam adpellat, nonne veluti digito Chaos monſtrare videtur? Quid memorem Vulcani pugnam aduerſus Scamandrum, Iunonemque, ventos ac procellas ſuſcitantem *Iliad. lib. XXI.* vt Vulcanus igne ſuo flumen ocyus incendat? Quis enim non videat, ignem cum aqua luctantem, fabula deſcribi? Ventos autem, et tempeſtatem rite facit Iunonem cientem: aëris ſiquidem Dea eſt Iuno. Animaduertimus enim, apud Homerum modo Ioue, modo Iouis ſorore et coniuge, Iunone, aërem ſignificari. Quid referam ibidem Iouis gaudium, pugnantibus inuicem Diis? Gaudet ſcilicet elementorum pugna, ex qua vniuerſae naturae apta compoſitio, mirificusque conſenſus exſurgit. Sed, vt poëſin ſuam animaret, faceretque viuidiorem, ea omnia ad naturam ſpectantia ſpirantibus imaginibus, iisdemque ſpecioſiſſimis docere voluit. In quo ſane ſumma poëtae laus, ſummumque ingenium ſitum eſt: eo enim ſpiritu deſtituta, poëſis minime percellit animos, nulloque voluptatis ſenſu adficit, vt proinde iis, qui frigida atque elanguentia poëmata ſiue legunt, ſiue audiunt, oſcitari prae faſtidio contingat, et dormitare. Quo vero viuidiore colore exprimi potuit debacchantium terrae motuum vis, qui intra terrae viſcera in ſolito tumultu depugnantibus elementis excitantur, quam cum Plutonem narrat, ingenti pugnae fragore, horridoque concurſu trepidantem et conſternatum maxime timuiſſe, Virgilii verbis dicam, *Aeneid. lib. VIII.* qui hunc locum, quemadmodum cetera quaeque, elegantiſſime vertit.

— — ne qua penitus vi terra dehiſcens
Infernas reſeret ſedes, et regna recludat

Pallida,

Pallida, Dis inuiſa, ſuperque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immiſſo lumine manes.

Profecto tanta eſt terrae motus vis, tam acris, tam vehemens, tam furioſa, vt vaſtos repente hiatus, immenſasque voragines interdum aperiat, terrasque ex imis ſedibus paene conuellere videatur.

Omnium autem abſurdiſſima, maximeque ridicula Achillis equi fabula, more hominum loquentis, viſa eſt iis, qni penitioris Homericae ſapientiae receſſus peruadere non valent. Verum id non Homero vitio vertendum eſt, ſi a quibusdam non intelligitur, ſed ipſorummet inſcitiae imputandum, qui illum non intelligunt. Rem igitur ad eos erudiendos paullo accuratius expendamus. Achillis equus, cui nomen Xanthus, interfecto Patroclo, quem ille curru vehebat, grauiter a domino increpatus, quod non ſeruaſſet incolumem, Iunonis ope, quae vocem ei tribuit, ſonis diſtinctam, *Iliad. lib. XIX.* erumpit in verba, et a ſe ipſo obiectum crimen amolitur: mox vero Furiae, non autem Iuno, quo minus amplius loquatur, inhibent, eique, vt Plautino verbo vtar, vocem occludunt. Ac primum quidem hominum mores, vocemque non ſolum brutis animantibus, ſed rebus etiam, ſenſu carentibus, adfingere cum poëtae, tum oratores ipſi ſolemne habent. Cuius rei vel ipſae diuinae literae praebent exempla, vt verbi gratia lepidiſſimum illum cardui cedrique apologum *4 Reg. XIV.* illumque alium, non minus elegantem, de arboribus, regem ſibi poſtulantibus *Iudic. IX.* Deinde fama vulgo accepta, omniumque ſermone celebrata, Phryxi arietem olim eſſe locutum ferebat. Praeterea Achillis equi erant genere immortales, vt idcirco non ſine decoro mente intelligentiaque praeditos vates fingat. Poſtremo probabile ducimus, veram Aſinae Balaami hiſtoriam *Num. XXII.* quae aliquando diuino miraculo locuta erat, Homerum non latuiſſe, ad eiusque ſimilitudinem fabulam hanc commentum eſſe. Eritne igitur ſannis excipienda, et ineptis futilibusque anicularum fabellis accenſenda, an potius, vt ſapientis inge-

nii nobile inuentum, demiranda? Sed quod ad rem noſtram facit, argumentumque, quod hodierno die pertractamus, confirmat, mecum perpendite, auditores, equo illi facultatem quidem loquendi ab Iunone tributam, at non item mox ab ea ereptam eſſe. Quomodo enim Iuno, quae, vtpote Dea aëris, vocem creat, vocem deſtrueret? Deſtruant ſane, et in faucibus opprimant Furiae: quandoquidem tam funeſta res eſt, vocis exſtinctio, vt non, niſi Furias, deceat, tetrum miniſterium illud obire. Accedit ad haec, quod iuxta ethnicorum theologiam quidquid aduerſus naturam fieret, eiusque firmatas leges offenderet, illud e medio tollere, atque ex hominum ſocietate eliminare, pertineret ad Furias. Quapropter cum nihil ſceleſtius naturam peruertat et peſſumdet, quam mors, parentibus a liberis illata, (quod facinus omnium eſt immaniſſimum ac teterrimum; omnia enim diuina atque humana iura perfringit), eos, qui patrarint, tradiderunt poëtae a Furiis flagello, taedisque inſtructis, exagitari, quae nusquam illos conſiſtere patiantur, eo nempe Deorum conſilio, vt caeteri omnes, a tanto ſcelere deterreantur. Quamquam, vt recte interpretatur Cicero *Orat. pro S. Roſc. Amer.* Furiarum nomine ſincera ſignificatione furor ille intelligendus eſt, qui parricidas conſequitur, inteſtinusque vindex iuſto plectit ſupplicio. „Nolite enim putare, inquit, quemadmodum in fabulis ſaepe „numero videtis, eos, qui aliquid impie ſcelerateque com„miſerint, agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus. „Sua quemque fraus, et ſuus terror maxime vexat, ſuum „quemque ſcelus agitat, amentiaque adficit, ſuae malae „cogitationes, conſcientiaeque animi terrent. Hae ſunt „impiis adſiduae domeſticaeque Furiae, quae dies no„ctesque parentum poenas a conſceleratiſſimis filiis repe„tunt."

Atque haec ſufficere arbitramur, vt planum faceremus, quod diſputatione noſtra oſtendendum ſuſceperamus, multa, quae de Diis tradit Homerus, prima ſane facie abſurda atque indecora videri: pulcherrimas tamen res, ad naturam ſpectantes, iis, qui ſolerti mentis acie il-

luc

luc introſpicere valent, exhibere, adeo, vt omne prorſus tulerit punctum, laudemque omnem cumulatiſſime expleuerit, diuinarum fabularum lenociniis lectorem delectando, ſimulque praeceptis, tum ad naturam pertinentibus, quod hodie docuimus, tum ad mores, quod alio ſermone docebimus, formando.

DISSERTATIO XXVIII.

DE ALLEGORIIS AD MORES PERTINENTIBVS SVB DEORVM FABVLIS CONTENTIS.

SYNOPSIS.

Finis poetarum fabulis prodeſſe, et monitis oblectare. Homerus melius mores format, quam qui praecepta tradiderunt ex inſtituto. In Iunone ſaepius iurgante vxoris rixoſae ac proteruae imaginem viuam exhibet. Quantae ſit virtutis, vxorem difficilem ferre. Laus Socratis. Eiusdem Iunonis fraudibus, dum fucum Ioui facit, monet vates, mulieri nequaquam fidendum. Confirmatus Salomonis auctoritate. De Dea, Ate, ac Vulcano, e coelo deturbatis. Fratrum diſſidia in Neptuno, qui Ioui, natu maximo, parere detrectat, exprimuntur. Diomedes vulnus Veneri et Marti infert, hoc eſt, virtus voluptatem ac temeritatem vincit. Dii virtutum ac vitiorum. Themis Deorum concilium conuocat, ad Graecorum victoriam ſanciendam. Non Homerus inuexit Deorum fabulas, ſed delirae ſuperſtitioni ſua carmina accommodauit. Gratiae Deo agendae quam maximae, quod veritatis luce nos colluſtrauit. Eius lucis ſcintilla aliqua Homero fulgurauit.

Centuriae ſeniorum agitant expertia frugis,
Celſi praetereunt auſtera poëmata Rhamnes,

bene ac ſolerter inquit Horatius in arte, hoc eſt, aetate grandes ac ſenes poëmata inutilia, et ad ſolam voluptatem comparata aſpernantur, ac reſpuunt: contra vero iuuenes, quos Rhamnes a Romulo adpellat, feroces atque

 elati

elati neque attente, neque libenter poëmata, quantumuis frugifera, audiunt, quae nulla voluptate ſunt temperata. Cuius veriſſimi praecepti ſi meminerimus, auditores, non eſt, cur miremur, lepidiſſimis fabellis, mirabilibusque inventis carmina ſua conſperſiſſe praeſtantiſſimos vates. Intelligebant ſiquidem, id ſibi praecipuo ſtudio conandum eſſe, vt ſimul praeclaris monitis prodeſſent ſimulque gratis illecebris oblectarent. Si enim nude et ieiune, quemadmodum philoſophi, monita traderent, ea plerosque fore perituros; ſin autem ſolis narrandis fabulis operam impenderent, nec ſalutaribus praeceptis humanam vitam iuuarent, illas pariter neglecturos non paucos. Hinc factum eſt, quemadmodum alibi etiam ſaepe animaduertimus, confictarum rerum dulcedinem praeceptorum vtilitati eos plerumque admiſcuiſſe. Poëmata igitur Homeri non minus profecto, quam Porticus, Academia ac Lycaeum mores formant, a vitiis deterrent, et ad virtutem inflammant, nulloque non loco ad omnem honeſtatem acerrimo ſunt incitamento. Quapropter ſagaciſſimus rerum aeſtimator, Horatius, Homerum agnoſcit philoſophis ipſis, qui morum praecepta ex inſtituto tradiderunt, longe meliorem *lib. I. ep. 2,*

Qui, quid ſit pulcrum, quid dulce, quid vtile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippo et Crantore dicit.

Verum, vt ea praecepta facilius animis ingerat, iucundo fabularum delinimento mitigat, ea licentia vſus, quae, vt idem Horatius monet, communi hominum ſuffragio pictoribus atque poëtis permiſſa eſt. Et ſane in iis ipſis Deorum fabulis, vbi impietatis arceſſitur, non inutiliter morum documenta abdere viſus eſt. Quamobrem ſi altera diſputatione poëtam φυσικὸν vobis oſtendimus, quod ſcilicet, vbi quaedam abſurda Diis videtur attribuere, de naturae operibus diſſerit; hodierno item ſermone poëtam ἠθικὸν demonſtrabimus, qui numinum fabellis ſpecie quidem abſurdis, morum doctrinam ſapienter pertractat.

Quod vt exſequamur, initium inde ducimus, vnde harum diſputationum ordo de Diis Homericis effluxit, ab Iunone,

Iunone, inquam, quae circa prioris libri finem grauiter cum Ioue iurgatur, quod etiam iterum ſaepiusque facientem Homerus inducit, ita, vt Iouem in neceſſitatem vrgeat, minus eam coërcendi, ſuppliciisque mulctandi. Verum quis non agnoſcat vatem in Iunone vxoris rixoſae ac proteruae imaginem viuam exhibere? Neque enim, auditores, malum hocce in obſcuris familiis tantummodo, popellique fece reperitur: iurgia nimirum vxorum virorumque ipſas etiam nobilium domos infeſtat, in ipſis principum regumque aulis interdum debacchatur: quod ſignificatum poëta voluit Iunonis cum Ioue frequentibus iurgiis. Neque miremini, auditores, Iouem, hoc eſt, magnum aliquem et genere et dignitate virum in moleſtam vxorem grauiter excandeſcere, eiusque rixis ferendis eſſe imparem. Tam eximiae ſiquidem, tamque incredibilis virtutis eſt vxorem procacem ferre, vt vix quemquam vel ex iis, qui moderatiſſimi audiunt, pacatiſſimumque animum praeferunt, mihi oſtendatis tanta virtute pollentem, tolerantiaque ob vxoris offenſiones non excidentem. Socrates ſane Xanthippen, vxorem iracundam, moroſam, difficilem, contentioſam patienter tulit; verum fuit, qui id putauit cum laboribus Herculis comparandum, et quid maius ipſo Hercule, ac glorioſius tantum virum depraedicandum. Iulianus quidem Imperator, ad Themiſtium ſcribens, Alexandro Magno maiora Socratem geſſiſſe ait, vxorem ferendo. Cato vero maior, Plutarcho teſte, in eius vita, hoc vnum in illo admiratus eſt, cum innumera alia maxime mirabilia ſuppeterent, quod cum vxore difficillima, et ſtupidis liberis comiter vixiſſet. Elegantem apud Libanium declamationem me legere memini mariti, ab Senatu poſtulantis, vt liceret ſibi cicutam bibere, atque ab vxoris moleſtiis, quas vel ipſa morte arbitrabatur acerbiores, tandem aliquando eripi. Quam vero difficulter, Dii boni! in vxorem incidas, quae viro numquam moleſtiam faceſſat, ad iracundiam non prouocet, et ad coniugii poenitentiam non adigat? Femina nihil eſſe peſtilentius ferme adagio fertur:

Femina nulla bona eſt, vel ſi bona contigit vlla,
Neſcio, quo pacto, res malefacta bona eſt.

Quos plane verſiculos non minus vere, quam eleganter in mulierem genus vulgo iactatos accepimus. Non illepide quidam, cur paruam vxorem duceret, interrogantibus, *vt ex eo*, inquit, *quod malum eſt, minus habeam.* Et ſane vxorem non leue hominis damnum malumque complures adpellarunt philoſophi; malum autem humano generi conſeruando, ſubolique ſuſcipiendae requiſitum et neceſſarium.

Sed repetamus Iunonem, quae qua erat vafritia, dolos fere meretricios inſtruxit Ioui, fecitque fucum: namque vbi formam artificio coluiſſet, mundoque muliebri ſe paraſſet, Veneris inſuper cingulum, quod acre erat amoris incitamentum, per fraudem accepiſſet, alio ſe pergere ſimulans, ad componendas nimirum Oceani, quas cum vxore gerebat, ſimultates, Iouem incautum latenti lenocinio in voluptatem pellexit, ita, vt cum ea in monte Ida, vbi ad Troianum bellum ſpectandum ſedebat, concubuerit, ſomnoque correptus, qui finis erat inſidiarum, pugnae oculos tantiſper non aduertit, quam conſilio ſuo regebat, victoriamque, ad quam partem mallet, inclinabat *Iliad. lib. XIV.* Vah! quam belle in facto Iunonis depinxit feminarum improbas fraudes, quae dum amorem prae ſe ferunt, illecebriſque viri mentem demulcent, inſidias ſaepe ſtruunt, exitiumque meditantur. Recte igitur, vt peſtem hanc caueamus, poëta admonet, ne ſub roſa et viola abditis laqueis implicemur. Nam mulieris fronti vix vlla fides, fictoque colori nequaquam credendum. Sed de hac re vel ipſum Salomonem Homero licet ſapentiſſimo longe ſapientiorem, audite, qui periculo ſuo facit vos cautos, ornatiſſimi iuuenes: *Ne attendas*, inquit, *fallaciae mulieris. Fauus enim deſtillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur eius. Nouiſſima autem illius amara, quaſi abſynthium, et acuta, quaſi gladius biceps. Pedes eius deſcendunt in mortem, et ad inferos greſſus illius penetrant. Prouerb. V, 2.*

Alia

Alio item loco *Iliad. lib. XIX.* Aten, ſiue Deam Laeſionem Homerus memorat, quae Iunonis dolo laedit Iovem: quod ad idem caput ſpectat, quam ſcilicet fraudulentum ſit, ac timendum mulierem genus. Aten vero Iupiter mox digno adfecit ſupplicio, et e coelo praecipitem in terras egit; quod idem Vulcano contigiſſe narratur, in eaque ruina claudum vtrimque factum eſſe. Quam certe fabulam ad horrendum illum perduellium angelorum e coelo caſum, qui ſacris literis perhibetur, referri nemini dubium eſſe arbitramur. Atque haec interpretatio quamquam ad argumentum hodiernae diſputationis non faciat, et ad theologicarum diſſertationum claſſem, quae hanc proxime ſuccedent, potius pertineat; quia tamen cum Iunonis perfidia, quam modo explanauimus, magnam habet coniunctionem, eam hic adferre placuit, ne rurſus de eadem re ſermo nobis ſit inſtituendus. Cum autem in magnis optimatum, regumque ipſorum familiis lites etiam et diſſidia fratrum non raro exoriantur, minoresque natu maximo, qui ſupremo iure ſiue rem familiarem, ſiue regnum adminiſtrat, aegre ſe ſubdant, frenumque mordeant, turbasque cieant, id Homerus in Neptuno exhibet *Iliad. lib. XV.* qui parere detrectat, paremque ſibi honorem temere ſumit, quod eodem genere, eodemque patre progenitus ſit. In Diis enim ſaepenumero, vt notauit Lactantius *de falſa relig. lib. I. cap. 5. humana potius, quam diuina conſcripſit.* Sed quonam mores praecepto inſtruere dicendus eſt, cum Diomedem facit Veneri ac Marti vulnus inferentem? Pulcre docet, auditores, virtute, quae per Diomedem ſignificatur, voluptatem et temeritatem, quae in Venere et Marte exprimuntur, facile ſuperari. Neque abſurdum exiſtimate, ſi vitia per Deos exhibet, quandoquidem ethnicorum theologia Deos habebat virtutum ac vitiorum praeſides. Hinc eſt vitiorum Deos fere Troianis opitulari, qui videlicet molliori quopiam vitae genere diffluebant: quod cum argumentis aliis demonſtrari poſſet, tum praeſertim teterrimo Paridis ſcelere, qui hoſpitis Menelai Helenam vxorem perfidioſe abduxit, prauoque ſenatus Troiani conſi-

lio, qui tam iniquum et deteſtabile facinus protegendum duxit, diutinoque bello defendendum. Quamobrem vt Troia caderet, Graecisque diruenda traderetur, numinum omnium aequitati conſonum fuit. Quocirca cum Deorum concilium vltimo fuit cogendum, vt Graecorum victoria eorum ſuffragiis decerneretur, eius conuocandi miniſterium nequaquam vel Iridi, vel Mercurio ad quos de more ſpectabat, ſapientiſſimus vates committit, ſed Themidi, vt plane ſignificaret illud Deorum de Graecorum victoria decretum ex mera iuſtitia profluere. Diem extraham, auditores, ſi velim perſequi ſingula recenſendo. Veruntamen ſatis eſſe putamus, difficiliora quaedam de Diis loca expendiſſe, quae minorum gentium interpretibus crucem fixerunt, et ex iis non magno conatu ſiue ad naturam, ſiue ad mores ſpectantia praeclara documenta enucleaſſe, vt poſſitis hinc intelligere, longe faciliori negotio alia quoque minus implexa ad hunc modum explicari. Cetera vero quaecumque loca, quae non ſunt huius argumenti, quod ad Deos contraximus, intacta relinquimus; quibus tamen tam bonum vbique morum praeceptorem ſe praeſtat, vt, qui coeleſtiſſimorum eius carminum ſtudio ſerio ſe addixerit, fieri nequaquam poſſit, quin melior, moribusque ornatior euadat. Caput autem accuſationum hoc eſt, dum ea, quae expoſuimus, docet, valde indecora Diis attribuiſſe, et ab immortalibus illis, diuinisque mentibus prorſus aliena; quod certe per inſignem impietatem ſapere dictitant. Verum non Homerum in culpa eſſe impietatis huiuſce iterum contendimus, auditores: ſed prauae ethnicorum theologiae, populique opinionibus imputandum, qui eo ſtultitiae deuenerant, vt Deos iisdem, quibus homines, perturbationibus crederent commoueri, eadem adpetere et declinare, nec eſſe humanarum adfectionum experites. Quae igitur de Diis perhibebantur, non tamquam fabuloſa habebat vulgus, ſed tamquam res vere geſtas probabat, publicisque caerimoniis et ſacris confirmabat. Quare non poëtae huiusmodi fabulas inuexerunt, ſed a vulgi opinionibus poëtarum carmina originem duxiſſe liquet. Sacra certe Ce-

reris

reris Eleuſinae ante Herculem Thebanum floruit, vt Herodotus, Velleius Paterculus, aliique ſcriptores teſtantur. Pudet, auditores, phallos atque ithyphallos Baccho ſacros memorare, Deamque Petundam, quae praeſto erat maritis, ad primum Veneris conflictum feliciter abſoluendum, Deumque Mutunum, ſiue Priapum, cuius immani verpae virgines, antequam viro traderentur, teſte Arnobio, inſidebant, innumerasque huiusmodi turpiſſimas ſordes, quibus ethnicorum religio foetebat. Ex quibus intelligi poteſt, homines, antequam poëtae fabulas verſibus illuſtrarent, iis erroribus implicitos non expertes putaſſe perturbationum, humanorumque vitiorum Deos immortales. Videte igitur, auditores, quales quantasque nos oporteat gratias agere Deo Optimo Maximo, qui in ea tempora nos incidere clementiſſime tribuit, quibus iam, coeca delirae ſuperſtitionis caligine diſcuſſa, et veritatis luce micantiſſimos vndiquaque radios emittente, exclamare cum ingenti gaudio licet: *Exortum eſt in tenebris lumen Pſalm. CXI*, 4. *Habitantibusque in regione vmbrae mortis lux orta eſt eis. Iſaiae IX*, 2. Quia vero nullo non tempore aliqua ſaltem eius lucis ſcintilla, Deo ſic diſponente, *qui illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Ioann. X.* hominibus fulgurauit, bono eius ductui idemtidem ſe committens noſter vates, denſisque, quae totum paene terrarum orbem obuoluebant, tenebris aliquantiſper emergens, quam bene ſapienterque de Deo, diuinisque rebus ſenſerit, iis, quae ſequentur, diſputationibus planum faciemus, quibus poëtam theologum vobis illum oſtendemus, et commendabimus.

DISSER-

DISSERTATIO XXIX.

IN QVA EA LOCA EXPENDVNTVR VBI POETAM THEOLOGVM SE PRAEBET HOMERVS SED SVB FIGVRIS ET AENIGMATIBVS.

SYNOPSIS.

Quid de Deo ſenſerit Plato, aliique philoſophi. Homerus cum poëtam theologum ſe praebet, de diuino numine ſapienter diſſerit. Id aut praeſtat modo latenter et per aenigmata, modo aperte nulloque figurarum integumento. Quid ſignificet Iouis peregrinatio ad Aethiopas. Bonorum conſuetudine gaudet Deus quam maxime. Simulacrum Iouis geſtantes, Aethiopes per totos duodecim dies Lybiam circumibant. Deorum menſae in templis, lectiſternia ac puluinaria. Iupiter Graecorum cladem Thetidi pollicetur. Nutus Iouis ita viuis aptisque coloribus a poëta deſcriptus, vt Phidias inde ſuum Iouis ſimulacrum efformare didicerit. Sacrae ſcripturae loca Homerico commento valde adfinia. Iupiter ſomnium Agamemnoni mittit, non ſecus ac Deus mendacii ſpiritum Achabo. Nonnulla item alia loca explicantur, in quibus videtur Minerua in fraudem et crimina homines impellere; quae tamen theologicae rationi non repugnare ex aliis ſimilibus diuinarum paginarum locis euincitur. Deorum alteri a Graecis ſtant, alteri a Troianis, quemadmodum etiam ex angelis alter Graecos defenſat, alter Perſas.

Quod nullis verbis exprimi poſſit Deus, omnia repleat, dum nullo ipſe loco capitur, omnia condiderit, ſupraque omnia celſiſſimus reſideat, omnem vitam, ſapientiam omnem vincat et ſubter ſe habeat, fonsque boni inexhauſtus omnia irriget, fecundet, ſeruet, docuit Plato *in Sophiſ.* Quod mundum vniuerſum regat, et immotus in ſe ipſo cunctis motus impertiatur, tradidit Ariſtoteles, *Metaphyſ. lib. I. cap.* 7. Mentem, omnia diſponentem, Deum dixit Anaxagoras, vt Clemens Alexandrinus teſtatur *in Protreptic.* Vim et rationem, vniuerſa permeantem, praedicabant Stoici, vt ex Plutarcho diſcimus *de placit. philoſoph. lib. I. cap.* 7. Profecto philoſophos hoſce,

hoſce, dum ad hunc modum de Deo cogitarunt, ac diſputarunt, in theologorum cenſu probam doctrinam tuentium iure meritoque deſcripſeris.

Verum itane de diuino numine ſenſiſſe Homerum adfirmare poſſumus, auditores? Expedito mihi ab iis diſputationibus, quibus illum, vbi de Diis fabulatur, poëtam vobis tum phyſicum, tum moralem oſtendi, pulcherrima documenta ſub Deorum fabulis, quae primo ſane intuitu abſurdae videantur, ad naturam moresque pertinentia tradentem, ſupereſt modo, vt tandem poëtam theologum praedicem et commendem. Cum vero theologum Homerum dico, ex eo numero dico, qui de Deo ſenſerunt ac diſſeruerunt, non diuina fide colluſtrati, ſed ſolummodo humanae rationis ductum ſecuti; in quo tamen non vereor, ne non mecum ſtatuatis, auditores, tantum virum, tamque profunda ſapientia praeditum, philoſophorum ethnicorum, diuinum numen cum dignitate adpellando, ceſſiſſe nemini. Sed hanc quoque poſtremam huiuſce argumenti partem, vt lucido tractemus ordine, rurſum diuidere atque in plures diſſertationes diſſecare opus habemus. Modo enim theologum plane ſe praebet, ſed figuras adhibens et aenigmata, probe ſcilicet de Deo diſſerens, ſed ita tamen, vt verba eius, ad verum inde ſenſum enucleandum explicatione indigeant, modo autem aperte nulloque figurarum integumento theologus eſt, ita, vt per ſe ipſum quilibet vel e vulgo, facem nemine praeferente, ſapientiam Homericorum dictorum diuini numinis maieſtatem, naturam, virtutes, decora rite exprimentium agnoſcere valeat et praeſentire.

Primum igitur ea loca expendentur a nobis, in quibus ſane theologum agit, ſed latenter, figuris videlicet et aenigmatibus ea, quae docet, inuoluens. Ecce autem ex primo Iliadis libro ſtatim ſe mihi expendendum offert locus ille, vbi Thetis, cum ad Achillis, filii ſui, grauiſſimum dolorem leniendum opportune accurriſſet, ſe Iouem adituram illi pollicetur, enixeque petituram, vt quamdiu ipſe abſtineret a pugna, maximis cladibus Graeci adficerentur, illataque Agamemnoni vltione, in quam ille aeſtuabat,

ſtuabat, quam ocyſſime frueretur, atque ipſe agnoſceret Agamemnon, qualem quantumque virum iniuria adfecerit, et ad iracundiam veſane concitauerit. Id autem non, niſi poſt duodecimum diem ſe fore praeſtituram, quod nempe heſterno die Iupiter vna cum ceteris Diis ad Aethiopas, quos ἀμύμονας, id eſt, *inculpatos* adpellat, peregrinatus eſſet, vt inter eos verſaretur, feſtoque epulo accumberet; neque enim illum non niſi totis diebus duodecim elapſis ad coelum eſſe reuerſurum. Sed iam me interpellantes rogantesque audire vos mihi videor, vtrumne, vbi haec de Deo diſſerit, dici haberique theologus debeat? Maxime, inquam, auditores, neque plane ipſimet manifeſtam rei explanationem, quam breuiter damus, detrectabitis. Aethiopas dicit vates ἀμύμονας, *irreprehenſos*, vt modo notabamus: pietate enim in Deos, iuſtitia, morum innocentia fuiſſe ſpectatiſſimos, tertio hiſtoriarum libro Herodotus, grauis inprimis auctor, teſtatur. Cum igitur huiusmodi hominibus maxime delectetur Deus, eos in fidem ſuam accipiat, impenſe diligat, ſuas delicias faciat, interque illos medius venire gaudeat, cur non aptiſſime fabulam illam de Ioue ab Homero narratam eſſe adfirmemus? Multa profecto de vero numine habent ſacrae paginae, quae Homerico commento ſimilia valde ſint, multumque adfinia. Vnum adferam, quod adprime ad rem noſtram facere mihi viſum eſt: non enim quidquam eo congruentius vel de induſtria confingi liceat. De viro iuſto, Deumque, vt par eſt diligente nonne Chriſtus dominus apud Ioannem XIV, 23. diſerte inquit: *Ad eum veniemus, et manſionem apud eum faciemus?* Non infitiamur tamen, Homericam fabulam hiſtorico etiam fundamento inniti. Perhibent enim, vt apud Euſtathium videre licet, *Iliad. lib. I.* Dioſpoli, quae eſt Aegypti ciuitas, eſſe Iouis templum maximum, vnde Aethiopes, ſculptum Iouis ſimulacrum accipientes, et aliorum quoque Deorum ſimul, certo quodam tempore Lybiam circumeunt, et conuentus iſtos generales per totos duodecim dies, totidem ſiquidem ſunt apud ipſos Dii, concelebrant, opipareque epulantur, atque iis epulis perſuaſum habent inter-

intereſſe Deos, easque deguſtare. Illum vero morem menſas ante Deorum ſimulacra inſtruendi in Graeciam mox irrepſiſſe, atque hinc ad Romanos permeaſſe, compertum habemus, apud quos numquam ſacris lectiſternia ac puluinaria Deorum defuerunt. Sed Iupiter, cum ab illa celebritate pedem retuliſſet, rogatus a Thetide, ſe eius precibus fore obſecuturum ſpopondit. Quod dum memorat noſter vates, Iouis maieſtatem ſummamque potentiam ita viuis aptisque coloribus depingit, vt nihil poſſit inueniri ſublimius ac magnificentius. Ait enim

Η, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε κρονίων,
Αμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

Dixerat, atque ſuperciliis Pater annuit atris,
Ambroſiaeque comae diuino e vertice ſummi
Nutarunt regis, magnum et tremefecit Olympum.

Dolemus quam maxime, auditores, horum nos verſiculorum incredibilem vim, mirificum ſonum, emicantemque, quo animantur, ſpiritum, non ſolum non probe exprimere potuiſſe, ſed vix adumbraſſe verſione noſtra. Graece enim tanta praediti ſunt verborum ſignificatione, tantam obtinent pulcritudinem ac pondus, vt maximam ingerant audientibus diuini numinis aeſtimationem, ſacroque veluti horrore percellant animos. Nihil proinde miror adeo in audiente Phidia, ſculptore celeberrimo, eam mentis facultatem, qua res concipimus, atque excogitamus, excitare, effectumque illum, quem narrant, parere potuiſſe. Cum enim magnus ille vir ſimulacrum Iouis vellet efformare, modulusque, quem ingenio ſuo confecerat, non ſibi valde arrideret, cuiusdam forte rhetoris ſcholam ingreſſus, qui Homerum diſcipulis explicabat, atque hunc locum, vt ſingularem eius praeſtantiam atque excellentiam agnoſcerent, ſedulo excutiebat, tanta admiratione adfectus, ſpirantique illa Iouis imagine adeo delectatus eſt, vt, repente excitato ingenio, nouam graphidem inſtituerit, atque huiusmodi Iouis ſtatuam exegerit, quae totius antiquitatis miraculum habita ſit, diuinorumque

que eius operum longe pulcherrimum. Miror vero, et vehementer miror, Ioanni Spondano locum hunc non omnino probari: videtur enim eius laudem aliquantulum eleuare in ſcholiis ſuis, dum ait: *ſolet iſta Homerus τερατολογεῖν*, id eſt, miracula obtrudere, *de Deorum moribus, craſſius ad humanae naturae ſimilitudinem expreſſis.* Quis enim vmquam hominum tam ingentem nutu valeat gignere concuſſum, et Olympum tremefacere? Mirari potius debuerat Spondanus praeſtantiſſimam ingenii aciem, qua excogitare potuit vates imaginem, plane non abſimilem iis, quibus ſummam diuini numinis potentiam deſcripſerunt Iobus, regiusque Pſaltes. Alter enim magnifice ait de Deo XXVI, 11. *Columnae coeli contremiſcunt et pavent ad nutum eius.* Alter vero non minus ſublimi plectro cecinit *Pſalm. CIII, 32. Qui reſpicit terram et facit eam tremere.* Magis autem fateor explicari opus habet, quod de Ioue Homerus tradit initio libri ſecundi, cum, vt ea, quae Thetidi promiſerat, exitu praeſtaret, ſomnium ad Agamemnonem mittit, a quo ille in fraudem inducitur. Quod plane factum non ſolum cum ſana theologia non cohaerere quibusdam videtur, ſed eam prorſus infringere ac deſtruere, multamque impietatem inuoluere. Verum tamen non ita res habet, auditores. Siquidem ſomnium mendacio Agamemnonem decipit: at illud mendacium non ab Ioue prouenit; prouenit a ſomnio. Quid autem abſurdi eſt, ſi ſomnium mentiatur, Iupiterque ſinat, vt Agamemnoni fucum faciat? Aliud eſt enim fraudem alterius permittere, aliud fraude ſua fallere. Diuinus certe codex ſuppeditat exemplum in Achabi, regis Iſraëlis, hiſtoria, facto huic perquam ſimillimum 2. Paralip. XVIII. Cum enim eius cladem atque internecionem decreuiſſet Deus, miſit ad illum mendacii ſpiritum, qui eum decipere, ad eum ferme modum, quo Homericus Iupiter ad fallendum Agamemnonem ſomnium deſtinat. Poteſtne, quaeſo, expeti quidquam ſimilius, quo haec duo facta, vnum fabuloſum, alterum verum inter ſe committantur? Itaque quemadmodum Deus noſter, qui ipſamet veritas adpellatur, et eſt, nec mentiri nec fallere poteſt, nullam

habet

habet in eo mendacio partem, quo Achabus falſus eſt; ſic et Homericus Iupiter, ſomnium Agamemnoni mittens, omni crimine habendus eſt inſons. Hoc autem exemplum eo magis delectat, quod eadem prorſus aetate, qua Achabus Iſraëlem ſceptro regebat, Ioſaphatus vero Iudam, Homerus vixiſſe fertur. Homerum igitur eius veritatis ignarum non fuiſſe conſtat, quod Deus creatarum rerum peruerſitate vtitur, vt abſtruſiſſima iudicia ſua, quae perſcrutari nobis et adſequi nequaquam licet, ad exitum perducat. Huc refer Mineruam, quae Pandarum dirigit et ad foederis conturbationem impellit *Iliad. lib. IV.* quae decipit Hectorem, et ad pugnandum cum Achille, vt ab eo mactaretur, per fraudem inducit *lib. XXII.* quae mentem Troianis aufert, *lib. XVIII.* et id genus alia. Ea ſiquidem loca omnia, quibus de induſtria in fraudem homines implicare Minerua videtur, multaque mala et damna doloſe inferre, ea lege debent intelligi, qua ſimilia diuinarum paginarum loca explicantur, in quibus tamen longe profundiorem fateor latere ſapientiam, vbi Deus traditur Pharaonem induraſſe, atque excaecaſſe, videlicet permiſiſſe, vt animum ſuum ad peruerſitatem obfirmaret. *Non enim obdurat Deus,* praeclare ait Auguſtinus, *impartiendo malitiam, ſed non impartiendo miſericordiam. Ep. XIX. ad Sixtum.* Quae vero Deus tantummodo permittit, ſiue fieri non vetat, ſolemne eſt diuinis ſcriptoribus, tamquam a Deo facta enarrare. Ex quo poteſt intelligi, immerito reprehendi Homerum, dum ad eumdem plane modum de Ioue ac Minerua, Iouis filia, diſſerit. Atque hic ſagaciſſimum poëtae iudicium animaduertite, auditores, qui dementiae caecitatisque, peccata fere inſtigante Minerua a ſtultis tradit admitti, illud nempe ſignificare volens, quod dum diuina ſapientia ſuo lumine colluſtrare deſinit, quos plectere meditatur, in teterrimum malorum barathrum illos abripi neceſſe ſit. Atque illud interea ſimiliter obſeruandum eſt, ſolerter facere Homerum, dum, vt poëmatis veriſimilitudini ſeruiat, illa Troianis mala a Minerua inferri comminiſcitur, quod propitia Graecis Dea ſit, Troianisque inimica. In

quo profecto a Socrate poëtam carpi miramur apud Platonem in republica. Nihil enim theologicae rationi repugnat, alios Deos a Troianis ſtare, alios a Graecis, cum ſacrae etiam literae tractant angelorum ſibi inuicem aduerſantium ſtudia, dum alter Graecos, alter Perſas defenſat, vt apud Danielem legitur *cap. 10.* cuius rei profundam intelligentiam aliis expiſcandam relinquimus, ne vltra, quam par eſt, orationem protrahamus.

DISSERTATIO XXX.

DE EODEM ARGVMENTO.

SYNOPSIS.

Quid ſibi velit apud Homerum Iouis ſomnus. Obdormiſcere Deum perhibent etiam diuinae literae. Iupiter alio conuertere oculos, nec res intueri dicitur. An abſurde id dixerit vates? Sol Iouis oculus. In ceteris Diis Dei Opt. Max. proprietates, ſiue attributiones, adumbraſſe videntur ethnici, qui tamen turpibus fabulis Deos quam maxime dedecorarunt. Eas fabulas poëtae ſuis carminibus ſpecioſiores effecerunt. Nonnulla dicta idemtidem effuderunt, quae a theologia ſiue Hebraeorum, ſiue Chriſtianorum non longe abſunt. Elegantiſſima ſimilitudo apum, ex Iſocrate deſumta. Amores Iouis in mortales feminas. Ad angelorum ſimilitudinem Deos ſuos confinxerunt ethnici. An Homerus, ceterique tum poëtae, tum philoſophi antiqui ſacras literas legerint, ſacramque Hebraeorum doctrinam nouerint? Hebraeos eam doctrinam neminem celaſſe, teſtatur Ioſephus. A Chaldaeis ad Aegyptios, ab Aegyptiis ad Graecos ſapientiam promanaſſe.

Iunonem fucum feciſſe Ioui, atque in monte Ida ad ſpectandum Troianum bellum ſedentem in fraudem pellexiſſe, vt ſecum illic concumberet, ſomnoque correptus pugnae oculos non aduerteret, alia diſputatione enarrauimus, auditores, in eaque expoſuimus, quidnam vates hac fabula voluerit indicare *Iliad. lib. XIV.* Reſtat ſolum, vt dormen-

dormientem Iouem obſeruemus, et an in eius ſomno quidpiam lateat, quod theologicam doctrinam redoleat, expendamus. Quis vero Iouis ſomnum, vt a ſana theologia abſonum, culpare poſſit, quando prophetae ipſi, ſacrorumque librorum ſcriptores cum obdormiſcere diuinum numen, tum excubare frequenter dixerint? Excubat videlicet iis, quibus opem ferre praeſentiſſimam, et a malis vindicare decreuit: obdormiſcit vero iis, quas auxilio ſuo fere deſtituit, maliſque conflictandos permittit. Hinc regium Pſaltem, vbi Dei opem implorat, exclamantem audimus: *Exſurge, quare obdormis Domine Pſalm. XLIII, 23.* Fertur item obdormiſcere Deus, quando in hominum ſceleribus conniuet, nec facinoroſos coërcet, repente vero a ſomno expergiſci, cum in improbos deſaeuit, iuſtoque eos adficit ſupplicio. Quod idem David aptiſſime exprimere viſus eſt, cum ait: *Excitatus eſt, tamquam dormiens, dominus, tamquam potens, crapulatus a vino. Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit eis. Pſalm. LXXVII, 65.* Nec plane abſimili explanatione opus eſt, cum poëta Iouem narrat, poſtquam Hectori ac Troianis vires addidit ad ſemitam ſibi aperiendam, qua ad Graecorum naues oppugnandas peruaderent, a ferendo ipſis ſuppetias abſtinuiſſe, oculoſque alio auertentem, hoc eſt, in Thraciam et Myſiam, regiones ex aduerſo ſitas, ſolos belli periculis obieciſſe, voluiſſeque, vt ipſi per ſe commiſſae illic pugnae labores experirentur, clademque perferrent. *Iliad. lib. XIII.* Quid enim aliud ſapientiſſimus vates docuiſſe putandus eſt, quam quod diuini numinis obtutus ipſa eſt rei feliciter peragendae virtus, quam, quibus vult, tribuit: cum vero oculos ſuos alio conuertit, perinde eſt, quaſi opem ſuam a nobis amoueat, atque excidio nos permittat; quemadmodum apud Ieremiam inquit *lib. XVIII, 7. Dorſum, et non faciem, oſtendam eis in die perditionis?* Nihil profecto Deum aliquando latere, ſemperque orbis adminiſtrationi excubare, quis vmquam hominum eſt tam perfricta fronte, qui deneget? Nihilominus ad captum noſtrum ſermonem adcommodantes, humaniſque verbis

rem exprimentes, dicere conſueſcimus, Deum interdum captare ſomnum, quaeque in terris geruntur, paene non intueri. Atque huiuſcemodi loquendi formas, vt mox aiebam, affatim ipſaemet exhibent ſacrae paginae. Itaque Homerus et ipſe, vt poëta theologus, illas non abſurde vſurpauit. Quia vero falſa ethnicorum religione implicabatur, paulo licentius vſurpauit, quam coeleſtium voluminum ſanctiſſimi ſcriptores, quorum mentes diuinus ſpiritus fulgentiſſima luce ſua colluſtrabat, eorumque ſtilos, dum ſcriberent, peculiari cura regebat. Ceterum tum agnouiſſe, tum docuiſſe vatem noſtrum, quod Deus ad mundi gubernacula perenniter ſedeat, et quidquid vmquam eſt, aut peragitur, ſolertiſſime inſpiciat, in dubium reuocet nemo, qui eos verſiculos ſedulo expendat, quibus Menelaum inducit, opem implorantem Iouis et Solis *Iliad. lib. III.* qui certe Sol nihil aliud eo loco ſignificat, quam Dei oculum acutiſſimum, eiusque immenſitatem, qua praeſens vbique eſt, omnia intuens, omnia audiens

Ζεῦς κύδιϛε, μέγιϛε, κελαινεφὲς, αἰθέρι ναίων
Ηέλιός θ', ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις.

Quos verſiculos ita latine conuertimus:

Iupiter omnipotens, clariſſime, maxime Diuum,
Inſpiſſans nubes, habitans palatia coeli;
Et tu Sol, qui cuncta vides, audisque per orbem.

Sed ipſius ſomni maxime notanda ſunt verba, quae ad Iunonem habet, dum illum nixe precabatur, vt Iouem conſopiret. Nequaquam enim, inquit ille, nolente ipſo, ipſoque non imperante, ſibi fas eſſe, vt Iouis oculos premat, atque ad dormiendum, adigat. *Iliad. lib. XIV.* Ex quibus plane liquet, Iouis ſomnum ex eius voluntate pendere, eamque praeferre ſignificationem, quam modo attulimus. Quoniam vero in Sole Dei oculum agnouimus, poſſemus adfirmare, in aliis ſimiliter Diis alias Dei Optimi Maximi proprietates, ſiue attributiones, a poëtis fuiſſe adumbratas, maieſtatem in Iunone, in Pallade ſapientiam,

quas

quas ambas idcirco facit Homerus adſidentes Ioui, in Venere pulcritudinem, in Marte fortitudinem, atque ita de ceteris. Sed quia ethnici, verae religionis lumine deſtituti, naturam ac facta Deorum aeque atque hominum comminiſcebantur; idcirco tam abſurdas fabulas de Diis illis poſtea ſomniarunt, tam turpiter eos dedecorarunt, vt vitioſiores perditis hominibus fecerint, et diuinitatem paene habuiſſe ludibrio videantur. Talia ſiquidem ſcelera de numinibus praedicarunt, qualia nemo in ſuos inimicos iactare audeat. Neque enim furta ſolum, et adulteria, et apud homines ſeruitutes eis exprobrarunt; ſed et liberorum deuorationes, et patrum exſectiones, et matrum concubitus, et multa alia teterrima facinora de ipſis confinxerunt. Poëtae vero, ſi quid ab eis peccatum eſſe dicendum eſt, in eo ſolum reprehendendi videantur, quod, dum vulgo placere ſtudent, eas fabulas ſuis verſibus ſpecioſiores effecerint, imperitumque populum, extimum illum fabularum corticem penetrare non valentem, vt amplius iis erroribus irretiretur, carminum dulcedine atque elegantia compulerint. Sed quia etiam de diuino numine, vt par eſt, philoſophari nouerant, nonnulla identidem effuderunt de eo dicta, quae ab ipſa Hebraeorum Chriſtianorumque theologia non longe abſunt. Haec igitur probe vos tenere, animumque praeparare oportet, optimi adoleſcentes, antequam ad poëtarum inſigniſſimorum, maxime vero Homeri lectionem accedatis, ne quid occurrat, quo inter legendum offendamini, minusque beneuolo animo in viros ſummos ob impietatis ſuſpicionem adficiamini. Atque vt apes, ſi elegantiſſimam Iſocratis ſimilitudinem *Orat. ad Demonic.* mihi liceat vſurpare, omnibus quidem inſidere floſculis, de ſingulis autem vtilia carpere videtis; ſic vos pariter eruditionis comparandae cupidos nullius rei eſſe rudes, ſed tum ex Homero, tum ex aliis antiquis ſcriptoribus ſaluberrima quaeque colligere decet, atque iis puriſſimum ſapientiae mel, quo mentes veſtrae dulciſſime alantur, elaborare. Sed in Iouis facto, qui fraudulenter ab Iunone in amorem pellectus eſſe perhibetur, aliud etiam conſiderandum occurrit *Iliad.*

 lib.

lib. XIV. Iupiter enim ad Iunonem inquit, ſe tam acribus in eam amoris ſtimulis tunc eſſe exagitatum, quales numquam expertus ſit, cum aut Ixionis vxorem adamavit, quae illi Pirithoum peperit, aut pulcherrimam Danaën, Acriſii filiam, quae genuit Perſeum, aut filiam Agenoris, Phoenicum regis, quae Minoëm et Rhadamanthum tulit in lucem, aut Semelen, aut Alcmenen, quarum altera Bacchum, altera Herculem concepit, aliasque complures. An vero Iouis aliorumque Deorum amores, qui mortales feminas concupierunt, cumque ipſis amicitia et lecto, vt Homerice loquar, commixti ſunt, ex eo confinxerunt ethnici, quod Moyſes narrauit in Ieneſi VI, 2. *Videntes*, ait ille, *filii Dei filias hominum, quod eſſent pulcrae, acceperunt ſibi vxores.* Quamquam enim conſecutis ſeculis chriſtianae doctrinae magiſtri, re maturius perpenſa, intellexerint nomine filiorum Dei Sethi poſteros deſignari, genus hominum pium ac ſelectum, filias vero hominum adpellari natas e Caini progenie, quae, patrum ſuorum praua exempla ſecutae, noxia contagione, et elegantis adſpectus illecebris, Sethi filios corruperunt pellexeruntque, vt ſecum connubia iungerent: tamen nomine filiorum Dei commonſtrari angelos, ſerio docuit Ioſephus *Antiqu. lib. I. cap. 4.* et haec quidem ſententia olim apud veteres obtinuit, quod aliquo certe fundamento non caret. Nam, vbi Aquila interpretatus eſt υἱοὶ Θεῶν, *filii Dei*, ſeptuaginta verterunt οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, *angeli Dei.* Maxime vero haec ſententia ſediſſe videtur Clementi Alexandrino *Strom. lib. III. et V.* Tertulliano *de Idol.* Cypriano *de Diſcipl. et habit. Virg.* Ambroſio *lib. de Noë et Arca cap. 4.* ac Lactantio *lib. II. cap. 4.* aliisque permultis. Quae cum ita ſint, nil mirum, ethnicos, qui fabulis diuinarum literarum vera dicta peruertere ſolemne habuerunt, tot amores Iouis, ceterorumque Deorum, in mortales feminas eſſe commentos. Deos enim apud ethnicos ſcriptores confictos eſſe, veriſimile eſt, ad eum modum, quo angeli vere dicuntur exſiſtere apud Moyſen.

Atque

Atque hinc ſimiliter non leuis mihi ſuboritur ſuſpicio illas quoque fabulas originem duxiſſe, quibus Dii narrantur ſaepe ſe videndos hominibus praebuiſſe, apud eos tum diuerſatos, tum coenatos eſſe, cum illis in bello manus conſeruiſſe, ab iis denique deuictos eſſe et vulnera accepiſſe. Nam et angelos ſaepe perhibet Moyſes a Deo ablegatos hominibus ſe ſtitiſſe, angelumque cum Iacobo colluctatum eſſe, et ab eo ſuperatum abiiſſe. Neque enim dubium eſſe poſſit, Homerum, Heſiodum, aliosque illius aetatis, ſiue etiam aetatum antiquiorum, ſapientes viros, Muſaeum ſcilicet, Orpheum, Linum, et ſi qui fuerunt alii, ea, quae diuinae literae docent, plane non ignoraſſe, multoque magis non ignoraſſe Platonem, Ariſtotelem, ceteroſque philoſophos, qui recentioribus aetatibus floruerunt, ac proinde omne ſapientiae ſtudium coeleſtis eſſe originis, et a Iudaeis, veluti a fontibus, in exteras gentes ita manaſſe, vt ſcriptores ethnici e ſacris literis plurima accepiſſe videantur, quae corrupta erroribus, fabuliſque laruata, vulgauerint. Neque vero illud, quod vulgo iactatum accepimus, verum eſſe omnes concedunt, Hebraeos ceteris nationibus ſanctos libros de induſtria abſcondiſſe, maximeque, ne in earum manus aduenirent, cauiſſe. Nam Ioſephus antiquitatum Iudaicarum prooemio luculentiſſime teſtatur, quod, cum Ptolemaeorum ſecundus, rex maxime diſciplinis libriſque colligendis deditus, magnopere contenderit Hebraeorum legem, reique publicae ex ea conſtitutionem in graecum ſermonem transferri, Eleazarus, qui virtute non inferior erat, quam quisquam ſuperiorum pontificum, hanc regi illi non inuiderit vtilitatem, reclamaturus omnino, niſi mos patrius exſtitiſſet, res bonas et honeſtas celare neminem. Sed neque obſtat, quod diuinae literae poſt Olympiadem centeſimam trigeſimam ſecundam ſub eo rege in graecam linguam primum conuerſae fuerint, vt idcirco vix antiquioribus Graeciae poëtis philoſophiſque innoteſcere potuerint. Potuerunt ſiquidem noſſe Chaldaicam linguam, in qua habebantur ſacrae literae, praeſertim cum e Chaldaeis, ab Abrahamo inſtructis, quem Euſebius *hiſt. lib. IX.*

cap. 17. et lib. X. cap. 2. adpellat chaldaicae diſciplinae inventorem, ſcientiae profluxerint tum ad Aegyptios, tum ad Graecos. Et, quamquam id etiam a quibusdam denegaretur, potuerunt e ſola conſuetudine Hebraeorum, vel ex Aegyptiis, quibus Hebraei tot annorum ſpatio commixti ſunt, de eorum religione doctrinaque ſacra, quae viua voce et patrum traditione tunc ſeruabatur, donec Moyſes literis eam conſignaret, abunde edoceri. Nam vel caecutientibus clare liqueat, eos illinc plurima ad falſas ſuperſtitioſasque religiones tranſtuliſſe, multa fabulis corrupiſſe, multa etiam integra ſeruaſſe. Profecto ſi quis Homerum diligenter euoluat, librosque, quos Pentateuchi adpellant, atque alios vsque ad Salomonem conſcriptos, quae tantum e diuinis literis potuerunt Homero eſſe nota, cetera enim conſecutis poſt eum temporibus conſcripta ſunt, et vtraque ad trutinam expendat, tam multa paſſim offendet, ſibi inuicem maxime congruentia, et eodem non ingenio tantum, ſed fere iisdem verbis expreſſa, vt ſibi animum inducere nequeat, Homerum Hebraeorum doctrinae non fuiſſe apprime peritum. Quamobrem eum plane intelligimus, quamuis magna ex parte vulgi erroribus fabulisque receptis adhaeſerit, vt ſuorum Graecorum voluptatem plauſumque maxime aucuparetur, permulta tamen theologice dicta ſuis carminibus admiſcuiſſe, ſicut et praeteritis diſſertationibus planum fecimus, et aliis, quae conſequentur, planius adhuc faciemus.

DISSERTATIO XXXI.

DE EODEM ARGVMENTO.

SYNOPSIS.

Triplex aureae Iouis catenae interpretatio: quarum prima phyſica eſt, altera moralis, tertia theologica. Fatum vel ipſum Deum, vel eius decreta ſignificat. Lances Iouis fatales, ex eius arbitrio cuncta

cuncta dependere, oſtendunt. Locum hunc Virgilius eleganter expreſſit. Videtur e ſacris literis eſſe deſumtus. Duo dolia ſub Iouis pedibus, quorum ex altero bona, ex altero mala proficiſcuntur. Calix in manu Dei ex Dauide: vnde non improbabile eſt commentum illud doliorum originem habuiſſe. Duplex fatum, ſiue Iouis decretum; ineluctabile vnum, alterum euitabile. Alterius duo exempla e ſacris paginis adferuntur; videlicet Ezechiae regis, et Niniuitarum. Explicatur, quid ſibi velit κρύβδα Διὸς, clam Ioue.

Argumentum proſecuturi iam pridem incoeptum, atque aliis, quae hanc antecedunt, diſputationibus pertractatum, vbi complura explanauimus, quibus vates theologi partes agit, non aperte quidem omnino, ſed ſub aliquibus figurarum inuolucris, quaedam huius generis alia delegimus hodierno ſermone vobis ediſſerenda, ornatiſſimi auditores; auream ſcilicet Iouis catenam, aureamque libram, ac gemina dolia, e quibus bona ac mala depromit, et hominibus diſpertit, vt oſtendamus, non inepte ſub hiſce imaginibus de diuino numine illum cogitaſſe; deinde breuiter nonnulla de fato, ac de Iouis prouidentia, quae rectam theologiam euertere aliquibus videantur, euoluemus.

Initium ergo a catena illa ducamus. Confecto prioris diei praelio, et vtriusque exercitus conflictu acerrimo enarrato, memorat Homerus, poſtquam Diomedes, Minerua ſibi auxiliante, ſtrenue rem geſſiſſet, et Venerem in manu, Martem in ventre ſauciaſſet, Graecique multos Troianorum interfeciſſent, Iouem Diis mandaſſe, vt bello abſtinerent, neutrique partium opitularentur. Cum enim conuocari Deorum concionem in celſiſſimum Olympi verticem imperaſſet, iamque adeſſent omnes, ad hunc ferme modum verba facere inſtituit *Iliad. lib. VIII.* „Audite „me Dii, Deaeque, neque quispiam veſtrum quidquid „imperauero irritum ſe facturum putet, ſed ſimul omnes „meis iuſſis obſecundate, vt, quae mihi placita fuerint, „ac decreta, perducam ad finem. Si quis ex vobis ad fe„rendam opem ſiue Troianis, ſiue Graecis in belli cam„pum deſcenderit, ſe ſciat meam offenſionem grauiter in-

„curſurum, neque ad Olympum, niſi acceptis plagis, re„greſſurum, vel potius in imas Tartari ſedes, ferreis por„tis aeneoque pauimento obringentis, me fore illum de„turbaturum, tantumque ſub Orcum detruſurum, quan„tum coelum diſtat a terris. Atque is profecto tunc ſen„tiet, me longe ceterorum Deorum eſſe potentiſſimum. „Quam meam potentiam vt cognoſcatis omnes, eia agite, „ad coeli cacumen auream catenam adpendite, et, quot„quot vmquam eſtis Dii Deaeque, connitiminor, vt ſum„mum ad vos Iouem pertrahatis; verum inani conatu ad „vos me deducere contendetis. Contra vero, ſi mihi li„beat, omnes vos nullo labore ad me ſuſtollam, vnaque „vobiscum et terras et maria, ſique ad coeli verticem ad„ligauero, ea omnia immota maneant ac ſuſpenſa neceſſe „erit. Adeo ſupra Deos et homines ſum; adeo ſum eo„rum conatibus maior, etiamſi ſuas ipſorum vires aduer„ſus me omnes ſimul coëgerint." Haec omnia Iupiter initio octaui libri ad Deos effatus eſt. Cum autem locus ille eſſet aliquanto longior, vt gratae breuitati conſulerem, Graecis omiſſis, concionis ſummam latinis verbis enarrandam putaui. Age vero, quid haec catena ſignificet, paucis expendamus.

Plato in Theaeteto Homerum cenſet per eam indicaſſe Solem, qui diurno curſu mundum circumiens rebus omnibus vitam indere, easque ad actionem excitare videtur, ita, vt, ſi in coeli vertice aliquo vinculo detentus a curſu ſuo inhibeatur, rerum vniuerſitas grauiſſimam ſentiat iacturam, ſiue etiam omnino peſſum eat, ac, tota natura agendi vi deſtituatur, neceſſe ſit. Sane interpretationem hanc, tamquam pulcherrimam ac ſapientiſſimam, et admiramur, et commendamus, auditores. Quoniam vero rem explicat φυσικῶς, ad ceteras alias, quas peculiari ſermone dedimus, cum ea loca interpretaremur, quibus vt poëta phyſicus de Diis diſſerit, eam reiicimus. Putarunt alii, nihil aliud ſibi hoc commento voluiſſe vatem, niſi, vt vnius gubernationem, quam μοναρχίαν adpellant Graeci, caeteris anteferret, doceretque, quod, ſicut vni Deo, vniuerſarum rerum domino, coelum tellusque

lusque ſubditur, et cuncta obediunt; ſic homines, ſi felicitatem nanciſci velint, in omni republica vni regi parere debeant. Verum hanc item interpretationem, quae ad mores pertinet, rationemque illam, ſecundum quam viuere homines et conuerſari decet, perſequitur, iis accenſendam exiſtimamus, quibus planum fecimus, quandoque de Diis, vt poëtam moralem, eſſe fabulatum. Tertiam igitur explanationem potius amplectimur, quae, quoniam ad praeſens argumentum facit, nobis magis arridet: ea ſiquidem Homerum poëtam theologum nobis commendat. *Fatum* igitur eiuſce catenae fabula luculenter ſignificari credimus, quod, cum nil aliud certe ſit, quam lex aeterna, a Deo profecta, res omnes ſibi ſubiiciat, et ab earum nulla ſubiiciatur, neceſſe eſt. Quamobrem nemo putet abſurdum, fatum eſſe ineluctabile, cum ſit ipſe Deus, Deus, inquam, ille ſummus, ille omnium Deorum atque hominum rerumque conditor. Idcirco dixit Seneca: *Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic eſt, ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſſa cauſſarum lib. II. cap. 45. quaeſt. natural.* Cum ergo ex fato dependeant vniuerſa, fatum ea catena aptiſſime ſignificatur, quam ſe Homericus Iupiter e coelo demiſſurum, et terram, elementa, Deos ipſos attracturum minatur. Quam vero mihi arrident, ea euangelii verba apud Ioannem XII, 32. quae tam bene huic loco quadrant: *Omnia traham ad me ipſum?*

Neque minus ſignificanter, fatum eſſe in Iouis poteſtate, et ex eius arbitrio dependere, Homerus oſtendit, vbi eius manu libram ſuſtineri tradit *Iliad. lib. XXII.* qua alterutrius maximorum heroum, Hectoris ſcilicet aut Achillis, mors decernatur, cum belli extremum diſcrimen ſingulari certamine depugnantes eſſent ſubituri. „Iupiter, „inquit ille, auream arripit libram, eiusque lancibus hinc „atque illinc duo iniicit fata, vnum Hectoris, alterum „Achillis, ac deinde libram ſurſum attollens eorum pon„dera explorat. Ac fatum quidem Hectoris grauiore ſibi „impreſſo momento alteram lancem depreſſit, quae ad „Orcum deſcendere viſa eſt. Quibus peractis, Apollo, „qui

„qui Hectori aderat, vireſque ſuppeditabat, fato cedens, „id eſt, Iouis decreto obſequens per Mineruam, id eſt, „Dei ſapientiam, quae fauet Achilli, executioni deman-„dando, protinus eum deſerit, mortisque poteſtati per-„mittit." Hunc locum eleganter quidem, ſed paene iis-dem Homeri verbis expreſſit Virgilius *Aeneid. lib. XII.* Nam, cum moriturus eſt, Turnus, antequam moria-tur, ait:

Iupiter ipſe duas aequato pondere lances
Suſtinet, ac fata imponit diuerſa duorum,
Quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.

Ceterum praeclaram hanc librae imaginem, e manu Dei dependentis, manifeſte liquet perquam fuiſſe familiarem orientis populis. In Balthaſaris, Babyloniorum regis hi-ſtoria memoriae proditum eſt, funeſtam manum, quae in aduerſo pariete conuiualis aulae nigris notis ſententiam mortis aduerſus regem deſcripſit, inter alia verbum *The-cel* expreſſiſſe, quod ſignificabat, vt ipſaemet diuinae li-terae perhibent *Dan. V*, 27. *Adpenſus es in ſtatera, et inuentus es minus habens.* Sed haec imago adhuc diluci-dius in Eſtherae libro expreſſa eſt *Dan. X*, 10. *Et duas,* inquit, *ſortes eſſe praecepit, vnam populi Dei, et alteram cunctarum gentium.* Ea quoque vſus eſt *Iobus VI*, 2. *Vtinam adpenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quam patior, in ſtatera.* Et rurſus *XXXI*, 6. *Adpendet me in ſtatera iuſtitiae, et agnoſcet perfectionem meam.*

Eodem ſpectant ſimiliter duo illa dolia, quae ſub Io-vis pedibus iacere poëta confingit *Iliad. lib. XXIV.* quo-rum ex altero bona, ex altero mala proficiſcantur. Pari-ter enim docet hoc commento, nihil ſiue felix, ſiue ca-lamitoſum accidere mortalibus poſſe, quod non proueniat ab ipſo Deo, qui ſapientiſſimo conſilio ſuo diſpenſat ho-minibus, quaecumque vult. Sed illum etiam ſignificari voluit, nullum tribui a Deo hominibus, in hiſce terris de-gentibus, ſincerum bonum, ſed omnia paſſim malis per-miſceri. Tres eſſe, ſapientiſſime aiebat Ficinus, in mundo

con-

contignationes, coelum, terras, inferos. In coelo purum eſt bonum, in inferis purum malum, in terris mixta omnia. Puto autem, illam doliorum imaginem non prorſus a poëtae mente prodiiſſe, ſed ex Hebraeorum ſermone atque ingenio, maxime vero ex Dauide forſitan accepiſſe. Ait enim Dauid *Pſalm. LXXIV. Quoniam Deus iudex eſt, hunc humiliat, et hunc exaltat; quia calix in manu domini vini meri plenus mixto; et inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fex eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terrae.* Quemadmodum enim Dauid calicem hunc Deo attribuit; ſic Homerus Ioui duo illa dolia. Plato igitur, qui hoc commentum in ſecundo reipublicae libro damnauit, eius pulcritudinem nequaquam perſpicere viſus eſt. Iam vero quae obiiciuntur aduerſus ea, quae contendimus ſenſiſſe Homerum de ſupremo Iouis arbitrio eiusque decretis ac prouidentia, adferenda nobis in medium ſunt, atque eluenda. Aliqua enim loca apud ipſum offendas, quibus videtur admittere, quod aduerſus fata, quae Iouis eſſe decreta ſumus interpretati, vim aliquando adhiberi liceat, et aliquid perpetrare ὑπὲρ Διὸς αἶσαν, *praeter Iouis fatum*, videlicet contra id, quod Iouis fato ſancitum eſt. Verum duo eſſe fata, ſiue Iouis decreta animaduertere debemus, alterum quod certum eſt, atque ineluctabile; eluctabile alterum, ac ſub conditione quapiam latum. Itaque cum vates tradit, fatum eludi poſſe, et Iouis decreto adhiberi vim, id nequaquam de primo, ſed de altero accipiendum eſt. Neque enim cum ſana doctrina pugnare, ſi Deus interdum ſe reuocare videatur. Ezechiae regis exemplo et Niniuitarum ciuitatis, vt complura alia praetermittamus, clare euincitur. Rex namque Ezechias, cum ipſi impendere mortem Iſaias iis verbis declaraſſet: *Diſpone domui tuae, quia morieris et non viues;* qua erat in Deum pietate, fuſis precibus, ac lacrymis, vt illud praematurae mortis decretum tolleretur e medio, ſibique ad quindecim adhuc annos vitae tempus prorogaretur, impetrauit. *Iſaiae XXXVIII*, 21. Niniuen autem quadraginta elapſis diebus exterminandam fore, denunciauit Ionas III, 4. ſed ciuibus ad ſcelerum poenitentiam conuer-

ſis

ſis, triſte illud decretum Deus obliterauit, neque amplius paſſus eſt. Hoc igitur intellexiſſe memoratis locis Homerum exiſtimamus, Deum nempe, in cuius arbitrio ac voluntate vniuerſae res ſitae ſunt, cuiusque nutu quidquid vmquam in mundo accidit, dependet, quae ipſe tulit decreta, quandoque ſponte ſua infringere, ea ſcilicet conditione non adimpleta, ſub qua perficienda eſſe ſtatuerat. Alius item locus aequum interpretem expoſcit, vbi fertur Iuno Iridem ad Achillem miſiſſe κρύβδα Διός, *clam Ioue Iliad. lib. XVIII.* Iupiter vero eam rem haudquaquam noſſe, οὐκ οἶδε Κρονίδης, id eſt, paene ſe geſſiſſe, ac ſi neſciuerit; quod idem eſt, ac ſi dicas, conniuentem, atque id quod viderat diſſimulantem ſe geſſiſſe: quemadmodum, huiusmodi diſſimulatione vtentem Deum non raro a diuinis literis induci, ſuperiori diſputatione demonſtrauimus. Atque eam fuiſſe Homero mentem ex eo liquet, quod alibi Dei oculos nihil fugere diſerte adfirmauerit.

DISSERTATIO XXXII.

DE EODEM ARGVMENTO.

SYNOPSIS.

Homerus nullibi Deos mortales fecit. Locus difficilis, in quo Mars periturus dicitur, explicatur. Deorum immortalitas atque aeterna felicitas. Hebe Diis poculorum miniſtra. Animi beatitas alterius aeui pura et ſimplex ſublimior eſt, quam vt intellectu adſequi homines poſſint. De ambroſia et nectare. Plures nectaris acceptiones. De ichore. Explicatur epitheton ἀντίθεος et θεῖος, Diis comparandus, diuinus *ab Homero tum hominibus, tum ceteris rebus frequenter adfixum. Item epitheton* ἱερός, ſacer, *quod tum Graeci, tum Latini vſurpant pro* magno.

Recens Zoilus Transalpinus, qui magno ſe ſcelere impiare non exhorruit, dum, graeci ſermonis ignarus, Homerum

merum audacter reprehendit, fereque paſſim ſugillat ac proſcindit, neque tamen Homerum, ſed ſe ipſum traducit, ſuamque imperitiam, petulantiam, temeritatem miſere prodit; recentior, inquam, hic Zoilus inter alia crimina, quae ſummo vati obiicit, illud quoque habet, quod Deos fecerit morti obnoxios. Cum enim eſſet Veneri a Diomede vulnus adflictum, Dione vt eam conſoletur, plura aliorum Deorum adfert exempla, qui vulnera ſimiliter acceperunt, et paene extrema clade adfecti ſunt, praeſertim vero Martis *Iliad. lib. V.* qui tredecim menſium ſpatio turri aenea fuit incluſus, atque ibi fortaſſis, inquit Dea, terribilis ille Deus, qui bello et ſtragibus numquam exſaturatur, malis obrutus periiſſet, niſi nouerca Alcidarum, qui in vincula illum coniecerant, perpulcra nimirum Aeriboea Mercurium admonuiſſet, qui opem tulit, et qua erat vafritie, clanculum ſurripuit, cum iam dolore confectus eſſet, et catenarum pondere attritus. Graeca vox, qua Homerus vtitur, aoriſtus eſt verbi ἀπόλλυσθαι. Inquit enim:

Καί νύ κεν ἔνθ᾽ ἀπόλοιτο Ἄρης ἆτος πολέμοιο

hoc eſt:

Atque ibi Mars periiſſet, quem diſcrimina belli
Nulla explent. — — — — —

Verbum autem illud non *mori* ſignificat, ſed *perdi*, *ac peſſumdari*, *vltimamque pati calamitatem.* Si igitur cenſor ille graecam vocem potuiſſet intelligere, Homerum non accuſaſſet. Namque *Mars periiſſet* nequaquam graece ſignificat, *mortem obiiſſet*, ſed *euerſus eſſet*, videlicet *actum eſſet de illo.* Eadem vero ſignificatione verbum ἀπολέσαι vſurpauit euangeliſta Matthaeus XII, 28. vbi Chriſtum dicentem inducit: *Et nolite timere eos*, *qui occidunt corpus*, *animam autem non poſſunt occidere : ſed potius timete eum*, *qui poteſt et animam et corpus perdere in gehennam.* Φοβηθῆτε δὲ μᾶλλον τὸν δυνάμενον καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ. Quemadmodum igitur apud Matthaeum verbum illud ἀπολέσαι non ſignificat *deſtruere*, ſed

in

in extrema mala coniicere, hoc eſt, in ſempiternas inferorum flammas, teterrimosque cruciatus: ſic et apud Homerum idem certe valet, apud quem Dii numquam emori poſſunt, ſed tamen in tam aerumnoſae vitae ſtatum redigi, vt non vita habenda ſit, ſed crudele quoddam mortis genus, quae inceſſanter perimat, numquam autem deſtruat. Itaque poterant Dii perire, non tamen mori; poterant de coelo expelli, praecipitesque agi, atque in imum Tartari barathrum, vnde nulla emergendi ſpes, deturbari, vt Saturnus et Titanes; non ſecus atque ipſa chriſtianorum theologia docet, malos angelos et ſceleſtorum animas in tenebricoſiſſimum inferorum carcerem detrudi, aeternamque illic mortem pati, quin vmquam moriantur. Tantum ergo abeſt, vt eo loco Homerus ſit reprehendendus, vt potius tamquam theologum ſuſpicere illum debuerit cenſor importunus: quandoquidem fabula illa ſacrarum paginarum veritatem adumbrauerit, perduelliumque angelorum e coelo caſum, de quo alibi diſſeruimus, deſignauerit.

Sed, vt magis magisque huic explanationi lux adferatur, duo placet e diuinis literis adferre loca, ad rem maxime facientia, ac paene ipſum Homericum ſenſum exhibentia, quorum alterum poſterior D. Petri epiſtola ſuppeditat, alterum vero epiſtola D. Iudae. *Si enim Deus*, inquit diuus Petrus II, 4. *angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari etc.* Diuus autem Iudas commate 6. *angelos vero, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei vinculis aeternis ſub caligine reſeruauit.*

Quod vero Homerus Deos habuerit immortales, aeternaque fruentes felicitate, quis vmquam poſſit infitiari? Facit enim Diis poculorum miniſtram Heben, hoc eſt, iuuentutem *Iliad. lib. IV.* vt eorum aetatem ſemper floridam, validam atque integram eſſe ſignificet, vitamque in ipſis, et beatitudinem numquam caneſcere. Deinde, quae de Diis omnibus ex aequo et communiter pronunciauit,

ciauit, notiora ſunt, quam vt multis explicari opus habeant; qualia ſunt *Iliad. lib. XXIV.*

— — — μάκαρες θεοὶ αἰὲν ἐόντες.

Diui felices aeterno temporis aeuo.

Odyſſ. lib. IV.

— — — — ῥεῖα ζώοντες.

— — — *perfacili vita degentes.*

Iliad. lib. V.

Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ᾽, οὐ πίνουσ᾽ αἴθοπα οἶνον,
Τοὔνεκ᾽ ἀναίμονές εἰσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Nam nec edunt fruges, potantue ardentia vina,
Idcirco exſangues ſunt, aeternique vocantur.

Non abs re autem fuerit, optimi adoleſcentes, ſi hanc occaſionem nacti ad veſtram locupletandam eruditionem tria illa expendamus, quae pro frumento, vino et ſanguine Homerus Diis attribuit, *ambroſiam* videlicet, *nectar* et *ichorem.* Quamuis enim Cicero *Tuſcul. lib. I.* ſe minime arbitrari aiebat, ambroſia Deos, aut nectare, aut iuventute pocula miniſtrante laetari; nequaquam tamen damnandus eſt vates, qui haec de Diis, vt ſe humano captui accommodaret, confinxit. Animi ſiquidem beatitas alterius aeui, pura illa, ſimplex et defaecata, et materiei conſortione omnino expers, ſublimior eſt, quam vt hominum mentes, rudium praeſertim atque imperitorum, corporeis tenebris obuolutae adſequi poſſint. Quocirca et ipſe Chriſtus, praeceptor noſter ſapientiſſimus, ſplendidioris conuiuii imagine eam nobis deſcribendam duxit. *Et ego*, inquit, *diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt edatis et bibatis ſuper menſam meam. Luc. XXII, 29.* Et rurſus: *Iam non bibam de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Dei. Marc. XIV, 25.* Equidem fateor, Chriſtum haec longe ſanctius attigiſſe, ac decentius, neque illud mihi in animo propoſitum eſt, vt vatem ethnicum cum

eo componam, perinde quaſi pari ſapientia dicta fere eadem effuderint, ſed cum aliqua in iis adpareat ſimilitudo et conſenſus, digna plane eſſe arbitror, quae a ſtudioſis obſeruentur atque expendantur, neque temere vt leuia ac ſtulta reprehendantur. Sed iam pauca quaedam de ambroſia et nectare diſſeramus, vt, ſi qui adſint, tirones, quid ea ſint, et quomodo a ſcriptoribus vſurpentur, probe teneant: quam quidem cognitionem doctioribus adferre, putidum eſſet ac moleſtum.

Ambroſia igitur Deorum eſt cibus, nectar vero potus. Adpellata autem eſt Ambroſia, vel quia mortales non comedunt, vel quia eos, qui comedunt, efficit immortales. Si quis vero ethnicos hanc Deorum eſcam commentos exiſtimet ex iis, quae de fructu arboris illius vitalis, in terreſtri paradiſo florentis, acceperant, non longe forſitan aberraret a vero. Apud Heſiodum in Theogonia habetur, quod Iupiter, conſentientibus aliis Diis, aeterna lege ſanciuerit, vt, ſi quis Deorum Dearumque periurio Stygis numen violaſſet, integrum annum et aliquot dies nectare et ambroſia careret. Quod certe videtur alludere ad primos humani generis parentes, qui ob admiſſum crimen a deliciis pomarii illius beatiſſimi expulſi ſunt. *Ambroſia alendus* prouerbii loco a Cicerone *lib. II. de Orat. 57.* de eo dicitur, qui vel immortalitate dignus, vel Diis ipſis aequandus eſſe videatur. *Ambroſius* item ſaepe apud poëtas pro diuino atque odorifero vſurpatur *Aeneid. XII.*

Ambroſiaeque comae diuinum vertice odorem
Spirauere; — — — — — —

hoc eſt, ambroſia oblitae, vnguento Deorum: nam non cibum tantum, ſed et vnguentum Deorum ambroſiam dici notauit Seruius. Quamquam vero ambroſia pro cibo maxime vſurpetur, nectar pro potu; Graeci tamen promiſcue et ambroſiam pro nectare, et nectar pro ambroſia ponunt, vt Anaxandridae, Sapphus, et Alcmanis locis comprobat Athenaeus *lib. I.* Ipſum vero Nectar per

trans-

translationem vſurpatur pro quouis vino dulciore, et pro ipſo etiam melle, vt apud Virgilium *Georg. IV.*

— — et dulci diſtendunt nectare cellas.

Baccheum nectar vinum dixit Statius *lib. II. Sylv.* Lucretius autem pro grato odore vſurpauit *lib. II.*

— — — nectar qui naribus alant.

Et Claudianus de nuptiis Honorii *flores nectareos* adpellauit. Quibus omnibus lectiſſimam illam potionem Indicam, non ita pridem nobis diuino munere aduectam, ſcitiſſimo ſapore omnique ſuauitate conditam, addere liceat, illamque ſimiliter nuncupare nectaream. Quis enim, qui palato non vtatur ſtupido, planeque corrupto, cum diuini roris dulcedinem deguſtat, ſpumantemque pateram ſorbillat, non ipſo numinum nectare perfundi, et coeleſti poculo recreari ſibi non videatur?

Iam vero et de *ichore* aliquid dicendum. Dii enim apud Homerum non corpore conſtant, quemadmodum homines, e craſſa materia conflato et faeculento, ſed ſubtili ac ſimplici: quamobrem corruptioni minime ſunt obnoxii, cum per eorum corpora non ille hominum ſanguis glutinoſus perfluat, ſed tenuiſſimus quidam nulla faecis admixtione humor, qui adpellatus eſt *ichor Iliad. lib. V.*

Ιχωρ, οἷοσπέρ τε ῥέει μακάρεσσι Θεοῖσι.
Ichor, qui Diuum felices perfluit artus.

Ad quem verſum alluſiſſe perhibent Alexandrum, dum accepto vulnere ex eius corpore effflueret: ſuis enim adſentatoribus, qui illum Deum, Iouis filium, faciebant, indignabundum exprobraſſe *(Plut. de fort. Alex.)*:

— — — — ἀλλὰ τουτὶ μὲν αἷμα,
Οὐκ ἴχωρ, οἷοσπέρ τε ῥέει μακάρεσσι Θεοῖσι.

videlicet

— — — atqui ſanguis veriſſimus hic eſt,
Non ichor, qualis Diuorum corpore manat.

 Quam-

Quamquam Seneca rhetor non Alexandro, ſed Calliſtheni philoſopho hoc dictum attribuit *Suaſ. prima*, quem et Alexander occidit propter intempeſtiue prolatos liberos ſales. Nam cum Deus vellet videri Alexander, et vulneratus eſſet, viſo ſangine eius, philoſophus mirari ſe dixerat, quod non eſſet

Ιχωρ, οἷόσπέρ τε ῥέει μακάρεσσι Θεοῖσι.

Hunc item Homeri locum, vbi Deos vocat *ἀναίμονας*, hoc eſt, *exſangues*, reſpexiſſe crediderim Anacreontem in ode de cicada

ἀπαθὴς, ἀναιμόσαρκε,
σχεδὸν εἶ θεοῖς ὅμοιος.
Vlla nec aucta carne,
Nec aucta ſanguine vllo
Ipſis abes parum a Diis.

Quis vero non deteſtetur impium Celſi conuicium apud Originem, qui e corpore ſeruatoris noſtri trunco adfixi ichorem manaſſe dixit,

— — *οἷόσπέρ τε ῥέει μακάρεσσι Θεοῖσι,*

perinde quaſi non verum ſanguinem, verumque corpus adſumſerit?

Supereſt modo, vt quatuor hiſce diſputationibus, quibus vatem latenter et diſſimulanter, ac veluti aliud agentem, theologicam doctrinam pertractaſſe demonſtrauimus, tamquam colophonem, addamus epitheti illius explicationem *ἀντίθεος*, *θεῖος*, videlicet *Diis comparandus, diuinus*. Namque illud poëta ſaepiſſime ac nimis intemperanter, vt cenſent nonnulli, tum hominibus, tum ceteris rebus adfigit, vt ea prodigentia diuinitatem ipſam ſiue contemnere, ſiue eleuare videatur. Atqui ego contra, quam iſti exiſtimant, ſentio. Cum enim epitheton illud vſurpet ad praeſtantiam, pulcritudinem, magnitudinemque rei declarandam, mihi ſapienter innuere viſus eſt, omnem boni plenitudinem in ſummo Deo vnice cumulari, ex eaque, tamquam ex vbertimo perennique fonte parti-

particulam aliquam ad res creatas profluere, quae proinde, ſi quid vnquam boni, praeclari atque admiratione digni habeant, ab impertiente Deo accipiant, quod quidem, nedum diuinitatem imminuat, mirum in modum amplificat, extollitqne. Hoc plane ſenſu et *montes Dei* in ſacris eloquiis legas, hoc eſt, in arduos adſcenſus erectos, et *cedros Dei*, ſcilicet proceriſſimas. Iacobus ſimiliter ad Eſauum inquit *Geneſ. XIII, 10. Vidi faciem tuam, quaſi viderem vultum Dei.* Et ipſemet Deus ad Ioſephum *Exod. VII, 1. Ego conſtitui te Deum Pharaonis.* Nec illud Dauidis praetermittendum eſt *Pſalm. LXXXI, 7. Ego dixi: Dii eſtis, et filii excelſi omnes.* Dii etiam paſſim in ſacris paginis adpellantur magiſtratus, ſummique reipublicae adminiſtratores. Atque hinc probe aliud epitheton interpretari poterimus ſcilicet ἱερὸς *ſacer*, quo frequenter pro *magno* vtuntur Graeci, et poſt eos Latini, qui morbum *ſacrum* dixerunt, aut etiam *diuinum*, piſcem *ſacram*, ancoram *ſacram*, id eſt maximam ac firmiſſimam. Quapropter *auri ſacra fames* apud Maronem non eſt fames exſecranda, vt plerique e vulgo interpretes exponunt, ſed immodica atque inexplebilis.

DISSERTATIO XXXIII.

IN QVA EA LOCA EXPENDVNTVR, IN QVIBVS LVCVLENTISSIME THEOLOGVS EST.

SYNOPSIS.

Culpa lumen Dei obſcurauit, non exſtinxit. Tum propter inſcitiam, tum propter morum corruptelam in Deorum falſorum cultum homines ſunt prolapſi. Etiam inter ethnicos nonnulli recte ſenſerunt de Diuinitate. In his Homerus maxime elucet. Iouem, in quo ſummum Deum agnoſcit, patrem vocat hominumque Deorumque. Cur vero faciat ipſum Saturni filium. Iouis imperium liberum eſt, et ex ipſo tantummodo pendens. Nil poſſe ceteros Deos contra Iouis con-

ſilium. Iupiter fati arbiter. Luculentum ſpecimen diuinae maieſtatis in Neptuno. Cur dicatur Iupiter inhabitare nigras nubes, et eſſe mentis tortuoſae. Notantur tria ad excitandam dignam de diuinitate opinionem; primum in Iunonis incredibili pernicitate, alterum in Neptuno vociferante, tertium in Minerua leni oris flatu ab Achillis corpore Hectoris haſtam, quam toto impetu eiaculatus erat, depellente. Cur ad tam multas diſputationes haec de Diis Homericis tractatio protracta ſit. Diuinae literae tantum Homero praeſtant, quantum verum aurum adulterino.

Cum Deus hominem condidit, lumine vultus ſui mentem eius clariſſime colluſtratam voluit. Verum tenebras ſtatim offundente culpa, quam communis generis humani parens olim patrauit, non parum tulit iacturae lumen illud emicantiſſimum, neque tamen omnino exſtingui contigit, ita, vt, quod eiuſce luminis veſtigium aliquod in omnibus hominibus diuino plane conſilio remanſerit, Dei ignorationem nulla vmquam excuſatione protegi poſſe, diſerte dixerit diuus Paulus *Rom. I, 20.* Fateor quidem, homines inſcitiae tenebris obuolutos, vitiorumque coeno miſerrime demerſos verum Deum e conſpectu facile amiſiſſe, et ad colendos falſos Deos turpiſſime eſſe prolapſos. Non defuerunt tamen ex iis, qui eius luminis auxilio, quod Deus omnibus impertitur, probe vſi, vel in mediis ethnicorum ſuperſtitionibus, quibus a teneris vnguiculis imbuti fuerant, veram Diuinitatem agnouerunt, deque ea ſenſerunt ac diſputarunt, vt par eſt. Inter hos Homerus maxime elucet, qui, quamuis, de Diis diſputans, patriae religionis fabulas paſſim ſit conſectatus, de Diuinitate tamen ipſa, diuiniſque rebus atque attributionibus huiusmodi dicta paſſim effudit, quae virum adprime theologum illum commendent; neque id tantum ſub figurarum atque aenigmatum velamine praeſtitit, ſed ita aperte non raro atque euidenter, vt ſaltem animo adhaeſiſſe illum ſolidae veri numinis religioni, et a futili tot inanium Deorum abhorruiſſe non imprudenter arbitreris. Equidem ad hanc veri numinis agnitionem pertigiſſe puto, vel quod mentem capaciorem, incredibilemque ingenii vim ſortitus

tus fuerit, vel quod Hebraeorum doctrinam ſacris voluminibus demandatam largiter hauſerit. Adeſte igitur aequis auribus, quemadmodum conſueſtis, optimi auditores, dum hodie tractationis huiuſce, quae longiuſcule protracta eſt, extremam partem abſoluimus. Spero enim, ea, quae dicturi ſumus, vt vatem noſtrum theologum manifeſte ſe praeſtitiſſe demonſtremus, vos vltro fore probaturos, neque me accuſaturos, perinde quaſi immodico, quo vatem hunc proſequor, ſtudio me abripi ſinam, et ad aliqua de eo adfirmanda impelli, quae veritati minime conſonent, ſed luculenta exaggeratione aucupentur fidem, fucumque audientibus faciant.

Principio extra omnem controuerſiam poni videtur, quod ſupremum vnum Deum, omnium auctorem et conditorem, agnouerit in Ioue, cum omnes ex eo originem trahere adfirmet, patremque illum adpellet hominumque Deorumque, πατὴρ ἀνδρῶντε θεῶντε. Quapropter in vetuſtis aris dicitur *Exſuperantiſſimus.* Verum, inquies, Iovem vbique fere vocat Saturnium, hoc eſt, a Saturno procreatum. Nae, o bone: ſed tunc vt poëta phyſicus diſſerit. Saturnus enim tempus eſt, qui filios omnes necat, omnia ſcilicet conſumit. Iupiter vero, Iuno, Neptunus et Pluto quatuor ſunt elementa, quae pater non deuorat, tempus videlicet non conterit; quae profecto nunc longius explicare non vacat, quia hodiernae diſputationis argumento non congruunt. At Iouis ſummum imperium, cum de eo, vt maximo numine, theologice loquitur, quod liberum ſit, ſuique omnino iuris, et a ſeipſo tantummodo pendeat, praeterea ab alio nemine, non ſolum ſignificauit aureae illius catenae imagine, de qua ſuo loco affatim diſſeruimus, ſed etiam apertiſſimis verbis Iliadis libro decimo quinto, vbi Iunoni, ſibi parere detrectanti, maxima, qua pollebat, auctoritate loquens, cuncta ſigillatim edicit, quae in Troiano bello euentura decreuerat, quaeque omnia re ipſa contigerunt, nihil contra valentibus ceteris Diis, qui conſilio Iouis aduerſabantur. Quod liquido idem eſſe conſtat, atque id, quod

diuina eloquia teſtantur, *non eſſe conſilium contra dominum Prouerb. XXI, 30.*

Quod autem Iouem non fecerit fato obnoxium, ſed contra fati dominum atque arbitrum, quod fatum, vt alibi oſtendimus, ipſum eſt Dei decretum, in eius poteſtate ſitum, luculenter docet libro decimo ſexto, vbi Iunonem inducit, percontantem ex Ioue, an ſibi libuerit Sarpedonem e fati manu eripere. Quae verba clare innuunt, fato imperare Iouem, non vero ipſum fati legibus ſubdi. Iouem etiam adpellat ſaepiſſime κελαινεφέα, nigras ſcilicet nubes inhabitantem, et ἀγκυλομήτην, obliqui nempe conſilii; quod certe ſignificat, Dei conſilia hominum mentes nequaquam adſequi poſſe, nec eius anfractuoſas ſemitas, vt monet apoſtolus *Rom. XI, 33.* perueſtigare, quemadmodum et Dauid de Deo dixit *nubes et caligo in circuitu eius Pſalm. XCVI, 2.*

Sed quam egregium diuinae maieſtatis ſpecimen in Neptuno dederit, e ſummo vertice nemoroſae Sami deſcendente, trementibus interea montibus et ſiluis, dum immortalibus Dei plantis premerentur, facile poterit quisque per ſe ipſum agnoſcere, qui locum illum adeat ſub initium libri decimi tertii, eiusque pulcritudinem probe inſpiciat et perpendat.

De diuinitate ſimiliter, vt aequum eſt, cogitare, atque omne decorum ſeruare viſus eſt, cum incredibilem pernicitatem deſcribit, qua Iuno e monte Ida Olympum repetit. *Iliad. lib. XV.* Ait enim, tanta illam rapiditate ad Olympum ex Ida remeaſſe, quanta viri mens diſcurrit, qui, multis ac maximis itineribus confectis, huc atque illuc cogitatione repente tranſuolat, memoria repetens longiſſime inter ſe diſtantes regiones, quas peragrauit.

Maximam etiam de diuinitate opinionem ingerit, cum vociferantem facit Neptunum *Iliad. lib. XIV.* tanto clamore, quantum hominum nouem aut decem millia ederent; quod plane aliud eſt, quam Stentoris clamor, qui voce ingenti, quam valebat emittere, quinquaginta clamantes homines aequaſſe fertur, quare χαλκόφωνος adpellatus

latus eſt. Nec non Minerua, quae leni oris flatu ab Achillis corpore haſtam depellit, *lib. XX. Iliad.* ab Hectore toto impetu coniectam, atque in ipſum Hectorem regredi facit, eiusque ad pedes accidere, magnam excitat de potentia, quae diuinitatem comitatur, exiſtimationem. Sed quid immoror in recenſendis ſingulis ac deſcribendis? Nullum finem dicendi faciam, auditores, ſi cuncta perſequi velim, atque expendere ſingulatim. Itaque conſultius ſit, ſi ea loca, quibus de Deo diſputat, ac diuina pertractat, nullaque reprehenſione theologus eſt, fere omnia, aut certe pleraque cogendo et coaceruando, leviter curſimque perſtrinxerim; quod tamen puto fore ſatis ad id, quod contendo, manifeſtiſſime demonſtrandum.

Docet igitur, quod Deus dator ſit omnium bonorum, diſpenſet hominibus tum bona, tum mala, ſupplicum, pauperum, peregrinorumque tutor ſit, ac vindex. Docet, quod pios exaudiat; videat, et nouerit omnia, praeſentia, praeterita et futura; quod nequaquam eum lateant, quae iuſte vel iniuſte fiunt; quod improbos certo puniat, licet plerumque ſero; quod eos detrudat in Tartarum; quod quaſi peregrinatione terras luſtrans, omnia inſpiciat, perpendat, examinet; quod oderit mala opera, quod mendacia haud quaquam probet; quod, iratus populo, vna cum noxiis perſaepe plectat innoxios; quod e ſapientibus faciat ſtultos, et contra; quod ſuam vnicuique ſortem diſtribuat; quod non omnia omnibus det; quod probe notus ſit ex operibus; quod vnum attollat, et deprimat alterum, et omnia ſuo diſponat arbitratu; quod robur et fortitudinem det, externamque proſperitatem, idque tum bonis, tum malis, prout ipſi libuerit. Docet, quod coelum et terram creauerit; quod propter iniquitates immodicos imbres et tempeſtates immittat; quod ſuis ſemper et vbique praeſens ſit, eosque extra periculi aleam collocet; quod dolores decreuerit hominibus, ipſe curarum expers; quod deliberantibus conſilia ſuggerat; quod immutabilis ſit, omnipotens, incomprehenſus, inuiſibilis, ſapientiſſimus. Docet, magiſtratus eſſe a Deo; Deum

eſſe ſequendum, vt ex eo proinde effluxerit effatum illud vnius e ſeptem Graeciae ſapientibus: *Deum ſequere.* Docet, Deo non eſſe reſiſtendum, nec cum eo concertandum, ſed ei ſacrificandum, dandum liberaliter, obediendum; Dei poteſtatem ſummam eſſe, adſpectum terribilem, iram grauem et tremendam; Dei dona quiete vtenda, non praue abutenda; Dei patrocinium populorum eſſe confidentiam, et ad remotiſſima quaeque loca ſeſe extendere. Docet, quod, qui Dei auxilio confidit, nihil deſperet; qui Deo carus eſt, ceteris praeſtet; qui Deo inviſus eſt, hoſpitio non ſit excipiendus; quod Deo auſpice fidendum; non probante, nihil tentandum; quod, inuito Deo, nihil ſuccedat, aut non perſtet diutius; quod Deo omnes indigeant; quod Dei nemo ſit conſiliarius; quod Deo homines non comparandi; quod Deo res permittendae; quod improborum ſupplicia, Deum eſſe, demonſtrent.

Videtis, auditores, in hac tam celeri feſtinatione, quae me, rotae proniue gurgitis modo, rapit, neque vmquam patitur conſiſtere, mihi nequaquam licuiſſe, ipſa Homeri verba vobis adferre, adactumque fuiſſe, vt multa potius paene neceſſaria praeterirem, quam ſuperuacanea amplecterer. Cum enim ad finem properem, quod verear, ne prolixioris orationis magnitudine moleſtiam vobis exhibeam, pleraque quidem delibaui, ſed non pauca ob praecipitantiam omiſi. Si quis autem omnium earum rerum, quas de diuino numine Homerum docere modo adfirmauimus, loca ipſa pernoſcere ipſemet cupiat, ſuisque ipſe oculis explorare, ne forte videamur vobis imponere atque incerta pro certis obtrudere, Iacobum Duportum, virum eruditiſſimum, conſulat, eiusque excerptarum ex Homero ſententiarum ſyllabum, ad operis calcem, cui titulum fecit *Gnomologiam Homericam,* adpoſitum legat, qui, vbi omnia ea loca apud Homerum quaeri oporteat, accuratiſſime docet, ac veluti digito commonſtrat. Nonne vero ea omnia, quae aceruatim congeſſimus, etiam diuinae literae, etiam religio noſtra ſanctiſſima de Deo praedicat et confitetur? Ecquis amplius dubi-

tare poſſit, Homerum, qui vatem phyſicum ac moralem de Diis diſſerens ſaepiſſime ſe praeſtitit, vt ſuperioribus diſputationibus demonſtrauimus, non raro etiam vatem theologum atque in eo genere paene abſolutum ſe praeſtitiſſe? Sed quoniam veris falſa in ſuis carminibus remiſcuit, prauaeque ethnicorum religionis, quam ſaltem extrinſecus profitebatur, Deorum fabulas, ſpecie quidem abſurdas, enarrauit, eleganterque deſcripſit, opus eſt, vt, qui eum legit, ex multo earum fabularum luto, ſiue etiam mauultis dicere ſtercore, aurum ſtudioſe colligat veritatis. Neque miremini, optimi iuuenes, tam multum me fuiſſe in iis enucleandis atque explicandis, quae de Diis Homerus habet. Id enim mihi maxime propoſitum fuit, vt e veſtris animis ſcrupulum euellerem, qui fortaſſe iniectus erat, Homerum paſſim in diuinitatem furere atque inſanire. Quod fuiſſet in cauſſa, vt ad eius ſtudium minus alacres vos conferretis, horrorique haberetis ob impietatem, quam ferme vbique in Deos praeferre ſuſpicaremini. Faſſus equidem non ſemel ſum, iterumque fateor, multas Homerum vſurpaſſe fabulas plane turpes atque in diuinitatem contumelioſas, quae tamen non ab illo excogitatae ſint, ſed a vulgi opinione acceptae; ſed has facile vel ad naturae, vel ad morum doctrinam explicari poſſe oſtendimus. Fateor inſuper, quamuis plura illum effatum eſſe de Deo docuerimus, diuinarum literarum doctrinae permultum adfinia, diuinas tamen literas, cum de Deo ſermonem habent, longe eſſe illo praecellentiores, tantumque eum vincere ac ſuperare, quantum verum aurum adulterino praeſtat. Sed tamen mirum eſt, miſerum virum ethnicum, qui tot inter ſuae gentis errores verſabatur ac fluctuabat, potuiſſe identidem tam bene de Deo philoſophari, vt, qui eius dicta excutere valeat et intelligere, non parum hac etiam in parte eius ſapientiam probare cogatur ac demirari.

DISSER-

DISSERTATIO XXXIV.

DE VESTIBVS RELIQVOQVE CORPORIS ORNATV DE LECTIS ET DE CONVIVIORVM RITIBVS.

SYNOPSIS.

Ratio veſtiendi ſimplex ac parabilis fuit priſcis. Tunica et laena. Pro laena vtebantur etiam pallio. Feminae ſuperimponebant tunicae peplum. Cingulis tum viri, tum feminae veſtes adſtringebant. Nullus annulorum vſus apud Homerum. Manus et tibiae plerumque nudae. Semel vates nominat χαρίδας. Qua occaſione vterentur calceis et tibialibus. Sandalia propria erant feminarum. Quale fuerit capitis integumentum viris et feminis. Comae ornatus. Flauus color laudatus in coma. Capilli Graecorum prolixi. Etiam Iſraëlitarum. Crines puluere aureo reſperſi. Cicadae aureae capillitio inſertae. Tertulliani inſignis locus, vbi cultum capillorum in feminis perſtringit. Graeci iuuenes comam patriis fluminibus ſeruabant, Achilles dedicauit ſuam Patroclo exſtincto. Primitias corporis in tonſura capillorum Clerici apud Graecos ſe putant Deo offerre. Lecti cur dicantur apud Homerum perforati. Eorum compoſitio. Etiam in pellibus et foliis dormiebatur. Χαμαιευνίαι; id eſt, humi cubationes *Qua cuique menſa in conuiuio adponebatur. Nullus apud Homerum vſus linteorum et mapparum. Spongiis menſae perpurgatae. Sedilium diſcrimen. Varia officia conuiuis deſeruientium explicantur. Inuitamenta ad bibendum. Libationes, et linguarum inciſio. Tres in die libationes. Conuiuia, veſpere incoepta, ante noctem deſinebant. Apud Phaeaces ad multam noctis partem producta. Nox cur dicta* intempeſta et concubia. *Homines heroicis temporibus ſimul cum aurora exoriente e lectis ſurgebant. Quas conuiuiorum reliquias ancilla penuaria reconderet, et in quem vſum.*

Satis de re veſtiaria Ferrarium et Rubenium, ſcriptores luculentiſſimos, pertractaſſe puto. Nihilominus meum poſtulat inſtitutum, optimi adoleſcentes, vt, quae de veſtibus, reliquoque corporis ornatu habet Homerus, breuiter perſtringam, vobisque ob oculos ponam. Horum enim

enim praenotio quaſi facula vobis erit ad Homericum ſenſum in huiusmodi deſcriptionibus non leuiter implexis expediendum. Addam deinde non nihil de lectis, et de conuiuiorum more; quae ſane omnia antiquae eruditionis ſtudioſis et ſcitu neceſſaria ſunt, et iucunda.

Primum omnium animaduertite, quam ſimplex, facilis, parabilis veteribus fuerit veſtiendi ratio. Χιτὼν ſiquidem, id eſt, *tunica*, corpus amiciebat interius: exterius vero χλαῖνα, quam Latini dixere *laenam*, craſſius veſtis genus ad arcendum frigus. Hanc diuerſis in locis varie adpellat poëta pulcram, magnam, purpuream, hirſutam, valde denſam, duplicem, id eſt, non altero panno ſubſuto, ſed ea amplitudine, qua poſſet dupliciter corpus obuolui. Tamen laenas etiam ἁπλοΐδας, *ſimplices*, aliquando nuncupauit. Pro laena vſurpabant ſaepe φᾶρος, quod ſcholiaſtes dixit ἱμάτιον, interpretes vero latini *pallium*. Sic Nauſicaae ancillae *Odyſſ. lib. VI.* Vlyſſi naufrago, et ad littus eiecto, pallium tunicamque, quibus indueretur, adpoſuerunt.

Πὰρ δ' ἄρα οἱ φᾶρος τε, χιτῶνά τε εἵματ' ἔθηκαν.

Multisque aliis in locis huiusmodi φάρεα, *pallia*, memorantur a vate. Quid de mulieribus? Tunicae, quam habebant communem cum viris, et ἐχέσαρκον vocauit Athenaeus *lib. XIII.* id eſt, *carni haerentem*, πέπλον *peplum* ſuperimponere conſueuerunt, qui in longum deſinebat ſyrma; quare Troades paſſim dictae εὔπεπλοι et ἑλκυσίπεπλοι, *longa ſyrmata trahentes.* Quos peplos cingulis corpori adſtringebant, quemadmodum etiam viri laenas, praeſertim in bello. Cingulum, ζωνὴ Homero dictum, interdum μίτρη, quale habuit Mars *Iliad. lib. V.* et Menelaus *lib. XI.* Ζωνὴ παρθενικὴ puellarum propria erat: hinc zonam ſoluere dicebantur, cum primum ad virilem congreſſum pararentur.

Manus et tibias habuerunt veteres plerumque nudas, nullumque vſum fuiſſe annulorum apud Homerum, notauit Plinius *lib. XXXIII, cap. 2.* Semel, quod ſciam, χειρῖδας, quas nunc chirothecas dicimus, nominauit Homerus,

merus, vbi nempe eas ſeni Laërti attribuit *Odyſſ. lib. XXIV.* ne agrum excolens, dumis laederetur: eo enim ab vrbe ſecedens ſe abdiderat, vt vitam moeroris et ſqualoris plenam ageret, Terentiani Menedemi inſtar, quod abſentem tot annos filium ſuſpicabatur iam periiſſe. Ex qua materia χειρίδες illae eſſent confectae, Homerus non dixit, etſi contendit Euſtathius, fuiſſe ex pellibus, cui non repugno. Nam, eumdum Laërtem ocreis bubulis tibias habuiſſe communitas, vates tradit, eamdem ob cauſſam, vt reor, qua et contectas habuit manus; fortaſſe etiam, vt aetate grauiſſima vtrasque a frigore defenſaret. Sic etiam pedibus calceos, et cruribus tibialia inducere antiqui moris non fuit, niſi cum longum ſuſcipiendum erat iter, aut egrediendum ad bellum. Cum autem calceos inducerent, ſubligabant: paſſim enim apud Homerum legitur:

Ποσσὶ δ᾽ ὑπαὶ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.

Σανδάλια, ſiue σάνδαλα, calceamentum fuiſſe mulierum, docet Heſychius. Hinc Omphale dicitur in Terentii Eunucho caput Herculi commitigaſſe ſandalio; quod idem tradit Lucianus. Nihilominus de Mercurio, abigere parante Apollinis boues, narrat Homerus in hymno (ſi tamen hymnorum putandus eſt auctor), induiſſe σάνδαλα κοῦφα, *leuia ſandalia.*

De capitis integumento modo dicendum. Nullum profecto pileum, quali nos vtimur, in Homero reperire licet; quod certe mirum eſt. Nam Heſiodus, Homero ferme coaeuus, pileum memorat *in Oper.*

— — — — κεφαλῆφι δ᾽ ὕπερθεν
Πῖλον ἔχει. — — — — —
— — — *capiti autem deſuper aptum*
Pileum habet. — — — — —

Πῖλον, *pileum*, quidem ſemel Homerus nominat *Iliad. lib. X.* ſed eo nomine intelligit coactile illud ex lana villisque, quod mediam galcae partem interius obibat, ne capiti eſſet grauior.

— — — μέσσῃ δ᾽ ἐνὶ πῖλον ἀρήρει.

Cete-

Ceterum ex Homero diſcimus, nullum aliud operimentum capitis fuiſſe viris, quam galeam. Cum vero apud eum legamus galeas non ſolum ex aere, alioue metallo, ſed pelle etiam confectas, putamus, homines illius aeui extra bellum hiſce caput operuiſſe, quandoque etiam in bello. Cum enim Diomedes et Vlyſſes, ad explorandum in hoſtium caſtra ituri, armarentur, Traſymedes dicitur Diomedi galeam impoſuiſſe ταυρείην, *taurinam*, ſine cono, et criſta, quae καταῖτυξ vocabatur. *Iliad. lib. X.* Vlyſſis vero pater ruri geſtabat αἰγείην κυνῆν, *caprinam galeam Odyſſ. lib. XXIV.* Amiculum capitis mulieribus fuit καλύπτρα. De Calypſone ſiquidem et Circe agens ait:

— — — κεφαλῇ δ' ἐπέθηκε καλύπτραν.

Quam καλύπτραν *flammeum* latine dici poſſe putauerim.

Quae cetera fuerint capitis ornamenta, et docet Iuno, ad fallendum Iouem, in monte Ida ſedentem, ſe ornans, *Iliad. lib. XIV.* et procorum dona, Penelopae oblata *Odyſſ. lib. XVIII.* Itaque ἄμπυξ faſcia fuit, ſub qua capilli erant colligati, ſic fortaſſe dicta διὰ τὸ ἀμπέχειν τὰς τρίχας. κεκρύφαλον reticulum, quo plexa coma diſtringitur, ne diffluat. Κρήδεμνα vittae capitis, quae ad humeros vsque demittebantur, et genas velabant. Tale quid etiam fuit ὀθόνη. Ερματα inaures. Ελικες quid ſimile fuerunt. Κάλυκες aurei tubuli, quibus cincinni redimiebantur. Ορμος monile, collo iniectum. Coronas quoque geſtaſſe mulieres, liquet ex clypei, a Vulcano conſtructi, deſcriptione *Iliad. lib. XVIII.* vbi choream effinxit adoleſcentium et virginum formoſiſſimarum.

Καὶ ῥ' αἳ μεν καλὰς ϛεφάνας ἔχον. —

Illae pulcra quidem geſtabant vertice ſerta.

Ex quibus licet inferre, mundum muliebrem nullo non tempore vſu receptum fuiſſe, illudque Terentii: *noui ingenium mulierum; dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt,* etiam de antiquis feminis ab eius aetate remotiſſimis dici potuiſſe. Ornandae comae non ſolum mulieres, ſed viri

viri ipſi erant ſtudioſi; quod tamen, ſi mollius ac delicatius nimis attenta cura fieret, vitio viris vertebatur. Paridi enim, veluti effeminato, coma obiicitur ab Hectore et Diomede *Iliad. lib. III. et XI.* Cincinnos, πλοκάμους, πλοχμοὺς, paſſim praedicat vates in Iunone, aliisque feminis. Quod autem cincinnos inſtar cornu Paris ſolebat conformare, dicterium illud in eum iactatum *Iliad. lib. XI.* κέρ' ἀγλαὲ, *o cornibus decore.*

Color flauus maxime laudatus in coma: hinc paſſim dicitur ξανθὸς Μενέλαος, *flauus Menelaus.* Ceterum epitheto illo, καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ, *bene comati Graeci*, quod ſaepiſſime in Homero offenditur, potius prolixam, quam ornatam comam notari iudico. Etiam Iſraëlitae ad multam demiſiſſe longitudinem capillos dicuntur apud Ioſephum *Antiquit. lib. VIII. cap.* 7. μήκιςας καθειμένοι χαίτας, et iuuenes Salomonis inſigniter prolixos capillos aureo puluere et vnguento reſperſiſſe. Notatur apud Homerum, Graecos ſimiliter crinibus implicare aurum fuiſſe ſolitos. Athenienſibus autem hoc fuit patrium, qui cicadas aureas capillitio inſerebant. Simile quid de L. Vero refert Iulius Capitolinus, nimirum tantam illum habuiſſe curam flauentium capillorum, vt capiti auri ramenta reſpergeret, quo magis coma illuminata flaueſceret. Hic autem inoportunum nequaquam puto, ſi locum ex Tertulliano vobis adferam, optimi iuuenes, vbi vehementiori acriorique dicendi genere, quod ei proprium ac familiare fuit, perſtringit luxuriantem cultum feminarum ſui aeui capillis adhibitum; hinc enim ornandae comae vani, antiquique ritus magis ac magis liquebant. *Quid crinibus veſtris*, inquit, *quieſcere non licet*, *modo ſubſtrictis*, *modo relaxatis*, *modo ſuſcitatis*, *modo eliſis? Aliae geſtiunt in cincinnis coërcere*, *aliae*, *vt vagi et volucres elabantur non bona ſimplicitate. Adfigitis praeterea neſcio quas enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum*, *nunc in galeri modum*, *quaſi vaginam capitis et operculum verticis*, *nunc in ceruicem retro ſuggeſtum.* — — — *Vos plane adiicitis ad pondus collyridas quasdam, ſputorum vmbilicos ceruicibus adſtruendo. Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti*

namenti lib. de cult. fem. Illud etiam ſilentio non praeteribo, Graecos iuuenes comam aluiſſe, vt deinde patriis fluminibus abſcinderent, vtpote quae ex humore naſcatur. Quamobrem de Achille Homerus narrat, quod Sperchio comam ſeruaret, vbi in patriam eſſet reuerſus; quam tamen pietate occiſi Patrocli ſibi demſit, eiusque funeri dedicauit. Cum vero veteres Graeci putarent, tamquam corporis primitias, offerri oportere fluuiis comam, hinc fortaſſe factum, vt in eccleſia graeca iuuenes capillos tondentes, priusquam ordinibus initientur, hunc eumdem ſcopum reſpiciant, offerendi Deo primitias corporis, vt tradit Simon Theſſalonicenſis *lib. de ſacram.* ὅτι αἱ τρίχες ὅλου τοῦ σώματος ἐξανθήματα ἐςὶ, καὶ ἀπαρχὴ τῷ Θεῷ, *quia capilli totius corporis ſunt pulluli et primitiae, Deo oblatae.* Quamquam vero Latini tonſuram clericorum aliter interpretentur, eaque putent vanarum et futilium rerum ſignificari reiectionem; tamen Graecorum quoque interpretationem bonam eſſe, valdeque commendandam, nemo non dixerit.

Iam vero de *lectis*, quod polliciti ſumus, pauca diſſerenda. Λέχεα τρητὰ *lectos perforatos* ſaepe dixit Homerus, quod foramina haberent in ſpondis, ſiue fulcris ligneis, per quae funiculi ex loro hinc atque illinc conſerebantur ad ipſum lectiſternium ſuſtinendum. Haec fulcra vocauit ἑρμῖνας, inducitque *Odyſſ. lib. XXIV.* Vlyſſem narrantem, quomodo ex olea lectum olim ipſemet fabricauerit, auroque, et argento, atque ebore exornauerit. Quia vero id, quales ſunt mores ſubſecutarum aetatum, virum regem dedecere videtur, obiectioni huic occurremus, vbi, Odyſſeam explicantes, de nauicula, quam lignis, a ſe ipſo ſciſſis ac dolatis, confecit, vt a Calypſone diſcedens in patriam reuerteretur, ſumus verba facturi. Vbi, quae lectum componerent, vates narrat, haec tria ſaepe nominat, *culcitras*, plumis, tomento, aut alia re fartas, *laenas et ſtragula ſplendida.*

Δέμνια, καὶ χλαῖναι, καὶ ῥήγεα σιγαλόεντα.

Nihilominus τάπητας, *tapetes*, etiam nominat tribus in locis, in quibus accuratius ac ſubtilius lectos deſcribit, videlicet, vbi Achilles iubet ſterni lectum Priamo *Iliad. lib. XXIV.* Helena Telemacho *Odyſſ. lib. IV.* Arete Vlyſſi *Odyſſ. lib. VII.* Ex quibus colligi poteſt, culcitras et ſtragula lectum ſtrauiſſe, vt eſſet mollior; laenas vero paratas eſſe ad induendum, tapetes ad tegendum. Homeri imitatione de Rhamnete ait Virgilius *Aeneid. lib. IX.*

— — — qui forte tapetibus altis
Exſtructus toto perſlabat pectore ſomnum.

Quia vero ſaepe, vt modo notabamus, tapetes Homerus non memorat, putarim, laenas fuiſſe etiam lecti operimenta, earumque vſum fuiſſe et ad operiendum, et ad induendum, qualibus etiam nos veſtibus, quas cubiculares vocamus, aut domeſticas, in vtrumque officium vti conſueuimus. Tapetas apud Homerum fuiſſe etiam pulvinos, clare liquet: nam Adreſta *Odyſſ. lib. IV.* fert Penelopae ſellam, Alcippe tapetem; Euryclea vero *Odyſſ. lib. XX.* iubet ancillas, ſellas tapetibus inſtruere, et Achilles ad ſe miſſos ab Agamemnone oratores in ſellis ſtatuit, tapetibus inſtructis *Iliad. lib. XI.* Tapes Diomedi fuit pro ceruicali, in pelle bouis agreſtis dormienti *Iliad. lib. X.* Nam etiam in pellibus dormire homines fuiſſe ſolitos, narrat vates non tantum boum, ſed caprarum et ouium. Laërtes vero foliis ſubſtratis ruri decumbebat. *Odyſſ. lib. XI.* Pellem et folia iunxit Virgilius *Aeneid. lib. VIII.* vbi pauper Euander:

— — — anguſti ſubter faſtigia tecti
Ingentem Aeneam duxit, ſtratisque locauit
Effultum foliis, et pelle Libyſtidis vrſae.

Singularis mentio lini in lecti operimentis occurrit *Odyſſ. lib. XIII.* vbi Phaeaces ſtrauiſſe dicuntur hoſpiti Vlyſſi ſtragulum et linum

— — — στόρεσαν ῥῆγός τε, λῖνόν τε.

Χαμαι-

χαμαιεύνας vero vocat humi cubantes *Iliad. lib. XVI.* Hinc χαμαιευνίαι humi cubationes dictae maxime apud ſcriptores ſacros. Quantum ad morem conuiuiorum, (nam de cibo potuque ſatis diſputauimus diſſertatione XVII), ſua menſa adponebatur cuique conuiuae. Cum vero dicat Homerus, menſas apud conuiuas extendi

— — παρὰ δὲ ξεστὴν ἐτάνυσσε τράπεζαν.

hinc infert Feithius, fuiſſe oblongas. Neque ſolum laevigatae erant ſedulo artificis dolabra, ſed ſpongiis etiam ancillae eas adſidue perpurgabant, mundabantque. Nullus enim tunc fuit linteorum, mapparum aut mappularum vſus, ſicut nec furcillarum, aliorumque ſimilium inſtrumentorum. Cuius ſimplicis moris veſtigia adhuc ſuperſunt apud Indos, et pleroſque orientis populorum, teſte Salmone, qui a conuiuio ſurgentes ſordes, quae ſibi, cibos contrectantibus, adhaeſerunt, lauacro tollunt.

Throni et ſedilia, θρόνοι, κλισμοίτε, quorum mentio paſſim occurrit apud Homerum, in eo videtur differre, quod thronis adderetur ſcabellum, ſeu fulcrum pro pedibus, et praeſtantibus conuiuis darentur, ſedilia illo carerent, minusque dignis parata eſſent. Vlyſſi vero, ſub mendici forma latenti, data eſt in conuiuio procorum ſeorſum ab aliis ſella vilior, δίφρος. Antequam menſae adſiderent, ancilla aquam ex gutto effundebat ſuper lebetem ad lauandas manus. Ancillae item panes expediebant e vimineis caniſtris. Pueri crateres potu coronabant, et ſingulis conuiuis adſtantes aequalia pocula miniſtrabant. Ex aequo etiam diſtribuebat carnes in lancibus δαιτρὸς, hoc eſt, coquus, aut alius quiſpiam illis diuidendis praefectus; ex quo menſas vbique vates aequales vocat. Nihilominus largior carnium portio, et maiora ac pleniora pocula ſaepe dabantur principibus viris. Cum vero ad bibendum ſeſe inuitarent, praeguſtatum poculum ſibi mutuo porrigebant, quod apud noſtrum vatem dicitur δειδίχεσθαι, vt cum *Iliad. lib. IV.* narrat, Deos aureis poculis ſeſe mutuo excepiſſe

— — — — — χρυσέοις δεπάεσσι
Δειδέχατ' ἀλλήλους. — — — —

Quem morem bibendi ex eodem poculo in eiusmodi conuiualibus inuitamentis clare explicat Plautus in Curculione:

Propino militi magnum poculum, ille ebibit.

Antequam e conuiuio abirent, Diis libare, et linguas incidere in more habuerunt. Primum perpetuo factitatum, alterum non ſemper. Putat Feithius, ſcholiaſtae auctoritate fultus, illam linguarum inciſionem adhiberi conſueſſe praecipue ab eloquentiae ſtudioſis. Ego vero memini me legere, expiationem fuiſſe, ſi quid forte inter conuiuandum lingua peccatum eſſet; quae quidem interpretatio magis arridet.

Cibus ſumebatur mane, meridie, veſpere; quae tres cibationes dictae ſunt ἄριστον, δεῖπνον, δόρπον. Iuſtum tamen conuiuium fere celebrabatur veſpere; ac deinde mutato nomine, non meridiana, ſed veſpertina cibatio vocata eſt δεῖπνον, quaſi διαπεπονημένον, hoc eſt poſt laborem acquiſitum. Quamquam vero tria illa tempora diei erant victitando deſtinata, bene tamen animaduertit Feithius ex Athenaeo *lib. V.* nullum oſtendi apud Homerum, qui ſimul eodem die ter cibum ſumſerit. Qui duabus pricibus de die cibationibus vteretur, ſimplici plerumque contentus erat quaſi ientaculo, pane ſcilicet vino intincto. Hinc enatum prouerbium ἄριστον ἀφελὲς, δεῖπνον ἄπυρον. Et ſane non placet, bis in die ſaturum fieri, vt inquit Cicero *Tuſcul. lib. V.*

Alia ſobrietas in Homero eſt animaduertenda: conuivia veſpere incoepta ante noctem deſinebant. Soli Phaeaces, quos molles, intemperantes, crapulaeque inſeruientes depingit vates, ad multam noctis partem comeſſationes producebant, aureis iuuenum ſimulacris lucem praeferentibus conuiuis in ſuggeſtis. *Odyſſ. lib. VII.* Qui mos magis arriſiſſe videtur corruptis poſteris, quibus ad lucernam ludo et compotationibus indulgere, exorto autem iam diu ſole adhuc ſtertere dulcius eſt, quam noctem deſti-

deſtinare ſomno, lucem vero diei excubationi, quod certe magis eſſet naturae congruum et conſentaneum. Liquet enim, *noctem* dictam eſſe *intempeſtam* et *concubiam*, quod, intempeſtiua ad operandum, videtur ad cubandum facta. Quare, heroicis temporibus ſimul cum aurora exoriente *ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφι* e lecto homines ſurgere, nullo non loco ab Homero dicuntur.

Sed, quod demum reliquum eſt in hac conuiualium rituum narratione, exſequamur. Conuiuis abeuntibus remouebantur menſae, et, quae ſupereſſent, edulia ab ancilla penuaria recondebantur. Credidit Feithius, id factum in hoſpitum gratiam, ſi quis forte non exſpectatus adueniret. Atqui ego crediderim, non omnes ciborum reliquias a penuaria reconditas eſſe, nec ſolis hoſpitibus, ſed fercula illa tantummodo, quae frigida bene ſapiunt, et ſemel iterumque menſis inferri poſſunt, quod etiam apud nos fieri videmus. In primo Odyſſeae libro ſpecie Mentoris, Taphiorum regis, inopinato aduenit Minerua domum Vlyſſis, dum proci conuiuium celebrabant. Continuo menſa illi parata eſt, et adpoſita a penuaria adfatim, ait vates, fercula ex iis, quae apud ſe ſeruabantur:

Εἴδατα πόλλ' ἐπιθεῖσα, χαριζομένη παρεόντων.

Deinde vero narrare pergit carnium omnigenarum plenas lances allatas eſſe nouo hoſpiti a coquo. Cum igitur adhuc praeſto eſſent carnes calidae, cur penuaria adferret illi reliquias heſterni conuiuii? Itaque verius dicendum, frigida illa fercula eius generis fuiſſe, vt non ſolum in hoſpitum gratiam, ſed etiam aliorum conuiuarum ſeruarentur in craſtinum. Multa ſane tenuiora adnotare poſſem, auditores, de conuiuiorum, ab Homero narratorum, ritibus. Sed, quia conceſſum ad dicendum tempus excidit, prudens omitto, praeſertim cum ea, quae vobis indicaui, ſufficere putem ad vatem noſtrum probe intelligendum in iis locis, vbi eos memorat et deſcribit; quem ſcopum, ſi meminiſtis, initio huius enarrationis mihi propoſui.

DISSERTATIO XXXV.

VTRVM E BONIS STRENVISQVE PARENTIBVS CONSIMILES SAEPIVS PROGENERENTVR FILII AN DETERIORES.

SYNOPSIS.

Magna indoles obiurgationem non patitur. Exemplum Stheneli. Plura teſtimonia atque exempla filiorum, qui virtuti parentum non reſponderunt, coaceruantur. Dicta Horatii et Platonis, qui ſibi ipſis aduerſari viſi ſunt, conciliantur. Indolis praeſtantia a parentibus plerumque deriuatur in filios; ſed filiorum culpa ſaepe corrumpitur. Homeri locus, vbi Minerua Telemachum adhortatur. Plantarum ſimilitudo. Difficultas graecae linguae excutitur. Ad eam adſpirari Florentini adoleſcentes debent, quia difficilem eſſe putant.

Quod generoſa et celſa indoles aegre dolenterque obiurgationem admittat, obiectumque dedecus a ſe ſtatim amoliri connitatur, tum multis aliis exemplis poſſet oſtendi, tum exemplo Stheneli apud Homerum *Iliad. lib. IV.* qui Agamemnoni vna cum Diomede illum oblique coarguenti, quod minus ſtrenuos ſe praeberent in praelio, nec patrum ſuorum gloriam aemulari contenderent, reſpondit audacter, ſe immo gloriari patribus ſuis eſſe meliores:

Ημᾶς τῶν πατέρων μέγ᾽ ἀμείνονες εὐχόμεθ᾽ εἶναι.

Vtinam mihi, adoleſcentes, qui, ex hoc loco proxime anteactis diebus literariis vertentis anni reſumendis exercitationibus de more praeludens, veſtrum in literas ſtudium minus acre incuſaui, maiorumque veſtrorum, qui adeo literis excelluerunt, gloriam obieci, vos ſimiliter reſponderetis, quod longe patribus maioribusque veſtris meliores eſſe gloriamini! Haberem enim et praeclare indolis argumentum, et re quoque ipſa vos fore praeſtituros,

ros, quod de vobis verbo praedicaſſetis, ſperarem. Sed haec modo miſſa tantiſper facio: me ſiquidem animo haec reputantem quaeſtio illa huc pertinens ad ſe vocat: *Vtrum e bonis ſtrenuisque parentibus conſimiles ſaepius filii progenerentur, an deteriores.* Cum enim anceps ea de re opinio feratur, grauiſſimique homines modo in hanc, modo in illam ſententiam iuerint; non abs re fuerit, ad veſtram eruditionem, optimi adoleſcentes, eorum dicta vobis adferre, et deinde, quid egomet ſentiam, ſubiicere, tandemque eo reuerti, vt iterum vos cohorter, ne a maiorum veſtrorum gloria deſciſcatis, graecaeque linguae ſtudium, quod profitemur, ſiue capeſſatis, ſiue alacriter perſequamini. Nam huiusmodi cohortationem, quae a me vobis promiſſa eſt, quaeque huiuſce anni diſſertationum principium veluti erit, et caput, e re nata argumentum ipſum facile ſuppeditabit.

Qui praeſtantiorum virorum liberos plerumque degenerare et e probis parentibus naſci ferme filios improbos, docent, exemplis id bene multis confirmant. In Seuero Auguſto Aelius Spartianus *reputanti*, inquit, *mihi neminem prope magnorum virorum optimum et vtilem filium reliquiſſe*, *ſatis claret. Denique aut ſine liberis viri interierunt, vt Romulus, Numa, Camillus, Scipio, Demoſthenes, Virgilius. aliique, aut tales habuerunt plerique, vt melius fuerit de rebus humanis ſine poſteritate decedere. Quid de Caeſare? Quid de Auguſto? qui nec adoptiuum filium bonum habuit, cum illi eligendi poteſtas fuiſſet ex omnibus.* Potuiſſet hic auctor monſtrum etiam illud hominis, Caligulam, peſſimumque illum Commodum recenſere: ambo enim optimos habuerunt parentes, hic Marci Antonini filius, ille Germanici plus quam degener proles. Iam vero Pericles, qui eloquentia ſua tonare ac fulgurare dictus eſt, duos reliquit filios ſtupidos, et tertium, Cliniam, furioſum etiam. Ariſtides quoque, cognomento Iuſtus, nullius rei filium eſt nactus. Hippocratis itidem filii degeneres in prouerbium abierunt. Thucydidis ad haec filii duo paternae virtuti non reſponderunt, vt docet apud Platonem Socrates. Quare Demoſthe-

moſthenes, orator, talibus exemplis commotus, aiebat, vt refert Ariſtides rhetor in Cimone, veluti fati legem eſſe, vt a bonis parentibus futiles proueniant filii. Ipſe etiam M. Tullius, filius Ciceronis, nihil ex paterno ingenio habuit, vt Seneca rhetor teſtatur, praeter vrbanitatem. Praeterea Graecorum paroemia habet, maximam partem mortalium a bonis parentibus degenerare οὐ πατρικὰ αὐλεῖν μέλη, hoc eſt, *non paterna cantica canere.* Apud quos et aliud iactatur adagium, cuius Plutarchus meminit in Phocione et Catone, qui et ipſi viri optimi peſſimos filios reliquerunt: Ηρώων τέκνα πήματα *heroum filii noxae.* Cui Hebraeorum aliud prouerbium conſonat: *Acetum filius vini.* Addunt quoque ſimilitudinem: ſic enim, inquiunt, auream aetatem excepit argentea, argenteam aenea, hanc ferrea, degenerante paullatim, et vergente in deterius, natura hominum. Nec praetermittendum Horatii dictum *lib. III. od. 6.*

Damnoſa quid non imminuit dies:
Aetas parentum, peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Quam ſententiam cum effatus eſt Venuſinus vates, prae oculis diſtichon illud habuiſſe videtur, quod Platoni attribuitur:

Αἰὼν πάντα φέρει, δολιχὸς χρόνος οἶδεν ἀμείβειν
Οὔνομα, καὶ μορφὴν, καὶ φύσιν, ἠδὲ τύχην.

Hoc eſt:

Omnia fert aetas, mutatur tempore longo
Fortuna et forma et nomen et ingenium.

Nihilominus ipſimet, tum Horatius, tum Plato, contrarium alibi luculenter adfirmarunt. Horatius enim ait *lib. IV. od.4.*

Fortes creantur fortibus et bonis,
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

Plato

Plato vero in oratione funebri inquit: ἀγαθοὶ δ' ἐγένοντο διὰ τὸ φῦναι ἐξ ἀγαθῶν, *boni autem exſtiterunt, quod ex bonis nati eſſent.* Cui etiam Ariſtoteles conſentit *Politic. lib. III.* βελτίους εἰκὸς τοὺς ἐκ βελτιόνων· εὐγένεια γάρ ἐστιν ἀρετὴ γένους, *praeſtantiores, par eſt, ex praeſtantioribus progenerari; indolis enim praeſtantia virtus generis eſt.* Vnde autem factum putemus, vt tam graues, tam ſolertes auctores ſibi non conſtitiſſe, ſibique inuicem aduerſantia dicta in hac quaeſtione pronunciaſſe videantur? Equidem credo, nodum facile expediri per ea, quae mox ſubiungit idem Horatius. Cum enim dixiſſet, fortes creari fortibus et bonis, continuo ſubdit:

Doctrina ſed vim promouet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant,
Vtcumque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpae.

Ex quo manifeſte adparet, opus eſſe labore, ſtudio, doctrinaeque cultu, vt bona indoles vim ſuam exſerat: ignauiam autem, prauosque mores luem eſſe teterrimam, quae indolis bonitatem, acceptam a maioribus, corrumpit in liberis. Quamobrem, vbi auctores praedicti, aliique, quos vobis adferre omnes, breuitati conſulentes, omiſimus, in peius ruere pleroſque filiorum, et a bonis parentibus inueniri degeneres, adfirmarunt, id tantum innuere velle viſi ſunt, propter ſocordiam prauamque morum diſciplinam a paterna probitate procul abire, propriaque culpa bene natam indolem in ſe ipſis dedecorare, ſiue quod laboris illos taedeat ac ſedulitatis, ſiue quod paternam ſibi gloriam ſufficere ſtulte arbitrentur. Atque hoc plane ſenſu Mineruam induci puto ab Homero, Telemachum ad virtutem exſtimulantem *Odyſſ. lib. II.* Quem locum primo reſpicit haec noſtra diſputatio: quandoquidem tum huius, tum ceterarum laudem ducimus longe maximam, quod ab Homericae doctrinae perenni fonte proſiluant. En Homeri locum:

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται,
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Quos verſiculos ad hunc modum latine conuertimus:

> *Patribus adſimiles ſunt pauci; deteriores*
> *Sunt plures; melior proles perrara parente.*

Si namque ea mens fuiſſet Homero, vt naturae vitio id tribueret, quid roboris, quid neruorum cohortationi, qua Telemachum vrget, ineſſet? Meo quidem iudicio frigeret, et Homero prorſus eſſet indigna. Sin autem illud, quod aiebam, vates intellexiſſe dicatur, ipſorum nempe liberorum culpa contingere, vt pauci patribus conſimiles, pauciſſimi meliores, peiores plures exſiſtant, nonne ab ea culpa vehementer deterret nobilem iuuenem, et ad aemulandam paternam gloriam praeclaris facinoribus exacuit? Hanc tamen interpretationem, qua pugnantia inter ſe ſapientiſſimorum hominum dicta conciliare ſtuduimus, ita damus, vt non negemus, ſaepe euenire, quaecumque demum cauſſa ſit, vt e ſtrenuo naſcatur imbecillus, et e contrario ex imbecillo ſtrenuus, ſaepius tamen accidere iudico, quaſi lata naturae lege, vt e ſtrenuis ſtrenui, ex imbecillis imbecilli progenerentur. Sicut enim plantae, quae bonae ſunt, bonos fructus ſolent emittere, malae autem malos; ſic parentum aequalis eſt ratio, quidquid nonnulli philoſophi opinentur, qui aptiſſimam hanc plantarum ſimilitudinem reſpuunt, plusque maternis ouis quam patrum ſemini in humana generatione tribuunt. Conueniens igitur naturae eſt, vt e bonorum parentum ſeminio boni frequentius gignantur liberi. Et haec quidem ſunt, quae ad huius quaeſtionis explanationem mea quid potuit ſuppeditare doctrinae exiguitas.

Quid autem haec, dicet aliquis veſtrum, ſpectatiſſimi adoleſcentes, ad nos cohortandos, vt graecum ſtudium alacriter capeſſamus, quemadmodum te facturum ſermonis initio praedicaſti? Quid rogatis? Nulla re puto me aptius atque expeditius huc deduci potuiſſe, quam pertractata quaeſtione. Si enim infertur ex ea, praeclaram parentum maiorumque indolem in filiis poſterisque plerumque vigere, cum vos ex praeſtantiſſimis in virtute maioribus ortum habueritis, nonne par eſt, vt ipſis conſimiles

les aut etiam praeſtantiores vos ipſos exhibeatis? Ad laudem ſiquidem humanam maxime pertinet, vt decus patrum in prole reſplendeat. Quapropter cum maiores veſtros in vnaquaque re excellentiam reſpexiſſe, ardua ſemper eſſe conſpectatos, vulgaremque gloriam contemſiſſe, pulcherrima atque admiranda ab ipſis relicta monumenta ſatis ſuperque oſtendant; nonne vos ipſi, qui ad literarum gloriam contenditis, ſi quid in vobis eorum ſanguinis eſt, graeci ſermonis cognitionem vobis omnino comparandam arbitremini, ſine qua nihil grande, nihil ſummum in literis praeſtare licet? Profecto non ſemel ex hoc loco errorem illum, adoleſcentium mentibus inſidentem, amoliri conati ſumus, quo a graeco ſtudio deterrentur. Putant enim, tam arduam, tam difficilem graecam eſſe linguam, vt ſine crudeli labore, immenſoque compluriumannorum ſtudio nemo illam poſſit comprehendere, oſtendimusque, quamuis ſiue gallica, ſiue Hiſpanica, ceterisue vernaculis linguis, quae magnam habent cum noſtra Italica adfinitatem, ſit difficilior, nihilominus, ſi quis vel mediocri ingenio praeditus ea, qua par eſt, ratione in eius ſtudium incumbat, breui duorum annorum curriculo non poenitendam in ea poſſe fieri progreſſionem, dummodo eius ſtudio quotidie vna ſaltem hora perſeueranter impendatur, nullis nimirum feriatis diebus intercalatis, et idemtidem praeceptor aliquis adhibeatur, qui facem praeferat ad grammatices loca quaedam ardua, vepribusque obſepta, ſuperanda, quae ſtudioſus adoleſcens aegre, ac non niſi ingenti taedio ſe ſolo valeat transſilire. Saepius, inquam, haec docui, inculcaui, ad rauim praedicaui. Hodierno autem die me profecto pudet, hac vos, inclyti adoleſcentes, adhortari ratione, graecaeque linguae difficultatem attenuare dicendo. Veſtrae indolis praeſtantia, quam a patribus maioribusque veſtris ad vos deriuatam minime ambigo, contra exigit, vt verbis potius huiuſcemodi difficultatem exaugeam, amplificemque, fatearque graecam linguam, quam vobis expetendam eſſe contendo, in arduo veluti ſcopulo reſidere, adſcenſu accliui atque aſpero, multos eſſe labores deuo-

deuorandos, rupesque praeruptas, antequam ad eam quis pertingat, manibus pedibusque ſupergrediendas, vt inde colligam adpoſite ad vos inflammandos, ob id ipſum ad graecum ſtudium vobis eſſe adſpirandum, quia arduum eſt, quia operoſum eſt, quia laborioſum eſt, quia vulgo inacceſſum eſt. Infirmioribus fucus faciendus, et ab eorum animis orationis lenocinio difficultatis opinio remouenda: at, quos magna indoles informat, rei ſuſcipiendae difficultas accendere debet atque exacuere; quemadmodum ſtrenui milites atque impigri arcem parum firmis munimentis vallatam obſidere dedignantur, in eam vero, quae munitiſſima ſit, ac paene inexpugnabilis, alacriter inuadunt. Itaque cum vos, optimi adoleſcentes, glorioſum literarum iter ſitis ingreſſi, niſi ad graecam ſapientiam, quae literaturae veluti apex eſt, contollatis gradum, doctrinaeque ſtudioſi id, quod in doctrina abſtruſius eſt, et a vulgo ſecretius, adſequamini, quomodo generoſorum maiorum ſoboles eſſe gloriemini, qui in ardua ſemper conari conſueuerunt, eamque nominis famam genti noſtrae compararunt, vt ad ſumma quaeque nati Florentini dicerentur? Illud etiam vobis eſt cogitandum, a maioribus veſtris graecae linguae, olim barbarorum alluuione in Europa propemodum exſtinctae, vitam eſſe reſtitutam. Ergone per maiores veſtros in magna temporum caligine graeca lingua in hac vrbe reuixerit, per vos autem, generis veſtri oblitos, ad interitum rurſum recidet? Videtis, iuuenes, me muneri meo certe non deeſſe, nullumque ad graecum ſtudium vos cohortandi qua opportune, qua etiam importune, finem facere. Ne committite, quaeſo, vt, quas in graecam linguam amoris ſcintillas mearum cohortationum quaſi ictibus in veſtris cordibus extrudere connitor, continuo neglectae reſtinguantur; ſed vos ipſi ea, quae diximus, memoria recolentes, nutrimenta date circum veſtrarum cogitationum, curateque, vt tum in meo, tum in veſtro fomite rapiant flammam, quae in ſtudium inexſtinguile exardeſcat.

DISSER-

DISSERTATIO XXXVI.

DE SACRIFICIIS.

SYNOPSIS.

Sacrificiorum tractatio latiſſime patet. Explicantur libamenta, ſuffitus, ac molae. Quatuor heroicis temporibus et ad victum, et ad ſacrificium vſurpata animalia. De hecatombis. De ſacrificandi ritu. Coxae praecipue ex omni victima Diis offerebantur, ceterae partes aſſabantur verubus, atque epulis deſeruiebant. Fons commonſtratur, vnde ritus ſacrificiorum ſuorum hauſerunt ethnici. An veteres holocauſtum nouerint. De heroum cultu victimisque, in eorum honorem iugulatis, tum in funere, tum in ſacris anniuerſariis. De Diis Manibus. Quo ſacrificiorum genere mortuorum animas euocarent.

Si quando inopem eſſe in copia alicui contigit, id maxime egomet patior hodierno die, ornatiſſimi auditores. De ſacrificiis ſiquidem verba vobis facturus ſum, quorum tam late patet atque euagatur materies, vt veluti in immenſa quapiam aquarum alluuione cymbula mentis meae naufragium faciat. Accedit quod, cum hoc argumentum copioſiſſime a multis ſcriptoribus iam ſit pertractatum, quidquid dixero, actum agere videar, et hanc repetere crambem inutiliter. Nihilominus muneris mei ratio et inſtituta Homericarum rerum explicatio, vt de iis etiam nonnihil perſtringam ad adoleſcentium maxime eruditionem, qui adhuc per aetatem ſcriptores illos non adierunt, omnino poſtulat. Ac diu cogitanti mihi, perplexoque animo fluctuanti, quid tandem facerem, ſuccurrit videlicet, vt nihil aliud de ſacrificiis proferam, quam quae ſolummodo apud Homerum habentur, ac praeterea de iis breuiter ſtrictimque dicam, et tamquam ſumma rerum capita Feithio duce perſequar, ſiue etiam ſuccum e pluribus floribus delibem, vt mel vobis hodiernae diſputationis conficiam, quod vtinam ſilueſtre non ſit et auſterum, ſed dulce ac ſuaue vobis ſapiat.

Ac

Ac primum quidem libamenta, ſuffitus et molas in Homero animaduertatis oportet. Libationes vino fiebant; atque hinc paſſim dictum illud offenditur λείβειν αἴθοπα οἶνον, hoc eſt, *libare ardentia vina.* In hunc vero vſum comparata pocula, quae apud quosdam beatiorum auro conſtabant. Huiusmodi Pelei *Iliad. lib. XI.* erat χρύσειον ἄλεισον, itemque Menelai *Odyſſ. lib. XV.* χρύσεον δέπας, videlicet *aureum poculum.* Hiſce poculis vino repletis leuiter aliquid de ſummis labris effundebant in Deorum honorem, reliquum ipſi ebibentes; atque hae libationes fere cum precibus erant coniunctae. Similiter ſuffitibus, graece θυέεσσι placabantur Dii, atque altaria θυώδεα ac θυήεντα ſunt adpellata. Qui tamen ſuffitus nusquam apud Homerum thure confecti leguntur. Iliacis enim temporibus, vt adfirmat Plinius *lib. XIII. cap. 1.* thure non ſupplicabatur. Cedri tantum et citri ſuorum fruticum in ſacris fumo conuolutum nidorem verius, quam odorem, ſpargebant. Molas autem οὐλὰς ſiue οὐλοχύτας Homero dictas fruges, ſaxo aut mola fractas intelligimus; in quam rem antiquiſſimo ritu a Graecis adhibitum eſt hordeum, vti apud Romanos far. Solemne vero fuit illis addere ſalem; vnde etiam Virgilius *fruges ſalſas* nominat. Tanti autem illarum vſus erat in ſacris, vt nulla victima ſacrificaretur ſine his. Illis ſiquidem frons victimae, ac partes adolendae conſpergebantur, nec non altaria ipſa et cultri.

Sed quae demum in ſacrificiis heroicis mactabantur animalia? Eadem plane illa quatuor, quae communi victu vſurpabantur, ouis, ſus, bos, caper; non ita tamen, vt cuilibet Deo quaelibet animalia mactarentur, ſed quae ſingularis de more eſſent dicata, vt Ioui bos aetate grandior *Iliad. lib. II.* quem poëta dixit alicubi πενταέτηρα, *quinquennem;* Apollini taurus et capra *Iliad. lib. I.* Neptuno tauri παμμέλανες, hoc eſt, *nigerrimi Odyſſ. lib. III.* aliisque alia. Mactabantur vero Diis victimae vel ſingulares, vel plures. Quo pertinent illae, quarum tam crebra mentio, ἑκατομβαὶ, ex centum proprie bobus conſtantes, ſed abuſiue etiam ex centum aliis animalibus; deinde

deinde vero ea vox accepta eſt indefinite pro pluribus animalibus. Neque tantum a ſacerdotibus in templo victimae ſacrificabantur, ſed etiam in aedibus priuatis, ſiue alibi extra templum a priuatis hominibus ſaepius mactatas eſſe liquet. Nec ſilentio praetereundum, ſolertem habitum eſſe delectum, vt optima eſſent ac praeſtantiſſima, nulloque vitio commaculata.

Iam ſequitur ſacrificandi ritus, quem ex Homero plene deſcripſit Dionyſius Halicarnaſſeus, *Antiqu. Rom. lib. VII.* Itaque principio lauabant manus, quemadmodum in omni officio facere conſueuerunt; quam manuum lotionem verbo χερνίψασθαι Homerus exprimit. In eum vſum aquam habebant lebete paratam, immo et χέρνιβα poſita in templorum veſtibulis, vaſa ſcilicet ad manus lavandas. Atque in limine collocatus ſacerdos, qui ramo felicis oliuae introeuntes adſpergeret. Parabatur autem aqua haec luſtralis intincto ardenti titione, ex ara deſumto, vt docet Athenaeus *lib. IX.* deinde molae ſalſae a caniſtro in victimae caput ac tergum effundebantur, quod proprie Latinis eſt *immolare.* Atque hic preces additae, ſine quibus teſte Plinio *lib. XXVIII. cap. 1.* ſacrificium non conſtabat. Petebant vero ea, pro quibus potiſſimum ſacrificium offerebant, vt Chryſes pro peſte auerruncanda *Iliad. lib. I.* Eumaeus pro reditu Vlyſſis *Odyſſ. lib. XIV.* Cum autem ad mactandam victimam ſe adcinxiſſent, eam ſiue ſecuri, ſiue etiam ſtipite percutiebant, ceruice retrorſum acta, cum ſacrificabant Diis; cum vero heroibus, ceruice in terram, ac veluti in loca infera, inflexa. Percuſſae victimae iugulum cultro ſuppoſito inſecabant, ſanguinemque in vas quoddam excipiebant, ἄμνιον aut σφάγιον adpellatum. Atque haec omnia ſimul cum ſalſis frugibus aliisque rebus, ſacro vſui deſtinatis, ferebantur caniſtro, ſiue ciſta, ad quam rem Ciſtophori deinde inſtituti, quorum erat; eam ciſtam religioſiſſime adſeruare; quae ſane dignitas non vltima in officiis ſacris habita eſt. Iugulatas victimas ſtatim excoriabant, tum in partes diſcindebant; coxas exemtas omento dupliciter cooperiebant, iisque crudas particulas, ex omnibus membris deciſas, imponebant,

ponebant, quod ὠμοθετεῖν vocat Homerus. Coxae hunc in modum adipe et variis particulis, tamquam ex vniuerſo animali contectae, igni imponebantur adolendae, diſperſa farina, et libamento etiam e vino ſuperfuſo. Quocirca cum coxae praecipue ex omni victima Diis offerrentur, hinc illud apud Homerum ad notandum ſacrificium ſaepius vſurpatum πίονα μηρία καίειν, videlicet *praepingues vrere coxas.* Porro ceterae partes victimae ab iis diſciſſae aſſabantur verubus, ac deinde laute opipareque epulantibus adponebantur. Vnde Athenaeus refert μέθην Ariſtoteli dictam, quaſi μετὰ τὸ θύειν, temulentia videlicet ſacrificium ſubſequente.

His vero deſcriptis, ſeu potius, vt initio aiebam, leuiter delibatis ita tamen, vt ad veterum ſacrificiorum rationem cognoſcendam ſatis ſuperque vobis eſſe poſſunt, optimi adoleſcentes, non abs re fuerit, neque ab inſtituto propoſitoque noſtro alienum, vt fontem vobis, vnde illa hauſerunt ethnici, commonſtremus, ritus nempe ac ſacrificia Hebraeorum, quae ſtudioſe aemulati ſunt, partim ea ſeruando, quae illi ſeruabant, partim immutando, partim corrumpendo. Nemini ſiquidem dubium eſſe poſſit, quin aquae luſtrationem ad ſe maculis eluendos, victimae integritatem, quae omni vitio careret, ſalſas fruges, quibus victimae adſpergebantur, ab Hebraeis mutuati ſint. Numquam enim luſtrationibus neglectis, et ſale non adhibito, fas erat Hebraeis victimam, quae omnino pura, valida, maculaeque omnis expers eſſe debebat, ſacrificare. Sane grauiſſimi eccleſiae patres exiſtimarunt, iniquiſſimum ſatanam, diuini ad ſe pertrahendi cultus flagrantiſſime cupidum, in id omni ſtudio connixum eſſe, vt ſui adſeclae pleraſque ſanctiſſimas verae religionis caerimonias praua aemulatione corrumperent. Vnum vero ritum imitatos nequaquam eſſe heroicis temporibus ethnicos animaduerto, nempe offerendi holocautomatis: nullibi enim memini me legere apud Homerum, Diis totam victimam eſſe crematam; quod ſolemne erat Hebraeis in obſeruantiam ſummi Dei. Niſi fortaſſe genus quodpiam holocautomatis ethnicis quoque adhibitum exiſti-

exiſtimare velitis in cultu atque inferiis heroum mortuorum. Moris enim erat in heroum funere animal iugulare, vt conſtat ex Patrocli, Achillis atque Hectoris exſequiis, ab Homero deſcriptis. Victimae autem illae iugulatae in pyra cum variis collatis muneribus penitus comburebantur. At illud nequaquam iudico holocauſtum proprie habendum eſſe, Hebraeorum aemulatione inſtitutum. Non enim victimae illae emortuales ſeorſum, ac per ſe comburebantur, ſed ratione cadaueris herois, in pyra combuſti, cum illud veluti quadam ferali corona circumdarent, ac ſaepirent. Quandoquidem vero mortuorum heroum cultum attigimus, notius eſt, quam vt explicari indigeat, diuinitatem aliquam animis a corpore ſolutis priſcos adſcripſiſſe, quam ſecuta eſt veneratio aliis maiore delata adfectu aut ritu, prout meritis habebantur inſignes. Neque enim vita functis heroibus recentis poſt mortem funeris honorem tantummodo tribuebant, ſed cultum ac ſacrificia, veluti Diis, identidem iterabant. Certe Homerus *Iliad. lib. II.* memorat, Athenienſes ſolitos Erechtheum tauris et agnis in Mineruae templo ſingulis annis placare. Cuiusmodi anniuerſaria ſacra exhibet apud Virgilium Aeneas Anchiſae parenti caeſis victimis, libamentis fuſis, adeoque ludis, ſolemni pompa celebratis *lib. V.* Libet autem obſeruare, quod, cum maioribus Diis ſacrificabant, dicebantur ἐναγίζειν, vt teſtatur Herodotus in Euterpe. Ac defunctorum animas eodem plane cultu atque inferiores Deos, quos adpellabant δαίμονας, antiqui coluiſſe videntur, Romanique Deos Manes vocitaſſe: de quibus Cicero ex antiquiſſimis eorum legibus, *Deorum manium*, inquit, *iura ſancta ſunto*, *eos letho datos diuos habento.* In mortuorum vero ſacris libationes principem locum obtinebant, vnde et χοαὶ, id eſt, *effuſiones* adpellabantur. Illis vſus Vlyſſes, iuſſu Circes, apud inferos facta prius ſcrobe, circa quam mulſum, vinum et aquam admixta farina diffudit. In his mortuorum ſacrificiis ſanguinis magna habita eſt ratio, ad quem ebibendum conuolare animas exſangues autumabant; equidem cum doctiſſimis viris arbitror, quia animi non vltima

ſedes in ſanguine ſita eſt. Eo fine arietem atque ouem nigram iugulauit Vlyſſes, dum euocaret mortuorum vmbras, iisque ſterilem vaccam ad lucem reuerſum ſe vouet ſacrificaturum.

Atque haec ſunt, optimi iuuenes, quae carptim de ſacrificiis, quemadmodum memorantur apud Homerum, adnotanda vobis proponere vtile duxi. Sunt etenim velvti quaedam fax, quae non parum lucis vobis adferet ad Homeri lectionem accedentibus, vt multa, quae in ſacrificiorum narratione apud illum interdum occurrunt obſcura atque implexa, facili per vos ipſos negotio videre atque explicare poſſitis.

DISSERTATIO XXXVII.

DE RITV CORNVA VICTIMAE INAVRANDI, EORVMQVE HONORE ATQVE IGNOMINIA APVD VETERES.

SYNOPSIS.

Mos inaurandi cornua a Graecis ad Romanos pertranſiit. Senatus conſultum de hoc ritu ſeruando. Cornua potentiae, coronae, et ſplendoris typus. Per decem cornua decem Alexandri ſucceſſores deſignati. Cornua in Philadelphi pompa praelata, et in imperii auguria relata. Alexander Magnus arietina cornua a Perſarum regibus mutuatus. Cum cornibus inſculpi etiam voluit, vt Iouis Ammonis filius videretur. Cornua arietina, taurina et hircina in nummis heredum Alexandri. Galeae militares praefixa cornua habebant, ad incutiendum terrorem. Cornuta Moyſis facies, hoc eſt, ſplendida. Fluuiis tributa cornua. Pro capillis veteres dixere cornua. Cornucopiae in Imperatorum nummis, et heroinarum. Cornua ludibrii et contumeliae iam pridem argumentum. Spanhemii laus.

Multa vobis attulimus praeterito ſermone, auditores, quibus veterum ſacrificiorum rationem apud Homerum memo-

memoratorum exponeremus. Vnum de induſtria intactum reliquimus, et ad hanc peculiarem diſputationem reſeruauimus, videlicet ritum cornua victimae in ſolemnioribus quibusdam ſacrificiis inaurandi, vt rem ſeorſum pertractantes dilucidius et copioſius explicare poſſemus, et nonnulla adſerre ſcitu non iniucunda, quae ad cornuum honorem atque ignominiam cognoſcendam faciunt. Sed ipſum Homerum audiamus, ſolertiſſime hanc caerimoniam in ſolemni quopiam Neſtoris ſacrificio deſcribentem, in quo Laërceus aurifex acceptum a Nectore aurum, atque in bracteas instrumentis fabrilibus attenuatum cornibus mactandae bouis offundit *Odyſſ. lib. III.*

— — — — ἦλθε δὲ χαλκεὺς
Oπλ᾽ ἐν χερσὶν ἔχων χαλκήϊα πέρατα τέχνης
Aκμονάτε, σφύραντ᾽, ἐυπόιητόν τε πυράγρην,
Oἶσθιν τε χρυσὸν εἰργάζετο· ἦλθε δ᾽ ἀθήνη
Iρῶν ἀντιόωσα· γέρων δ᾽ ἱππηλάτα Nέστωρ
Xρυσὸν ἔδωχ᾽. ὁ δ᾽ ἔπειτα βοὸς κέρασιν περίχευεν
Aσχήσας, ἵν᾽ ἄγαλμα Θεὰ κεχάροιτο ἰδοῦσα.

Quos verſus ad hunc modum latine ſumus interpretati:

— — — — faber adfuit, artis
Inſtrumenta ferens manibus ſolido aere coruſca,
Incudemque, et cum concinna forcipe malleum,
Queis aurum ſcite faciebat, et adfuit ipſa
Occurrens ſacris Pallas; tum praebuit aurum
Aurifici annoſus Neſtor, quod cornibus ille
Deuotae bouis attenuans circumdedit apte,
Conſpecta alliceret praeſens vt victima numen.

Sane Plato id ſolemne fuiſſe Athenienſibus dicit Alcibiade II. vbi inter alia magnificentiae eorum teſtimonia ponit βοῦς χρυσοκέρως, boues nimirum habentes cornua contecta auro. Morem hunc Graecorum imitatos eſſe Romanos, ſaepius in eorum hiſtoria obſeruauit Liuius. *Hoſtia enim*, inquit Gyraldus hiſt. Deor. ſyntagm. XVII. *ſi maior erat, auratis cornibus plerumque immolabatur.* Senatus conſultum exſtat de ludis Apollinaribus primum

faciendis, quod Macrobius recitat primo Saturnalium libro, in quo decemuiris praeceptum fuit, vt graeco ritu hoſtiis facerent ſacrum, Apollini boue aurato, et capris albis duabus auratis, Latonae vero boue femina aurata. Hinc Ouidius propter aurata cornua dixit:

— — — indutaque cornibus auro
Victima vota facit. — — — —

Iuuenalis vero:

— — — — frontemque coruſcat.

Aſcanius in decimo Aeneidos apud Virgilium:

Et ſtatuam ante aras aurata fronte iuuencam
Candentem, pariterque caput cum fronte ferentem.

Neque vero quisquam mirari debet, auditores, quod victimae cornibus aurum induceretur: non enim pars illa animalis, qua ornatur, et defenditur, turpis habebatur; quandoquidem cornua potentiae, coronae ac ſplendoris typus erant, atque omnia cornuum nomine apud orientis populos ſaepiſſime eorum ſermonibus iudicata ſunt. Hinc cornu apud Phoenices regium erat inſigne. Hinc pro regno et regibus in veteri foedere paſſim vſurpantur cornua. Plane per decem cornua decem Alexandri ſucceſſores e regibus ſiue Syriae ſiue Aegypti deſignantur apud Danielem *cap. VIII. c.* 7. Quod clarius etiam adſequimur ab auctore diuinarum reuelationum dictum *Apocal. XVII,* 12. *Et video ex mari beſtiam adſcendentem, quae habebat capita ſeptem et cornua decem, et in cornibus ſuis decem diademata.* Quare id nemini videatur abſurdum, quod Athenaeus *lib. V.* memorat, cornua aurea, coronae vicem teſtantia, praelata eſſe in pompa Philadelphi, vel cornua inter auguria imperii nonnumquam eſſe relata, vt relata ſunt a Capitolino inter alia portenta, quibus illud Antonino praeſagiſſe ſuperos oſtendit: *Et poſt Conſulatum,* inquit in Anton. P. cap. 4. *in viridario taurus marmoreus cornibus ramis arboris accreſcentibus adpenſus eſt.* Porro Ammianus Marcellinus aureum capitis arietini ſigmen-

ſigmentum, interſtinctum lapidibus, Perſarum regibus attribuit *lib. XIX. cap. 1.* Huc facit illud Petri Chryſologi de Perſarum regibus ſui temporis: *Nunc impoſitis ſibi cornibus quaſi viros ſe eſſe doleant, effeminantur in Lunam.* Et ſane rex Perſarum per arietem cornigerum deſignatur apud Danielem VIII, 29. et Darius ſimiliter iam ante per arietem cornutum. Atque hinc factum eſt, vt, quemadmodum diadema a Perſis, ita etiam arietina cornua ab iis mutuatus ſit Alexander Magnus. Non infitiandum tamen, voluiſſe Alexandrum ſe cornutum a ſtatuariis inſculpi etiam ob id, quod Iouis Ammonis filius videri voluit. Cornua arietina eiusdem Alexandri, Ptolemaeorum, Lyſimachi, Antigoni, aliorumque in nummis capita etiamnum decorant. Verum non arietina cornua tantum, ſed et taurina et hircina geſtaſſe videntur aliquot ex Alexandri heredibus, vt de Seleuco, Demetrio Poliorcete, aliisque legitur apud doctiſſimum Spanhemium *de praeſtant. numiſ. Tom. I.*

Neque praetereundus mos ille regum, aut heroum κεϱατοφόϱων, *cornigerorum*, quod, ſicut monuerunt iam viri docti, olim galeae militares praefixa vulgo ad terrorem incutiendum haberent animalium cornua. Id certe de Thracibus obſeruat Herodotus *lib. VII.* illos aereas habuiſſe galeas, et deſuper bouis aures et cornua. Sic de Gallis refert Diodorus in more iis poſitum, vt aereas haberent galeas cum magnis appendicibus, quibus adfixa cornua.

Hactenus de potentia ac regno, quod figurabatur a cornibus. Iam nonnihil de ſplendore, cuius pariter typus fuerunt, delibandum. Satis autem fuerit vnius Moyſis meminiſſe, cui in nummis eiusdem et ſimulacris, ſed recentioris operis (nulli enim Moſaici temporis nummi exſtant) tributa ſunt cornua, quod *cornuta eſſet facies eius*, vt ſacra eloquia teſtantur, *ex conſortio ſermonis domini. Exod. XXXIV, 29.* Aiunt quidem, chaldaeum textum aliter habere, videlicet, *quod multiplicatus eſſet ſplendor vultus eius.* Verum ex hoc ipſo colligitur, cornutam dici faciem Moyſis in vulgato textu pro eo, quod dicatur ſplen-

dida; quia cornua pro ſplendore ipſo vulgo ſumerentur, nihilque turpe vox illa, pro ſplendore vſurpata, indecorum nihil ſonaret. Quandoquidem autem hoc argumentum tractandum ſuſcepimus, non abs re erit animaduertere, non ſolum regibus et heroibus, ſed Diis etiam ipſis, ac praeſertim Fluuiis, attributa eſſe cornua a veteribus, Ioui arietina, Pani hircina, Libero Patri taurina, de quo idcirco cecinit Horatius *lib. II. od. 19.*

Te vidit inſons Cerberus aureo
Cornu decorum. — — —

Et Plutarchus memorat *quaeſt. gr.* quod ab Eleorum mulieribus ἄξιε ταῦρε, *digne taure,* Bacchus inuocaretur. Vbi illud praeterea tradit, ea de cauſſa a plerisque Graecorum Bacchum tauri forma effingi, quod Bacchi et Apidos apud Aegyptios ſacra eodem ritu peragerentur. Libera etiam, ſiue Ceres Liberi Patris exemplo, frugum Mater et Bacchi ſocia, eodem illo taurino inſigni decoratur in variis Siculorum nummis, quos exhibet laudatus Spanhemius *Tom. I. pag. 394.* in quibus muliebre caput ſpectatur cum ſpicis, quas taurina cornua hinc atque illinc e temporibus erumpentia emittunt, quandoque etiam cornibus ſine ſpicis. Fluuiis etiam taurina cornua paſſim adfingunt poëtae, vt Virgilius Eridano *Georg. lib. IV.*

Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus. — — — — —

Tiberi vero Claudianus *Conſ. Prob. et Olyb.*

— — — — *taurina leuantur*
Cornua temporibus raucos ſudantia riuos.

Quomodo et tauriformem Aufidum adpellat Horatius *lib. II. od. 4.*

Praeterea cornua pro capillis vſurpata eſſe a veteribus liquet. Ita Paris a Diomede κέρ' ἀγλαέ, *cornu ſplendide,* dicitur; quod fortaſſe cornua geſtaret, ſiue faſtigiatas turres capillorum, vt apud Venetas matronae iuniores, vtque apud nos coma adſcititia et exemtilis multorum in

cornua

cornua exporrigitur. Caeſariei etiam cornua adſcripſit Iuuenalis *Sat. XIII.* vbi ait:

Caerula quis ſtupuit Germani lumina, flauam
Caeſariem madido torquentem cornua cirro?

Vt cornuum gloriam abſoluam, ſupereſt nominandum *cornu copiae*, quod ſane perantiquum eſt effuſiſſimae liberalitatis ſignum. Horatius, ad Iccium ſcribens de felicitate, quae Romanis obuenerat tempore Agrippae et Neronis, rebus aduerſus Armenios optime geſtis, *lib. I. ep. 12.* inquit:

— — — — *aurea fruges*
Italiae pleno diffudit copia cornu.

Pingitur autem cornu illud recuruum, repletum frugibus excellentioribus, quae abundantiam et fertilitatem ſignificarent. Imaginem eius in nummis frequenter reperimus, dum illi aut vbertatem, aut pacem, aut aliam quamcumque reip. commoditatem exprimunt, quomodo videre licet in nummis Antonini, Hadriani, Septimii, aliorumque Imperatorum, item in nummis Iuliae, Paulae, Marciae Seuerae, et aliarum clariſſimarum heroinarum. Vtrum vero cornu illud ad filiam Iobi, cui nomen cornu ſtibii, an ad cornu Amaltheae, aliamue originem referendum ſit, alii expendent.

Cum igitur ex hiſce omnibus liqueat, multo in honore apud veteres fuiſſe cornua, vt non ſolum tamquam praeclara animalium arma haberentur et ornamentum, ſed etiam regibus Diisque decori eſſent, et ab iis geſtarentur, vt potentiae, coronae ac ſplendoris ſymbolum, atque item ad alia ſignificanda non ſine gloria vſurparentur, hinc accidit, ea in victimis auro contegi conſueuiſſe tanto caerimoniarum adparatu, tam ſolemni fauſtoque ritu.

Qui autem, vt demum ad cornuum ignominiam deveniamus, qui autem, aut quando factum, vt, quod eximium olim honoris ac dignitatis inſigne habebatur, ludibrii et contumeliae argumentum vel apud viliſſimum quemque tandem euaſerit, non vacat curioſius disquirere.

Id certe non heri primum aut hodie receptum, ſatis liquet ex Artemidoro, apud quem proco, puellam quampiam vxorem mox ducturo, et ex ariete, cui inſidebat, lapſo futurae coniugis adulterium portendi auguratur quidam his verbis: ὅτι ἡ γυνή σου πορνεύσει, καὶ τὸ λεγόμενον, κέρατα αὐτῷ ποιήσει, hoc eſt, vt verbum verbo reddatur: *quod vxor tua moechabitur, et, quod dici ſolet, cornua tibi faciet. Onirocrit. lib. II. cap. 11.* Quae poſtrema verba ſatis indicant, vulgatum illud ſcomma iam ante Artemidorum, qui Hadriani et Antonini Pii aetate vixiſſe traditur, in prouerbium abiiſſe. Quapropter nequaquam mirum eſt, conſecutis poſtea ſeculis Andronicum Comnenum Imperatorem cornua in miſerorum coniugum ludibrium ſuſpendere fuiſſe ſolitum, quorum toros adulterio ipſe foedarat, vt narrat Nicetas, et iam vidit in originibus patriis vir ingenio et eruditione inſignis Aegidius Menagius. Quoniam vero iuſtum et glorioſum eſt, per quem profeceris, praedicare, nequaquam ſilebo, auditores, ad hodiernum ſermonem concinnandum paene omnia mihi ſuppeditaſſe eruditiſſimum Spanhemium tractatu ſuo locupletiſſimo de vſu et praeſtantia numiſmatum. Dum enim illum antiquae eruditionis gratia perlegebam, inter alia, quae in rem meam ſtudioſae inde iisdem fere verbis ſelegi, fuerunt haec ad diſputationem, quam vobis attuli, de cornuum hiſtoria opportune facientia. Quamobrem illi potius, quam mihi, ſi quid non protritae, aut exculcatae eruditionis accepiſtis, gratias agite.

DISSERTATIO XXXVIII.

IN QVA QVIDAM EX ILIADE SERMONES A CRIMINATIONIBVS VINDICANTVR.

SYNOPSIS.

Summorum auctorum recta exiſtimatio in iuuenibus ſtudioſis neceſſaria eſt. Homerus poëſeos et omnium ſcientiarum archetypum eſt.

Glauci

Glauci et Diomedis collocutio defenditur. Nummus ſignatus Homeri aetate nondum in vſu. Poſtea bouis figura in nummo impreſſa eſt. Adagium: Bos in lingua. *Glauco, arma ſua aurea permutanti cum aeneis Diomedis, Iupiter non mentem* abſtulit, *vt exponunt multi Graecam vocem ἐξέλετο, ſed* extulit, *hoc eſt euexit. Mira apud veteres hoſpitalitatis lex. Mos excipiendorum hoſpitum. Permagna facilitas in quibuscumque hoſpitibus excipiendis. Fortaſſe tunc non adeo ſcatebat tellus facinoroſis hominibus. Iupiter ξένιος,* hoſpitum patronus. *Dii ſub hoſpitum forma terras luſtrare ſoliti. Cur Aegyptii animalia colerent. Vlyſſes ſub ſpecie pauperis hoſpitio exceptus domi ſuae. Cur exſpectarent decem ſolidos dies, dum quaererent ex hoſpite, quis eſſet. Duriuſculi mores recentiorum in hoſpites an excuſandi. Xendochia in vrbibus chriſtianis. Neſtoris ſermo ad Patroclum nec inanem gloriationem habet, nec imprudentiam. Quinctiliani encomium de Homero. Repetitio τὸν ἀπαμειβόμενος defenditur. Martialis ineptus conuiciator. Phoenicis ſermo ad Achillem nihil habet ſordidum, aut indecorum. Verſionis labes non vati imputanda.*

Vt rei literariae optime conſulatur, neceſſe eſt, vt in ſtudioſis iuuenibus ſummorum auctorum, qui veluti archetypa ad imitandum propoſita ſunt, recta ſtabiliatur exiſtimatio. Nam niſi eos tanti fecerint, quanti fieri merentur, facile eueniet, vt, eis omiſſis, aut leuiter et incurioſe lectis, ad alios minus probatos conuertantur, quorum lectione ac ſtudio non ita ſtrenuam ſibi comparent doctrinae vim. Archetypum longe maximum ac praeclariſſimum non ſolum poëſeos, ſed omnium ſcientiarum facultatumque nobiliſſimarum Homerum eſſe ad rauim vsque iterum ac ſaepius veriſſime praedicaui. Et ſane miror, cum nemo hactenus exſtiterit, qui illa duo architecturae et ſculpturae miracula Coloſſeum Romae, ac Venerem Mediceam, inſigniſſimum regii cimeliarchii et patriae huius decus reprehendere auſus ſit, inuentos eſſe non paucos, qui Homeri poëmata impudenter coarguerint, quae certe poëmata opus habenda ſunt in genere ſuo non ſecus atque illa omnibus numeris abſolutiſſimum, omniumque admiratione digniſſimum. Quandoquidem autem ita res habet,

habet, ne forte ab eius exiſtimatione excidatis, optimi iuvenes, ſed in perſuaſione ſingularis praeſtantiae, qua ſupra ceteros eminet, perſiſtentes, illum omni ſtudio atque attentione euoluere ſtatuatis, quasdam alias accuſationes in eum conflatas diluendas nonnullis diſputationibus ſuſcipiam ad eum plane modum, quo grauiores olim repuli, hodie vero in iis refellendis ſolummodo verſabor, quae certos in Iliade contentos ſermones aut collocutiones carpunt. Sic omni ſcrupulo ex animis veſtris euulſo nihil obſtabit, quin tamquam humanae ſapientiae principem vatem hunc habeatis ac veneremini. Nihil apud Homerum non animatum, nihil non ſpirans, nihil non emicans, auditores. Fuit tamen in Transalpinis regionibus, qui recentes poëtas cum eo comparatos putaret longe viuidiores, diceretque, multa apud illum lente, moleſte, intempeſtive, illepide, indecore narrari atque vſurpari. Non ſolum igitur huius cenſoris iudicio non adſurgit Homerus ſupra ceteros, ſed potius infra multos illo praeſtantiores ac meliores victus ac ſuperatus iacet. Praecipue vero colloquia incuſat aliquorum ducum inter pugnandum habita, quibus belli impetum retardari putat, atque aeſtum refrigeſcere; exempli gratia Tlepolemi et Sarpedonis *Iliad. lib. V.* Glauci et Diomedis *lib. VI.* Sed ſi hic cenſor *polypoſus* potius, quam *naſutus*, vt Martialis dicterio vtar, eius aetatis militarem diſciplinam noſſet, non vt abſurda eiusmodi colloquia tam inſigni audacia damnaſſet; lege enim atque vſu licere ſenſiſſet, vt fortes viri obuiam ſibi inuicem in pugna facti ex acie ſe ſubducerent, id quod in Troiae planitie ſatis ampla commodius fieri potuit, quam alibi, virtutis ſuae ſpectaculum ederent, ſingulari certamine congrederentur, et antequam id facerent, mutuis colloquiis ſeſe exciperent. Quae colloquia cum mira proprietate iudiciique ſolertia perſonis accommodet vates, hinc factum eſt, vt hiſtorias ac genealogias in iis commemorari aliquando expedierit, adeo vt ſanae mentis lector non quidem inepte et inopportune, ſed adpoſite et convenientiſſime eas referri ſentiat et fateatur. At, inquies, prolixae ſunt, moleſtae ſunt. Verum ſi legere potuiſſes, o bone

o bone cenſor, in graeco textu, longe expeditiores, ac nitidiores ſenſiſſes, quam in verſionibus, vbi viſae tibi ſunt nonnihil ineptae odioſaeque prolixitatis praeferre.

Hic autem extremos collocutionis Diomedis et Glauci verſus obſeruandos vobis proponere vtile erit, ſtudioſiſſimi iuuenes: pepererunt enim quaeſtionem, iam pridem inter eruditos acriter agitatam. Nam vbi duo illi duces paternam amicitiam recognouiſſent, armis inter ſe permutatis foedus inierunt, vt ea veluti teſſera abſtinerent a mutua ſibi inferenda caede. Iam vero ex Homero verſiculos adferam, quos hoc loco oportet expendi.

> Ενθ᾽ αὖτε Γλαύκω Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς,
> Ὅς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε᾽ ἄμαβε,
> Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι᾽ ἐννεαβοίων.

Vt autem clarius vatis ſententiam adſequamini, verbotenus proſa oratione interpretabor: *Tunc Glauco Saturnius Iupiter mentem extulit, qui cum Tydide Diomede permutauit arma aurea aeneis, pretium centum boum habentia pretium habentibus boum nouem.* Quaeritur igitur, vtrum ἑκατόμβοια et ἐννεάβοια nummos indicent *bouis* figura ſignatos, an aeſtimationem per *boues* factam. Scio equidem, non defuiſſe plures, qui in hiſce vocibus et ſimilibus numiſmata putarunt antiquitus eſſe ſignificata. Nihilominus rectius ac verius ſentire Euſtathius, Pollux aliique recentiores viſi ſunt, in quibus eſt Paulus iuriſconſultus *l. Pandect. XVIII.* adfirmantes, nummum Homeri aeuo nondum in vſu fuiſſe apud Graecos, ſed *boues* tunc pro pretio in emtione et venditione vſurpatos. Οἱ γὰρ παλαιοὶ, ait Euſtathius, πρὶν ἐπινοηθῆναι τὰ νομίσματα, τὰς συλλαγὰς ἐπὶ τῷ βοῶν ἐποιοῦντο. Poſtea quidem, vt bene animadvertit eruditiſſimus Duportus, qui mihi ad hanc ſententiam amplectandam facem praetulit, haec figura nummo impreſſa, idque ad indicandum forſitan vſum et morem antiquum, quo boues olim pro pretio dari ſolebant, atque hinc prouerbium prodiit: βοῦς ἐπὶ γλώττῃ, *Bos in lingua*, in eos iactatum, qui pecunia corrupti tacerent, vt Demoſthenes, cum dictum eſt argentanginam pati. Vox item

item ἐξέλετο in praedictis verſiculis pleroſque decepit interpretum, qui verterunt *abſtulit*, adeo vt ſenſus ſit Glaucum fuiſſe ab Ioue dementatum, vt imparem illam permutationem, ſibique damnoſam faceret, daretque aurum pro aere. Verum quid frigidius atque ineptius, ſi hoc dixiſſet Homerus? At plane non dixit. Quinimmo ſenſu prorſus diuerſo eam vocem vſurpauit: nam ἐξέλετο valet etiam *extulit*, vt nos vertimus. Itaque Glauci mentem extulit Iupiter, dum ad magnificentiam euexit, vt nempe, pretioſiora arma Diomedi tradens pro vilioribus, oſtenderet, quanti eius amicitiam faceret, aemulareturque auum ſuum Bellerophontem, qui Oeneo, auo Diomedis, poculum aureum ſimiliter pro baltheo purpureo dederat. In quam ſententiam eo promtiores imus, quod eam ſtrenue propugnarit ex Porphyrio atque Euſtathio clariſſima Daceria.

Sed, antequam factum Glauci et Diomedis relinquo, antiqua hoſpitalitatis officia exponenda ſunt. Nam et Glaucus ea commemorat de Bellerophonte narrans, hoſpitio a rege Lyciae excepto, et in amicitiae foedere ſatis elucent, quo ſe Glaucus et Diomedes obſtrinxerunt non alia de cauſſa, quam quod eorum patres hoſpites erant inuicem. In quo quis non videat miram hoſpitalitatis legem, quae non ſolum hoſpites inter ſe, verum etiam eorum liberos ad ſe mutuis amicitiae vinculis deuinciendos impellebat? Ceterum excipiendorum hoſpitum mos ferme hic fuit. Cum primum aduentarent, is, qui excipiebat, manibus prehenſabat; atque huic vſui dextera maxime inſeruiebat. Videlicet, *hic honor*, vt interpretatur Seruius ad *Aeneid. lib. VIII. dexterarum conſtitit virtute, ob quam hac ſe venerabantur corporis parte.* Accedebant ſaepe oſcula; quae variis infigebant corporis partibus, praecipue capiti, oculis, humeris, manibus. Qui hoſpitem domum ſuam introducebat, praeibat quaſi viam docens. Iuſſis adſidere pocula ſtatim miſcebantur, et adparabatur menſa. Frequenter etiam lauacra, et vnctiones hoſpitibus adhibitae. In diſceſſu numquam non facta poculis libatio, in qua ſibi viciſſim bona multa comprecabantur.

bantur. Cibum potumque affatim, aliaque itineri neceſſaria, abeuntibus ſuppeditare, et ξένια, hoc eſt, hoſpitalia munera praebere adeo ſolemne fuit, vt non ſolum ea ſtatim atque vltro accipere nulla modeſtiae lege vetarentur, ſed cum iis libere expoſtulare poſſent, qui non darent; videbantur enim re ſibi iuſte debita defraudari. Ita factum ſaepe, inquit, Feithius, vt multas diuitias hinc atque illinc corrogarint; quod gloriatur Vlyſſes *Odyſſ. lib. XIX.* Quare Aelianus *lib. IV, cap. 20.* eumdem, ait, ac Menelaum, inſtar Phoenicum mercatorum, ad colligendas opes per varias regiones oberraſſe. Quae autem in veteris hoſpitalitatis vſu, ab Homero ſaepe deſcripto, aliquibus videntur abſurda, duo ſunt: primum, quod nimis facile, adeoque ſtulte, quicumque hoſpites admitterentur, vagi nempe, errones, ac mendici, e quibus, non agnitis, ac bene perſpectis, periculum impenderet damnum accipiendi, ſiue in re familiari, ſiue in perſonis. Alterum, quod, niſi poſt nouem ferme dies, quaerebatur ex hoſpite, quis eſſet, et quare adueniſſet; vt Glaucus narrat factum a rege Lyciae, poſtquam hoſpitio exceperat Bellerophontem, vtque Menelaus decimo ſimiliter die hoſpitem ſuum, Paridem, interrogauit. Fateor, veteres in hoſpitibus excipiendis permagna vſos eſſe facilitate, quae nunc videatur non bona, ac reprehenſione digna, vtpote multis diſcriminibus obnoxia. Sed fortaſſe non adeo ſcatebat tellus antiquitus facinoroſis hominibus, et ad fallendum pronis atque accinctis; quamobrem hoſpitibus indiſcriminatim fidere non tam fuit olim periculoſum, quam eſſet hodie. Quod vtut verum eſſe queat, id tamen primariam ac potiſſimam antiqui moris cauſſam nequaquam dixerim. Maxime enim ad quoscumque hoſpites omni beneuolentia complectendos religione vrgebantur: Nam Iupiter ξένιος hoſpitum habebatur pater, patronus, vindex. Illud praeterea vulgo iactabatur, ſaepe Deos, ipſumque Iouem, ſub hoſpitum figura terras luſtrare ſolere, et ad hominum aedes ventitare; vnde ſummopere verebantur, ne, quem hoſpitum reiicientes, a ſe Deum repellerent. Quae eadem cauſſa fuiſſe videtur Ae-

gyptiis

gyptiis colendi animalia, quod nempe in Aegypto dicebantur ſub animalium figura latuiſſe Dii. Non eſt igitur, cur miremini, Vlyſſem latentem ſub ſpecie aduenae pauperis, ſenis, ſqualidi, pannoſi a Telemacho ac Penelope domo fuiſſe exceptum *Odyſſ. lib. XVIII. et XIX.* dignum lauacri honore habitum, et in procorum conuiuio conſidere iuſſum. Quodſi murmurarunt proci atque indignati ſunt, hoſpitemque acerbe habuerunt, id factum, quod eorum plerique Deorum eſſent contemtores, et in omnem licentiam effrenes. Quod ad alterum, vrbanitati adſcribendum puto, exſpectaſſe veteres decem ſolidos dies, dum quaererent ex hoſpite quis eſſet, aut vnde aduenisſet: ſi enim ſtatim rogarent, putabant, ſuſpicionem ſe illi facere, quaſi cuperent, vt cito abiret. Quam rara huius vrbanitatis atque in hoſpites benignitatis exempla ſubſecutis aetatibus! Quis eſt? vnde venit? quando aduenit? quando diſcedet? Ita ferme parum ſciſcitantur plerique ſtatim atque aduenerit hoſpes, etiamſi non ad ſuam ipſorum, ſed alienam domum diuerterit. Puto tamen, duriuſculum morem noſtrum erga incognitos hoſpites ob id ipſum excuſari poſſe, quod hominum perfidia, fraudes, proditiones adeo in terris percrebuerint, vt eum hoſpitio domi tuae excipere, cuius fidem perſpectam non habeas atque exploratam, opus ſit periculoſae aleae pleniſſimum. Neque vero omnem reiecimus incognitorum aduenarum hoſpitalitatem: nam bene multa in vrbibus ad eos excipiendos xenodochia patent, in quibus chriſtianae caritatis officia pedum lauatione, menſa et cubili perbenigne exhibentur.

Sed etiam Neſtoris ſermonem, quem habet ad Patroclum ab Achille in aciem miſſum *Iliad. lib. XIII.* vt vulneratorum Graecorum ducum ſtatum cognoſceret, ſibique a bello propter iram abſenti ſtatim reuerſus nunciaret, a Transalpini cenſoris criminationibus oportet vindicare. Duo enim redarguit in eo ſermone vitia, inanem gloriationem et imprudentiam. Sed quomodo inanis Neſtoris gloriatio dicenda eſt, dum ſua ipſius iuuenis exempla proponit Achilli imitanda, vt Agamemnoni reconcilietur, et

adflictis

adflictis Graecorum rebus requiſitam opem ferre non amplius differat? Quomodo imprudentia, dum mira arte Patroclum tantiſper detinet eo conſilio, vt acceptas clades grauesque calamitates Graecorum Achilli narrandas exponat, ſi forte iis auditis ad miſericordiam flecteretur? Ceterum ſermo ille ſolis centum quinquaginta verſibus conſtat, et quarta horae pars abunde ſufficit ad eum fundendum. Vt autem ſuſtineat Patroclus, vrgente licet Achillis praecepto maturandi reditus, tum reuerentia tanti ſenis facit, tum eius eloquentia, cuius aureis vinculis irretitus vel nolens detinetur. Debuiſſet ſane tantam cenſoris audaciam ac petulantiam frangere inuidendum Quinctiliani encomium *lib. X. cap. 11.* quod nempe Homerus *omnibus eloquentiae partibus exemplum et ortum dedit.* Quae ſane eloquentia tum alibi paſſim, tum in his ſermonibus maxime elucet; ex quibus Demoſthenem mirum in modum profeciſſe liquet. Sed eſto longiuſculus Neſtoris ſermo. Tollere a ſene laudem ſui et loquendi prolixitatem, idem eſt ac velle, ne ſit ſenex. *Laudator temporis acti ſe puero*, dictus eſt ſenex Horatio, vbi diuerſarum aetatum ſtudia moresque veris coloribus depinxit. Tantum igitur abeſt, vt in eo peccauerit vates, vt potius decorum probe ſeruauerit.

Sed rurſus obſtrepit cenſor, et intolerabilem ſibi adferre moleſtiam, ait, cantionem illam, nimis intemperanter iteratam τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη. Iam de repetitionibus peculiarem diſſertationem edidimus, in iisque ex graecae linguae indole non parum leporis ac venuſtatis ineſſe docuimus, adeo vt Macrobius, ſcriptor non graecus, ſed latinus, ſibi longe minus placiturum Homerum dixerit, ſi ex eo repetitiones tollantur. Hic ſolummodo, vt futilem delicatuli cenſoris criminationem retundam, obſeruabo, quadragies circiter nexum hunc in tam vaſto Iliadis poëmate iteratum eſſe a vate: Ilias enim ferme duodecim millibus verſuum conſtat. In Virgilii Aeneide *vix ea fatus erat; talia dicta dabat; talia voce refert*, et ſimilia longe ſaepius fortaſſe vſurpata offendes, vt in apologia ſcriptor anonymus, Gallus plane doctiſſimus, quem

puto

puto eſſe Boiuinium, cuius haerere veſtigiis plenum gloriae mihi duco, bene ac ſolerter animaduertit. Quia tamen huiusmodi latinae tranſitiones non ita implent aures, vt graeca τὸν δ᾽ ἀπαμειβόμενος, vix ab vllo obſeruantur, aut faſtidiuntur. Hanc quidem Homericam tranſitionem, frigido dicterio deluſam, naſo ſuſpendit Martialis: ait enim

Edita ne breuibus pereat mihi charta libellis
Dicatur potius τὸν δ᾽ ἀπαμειβόμενος;

quemadmodum et aliam ludibrio habet repetitionem, μύστιλλόν τ᾽ ἄρα τ᾽ ἄλλα

Si tibi Myſtillus cocus, Aemiliane vocatur,
Dicetur quare non Taratalla mihi?

Sed quis inſulſum conuiciatorem non reiiciat, qui ineptis argutiolis riſum ac plauſum lectoris auſpicatur? Speciem magis accuſationis iuſtae praeferre videtur id, quod eidem cenſori diſplicet in Phoenicis ſermone *Iliad. lib. X.* Cum enim conſilio Neſtoris miſſi eſſent oratores ad Achillem Vlyſſes ac Diomedes, vt ab ira reuocarent, tertius ipſis additus eſt Phoenix, aetate confectus, qui Achilli puerulo nutritius datus fuerat a Peleo. Sed, antequam progredior, notandum, veteris moris fuiſſe, vt nutritius easdem penderet operas puero, quas nutrix, atque adeo inter alia ferret in genubus, cibumque praeberet et potum. Cum igitur Vlyſſes et Diomedes multa incaſſum dixiſſent, nec peruicacem atque inexorabilem Achillis animum flexiſſent, eum coepit alia ratione adgredi Phoenix, ſi forte expugnaret. In memoriam ſcilicet redigebat, quae ſibi ſeruitia puello praeſtitiſſet, et quantum tunc ſe diligeret Achilles, adeo vt neque cibum, neque potum ab alio praebitum vellet ſumere, quam ab eo in eius genibus ſedens. Hic autem viſus eſt plerisque Homerus tam indecoram et ſordidam circumſtantiam adiicere, vt nulla poſſit ratione defendi aut excuſari. Ait enim Phoenix:

Πολλάκι μοι κατέδευσας ἐπὶ στήθεσσι χιτῶνα
Οἴνου ἀποβλύζων ἐν νηπιέῃ ἀλεγεινῇ.

Quod

Quod ad verbum latini interpretes ita vertunt:

Saepe mihi rigaſti in pectoribus veſtem,
Ex vino euomens in infantia, quae cura indiget.

Non equidem negauerim, lectores e vulgo facile reiecturos Phoenicis ſermonem, etſi multo artificio elaboratum, et validorum argumentorum robore, flexanimaque eloquentia inſtructum, vatique ſtomachaturos, quod tantam labem expreſſerit, epica maieſtate prorſus indignam. Sed ſi quis Homeri mentem penetrare valeat, vimque graecae vocis ab eo vſurpatae multo nitidiſſimae adſequi, non ita ſentiet de ſummo poëtarum principe, qui aquilae inſtar ſupra alios celſiſſimus volat, quique, Horatio teſte, nil vnquam molitur inepte. Nam primum de induſtria voluiſſe videtur Homerus naturam exprimere ſimplici illo candore, quo maxime veteres oblectabantur, nondum luxu peſſimo, omniumque deliciarum mollitie fractis moribus et corruptis. Tabulam, quaeſo, vobiscum fingite, auditores, in qua pictor eximius factum illud exhibeat, Phoenicem nempe geſtantem genibus Achillem puerulum, eique praebentem potum: turpemne ſordidamque pictoris imaginem culparemus, ſi quid epoti liquoris faceret ex ore pueri in ſinum geſtantis ſenis effluere? Quinimmo laude dignum putaremus, quod rem ad viuum repraeſentarit, ipſamque naturam ſub oculos poſuerit. Quem autem latet, picturam et poëſin, conſertis inter ſe manibus, in idem coniurare:

Vt pictura poëſis erit — — — —

diſerte docet Horatius. Sed quorſum haec diſputo? Nil turpe, nil ſordidum, nil indecorum Homerica offert locutio. Vox ἀποβλύζειν nequaquam *euomere* ſignificat, ſed *effundere*, *amittere*, aut etiam *effluere*, *lenique murmure exſilire*, ita vt limpidiſſimae viui gurgitis aquae conueniat e paruis foraminibus, vel ſiphunculis venuſte erumpenti. Neque enim vinum paruus Achilles e ſtomacho euomebat in ſinum Phoenicis, ſed emittebat ex ore. Quam autem faciat nauſeam vel delicatiſſimis effluens ex ore pue-

 ruli,

ruli, aut ſingultientis, aut incurioſi, purus liquor, qui eius tantum labia proluerit? Non igitur Homero vitio dandum, ſed interpretum oſcitantiae, ſi quid labis locus ille, in alias linguas translatus, contrahit. Experiar, an latinis etiam verſiculis nitide poſſit ea Homeri ſententia referri ad hunc modum:

Saepe mihi madidam feciſti in pectore veſtem,
Emanante labris vino infantilibus annis.

Profecto nec turpe, nec indecorum huiusmodi dictum ab vllo exiſtimo habitum iri; etſi latinae linguae paupertas non ſatis exprimat Homericae dictionis nitorem.

Memini, vocem βοῶπις ſaepe ab Homero Iunoni attributam, conſimili ratione olim me defendere *diſſertat. XI.* culpam ibi etiam in interpretes transferendo, qui nitidam vocem graecam fecerunt verſione ſua ſordidam.

DISSERTATIO XXXIX.

DE NONNVLLIS HOMERICIS COMPARATIONIBVS ET SIMILITVDINIBVS A CENSORIBVS TEMERE IMPROBATIS ET QVOMODO OLYMPVS CVM CATENA IOVIS EX EO DEPENDENTE INTELLIGENDVS SIT.

SYNOPSIS.

Beatiſſima in Homero comparationum et ſimilitudinum copia. Homerus mire multiplex ac varius. Comparationes appendicibus auctae. Aiax Telamonius aſino comparatus. Olim aſinis ferebantur principes ac reges. Aſinus fortitudinis et tolerantiae ſymbolum. Salomon equorum copiam primus in Iudaeam inuexit. Menelaus muſcae comparatus. Salomon ſapientem comparat formicae. Muſcae audacia. Praeclarus e Gallia vates muſcam filiam aeris *vocauit. Thetis a Patrocli cadauere muſcas abigit. Quid ſignificetur hoc figmento. Agamemnon primum tribus Diis, deinde tauro comparatus. Neptunus in exem-*

exemplum roboris datus, quia terrae fundamenta concutit. Taurus iuſti regni ſymbolum, leo ſaeuae tyrannidis. Paſtoritiae vitae genus ampliſſimi quique ſaepe amplectebantur. Ad agricolarem vitam videtur homo a Deo factus. Cain agricola, Abel paſtor. Homerus nusquam easdam comparationes obtrudit. Ezechiel eruditione, ingenio, et ſimilitudinum praeſtantia Homero comparatus. Olympus Homericus non eſt Theſſaliae mons, ſed mons coeleſtis. Cacumen Olympus habet in terram obuerſum. Dii hominibus anticephali. Huius nouae interpretationis commendatio.

Inter Homeri laudes non vltima profecta eſt beatiſſima comparationum et ſimilitudinum aptiſſimarum copia. Nonnullae tamen ſunt, quae moroſos cenſores laedunt. Aiunt enim, duritiane frontis, ignoro, an volubilitate linguae magis ſubnixi, partim viles eſſe, partim ridiculas, ac ſublimi poëmati valde indecoras. Quare quod eas Homerus adhibuerit, poëtam habent plane rudem, ac nimis antiquum et caſcum. Hunc igitur nodum extricans, adoleſcentes, vel aduerſariis inuitis et ringentibus, oſtendam, optimas illas eſſe, rectoque iudicio excogitatas, faciamque, vt irrito euentu etiam in hac parte criminationes cadant, aduerſus nobiliſſimum poëtam inſtitutae. Addam deinde, quomodo Olympus cum catena Iouis ex eo dependente intelligi debeat. Dicenti beneuolo animo adeſte, ac fauore veſtro alacritatem addite.

Praeclare lucem adferre ſimilitudines et comparationes, nemo ignorat, diſerteque docet Quinctilianus *lib. VIII. cap. 3.* Hoc autem in genere tam felix, tam locuples Homerus fuit, vt in Iliade plures quam ducentae recenſeantur, quibus poëſin ſuam tam ſublimem fecit, floridam, iucundam, mirabilem. Cum vero praecipue cuſtodiendum, ne id, quod ſimilitudinis gratia adſciſcitur, aut obſcurum ſit aut ignotum, ſed maxime perſpicuum, et ad exprimendam rerum imaginem accommodatum, id ante alios omnes cumulatiſſime praeſtitit noſter vates. Et quoniam mire multiplex ac varius omnigenam eloquentiae ſpeciem exemplis vbique laudatiſſimis repraeſentat, vtitur idcirco ſimilitudine aliquando circumciſe ac veloci-

ter, aliquando fecundius et lentius, ad quasdam circumſtantias digrediens, quae redditioni quidem videantur ſuperuacaneae, ſed tamen ad exornandam multo lepore orationem, lectoremque veluti pictura oculis ſubiecta delectandum adprime faciant. Etiam Salomonem in Cantico canticorum id factitaſſe liquet. Adferam exemplum. *Dentes tui* inquit *cap. IV*, 2. *ſicut greges tonſarum*, *quae adſcendunt de lauacro*, *omnes gemellis foetibus*, *et ſteriiis non eſt inter eas.* Sane ad dentium ſponſae candorem munditiemque exprimendam ſatis fuiſſe reor, eos conferre tonſis ouibus e lauacro prodeuntibus. Quod vero ſingulae gemellos foetus haberent ſub ſe, eſſetque nulla inter eas ſterilis, appendix eſt, quae rei picturam abſoluit, et poëſin facit longe ornatiorem. Si quis igitur Homerum ob huiusmodi comparationes appendicibus auctas redarguit, Salomonem quoque, qui Homeri aetate vixiſſe perhibetur, redarguat, oportet, ipſumque Virgilium, qui eas ex Homero ſaepe imitatus eſt.

Age vero, illas modo adferamus in medium, quae, quod magis cenſoribus diſpliceant, inclementius ab eis reiiciuntur. Aiacem Telamonium, *Iliad. lib. XI.* Aſino comparatum, quis ferat? inquiunt. Quis talem comparationem non abiectam ſentiat, turpem, ac tanto duci maxime indecoram? Bona verba, quaeſo, o boni cenſores. De hoc vos animali iudicium fertis, quale hodie reputatur a nobis. Vile ſcilicet illud habemus, ſegne ac ſolummodo ferendis oneribus, grauibusque fuſtis excipiendis plagis natum. At veteribus non haec de illo ſedebat opinio. Reges et principes aſinis ferebantur, ac praeterea habebatur aſinus fortitudinis, inuictaeque tolerantiae ſymbolum. Non niſi aſinis iudices in Palaeſtina, et viros in tota regione ampliſſimos olim vectos eſſe, multis diuinarum literarum teſtimoniis comprobatur. *Qui adſcenditis ſuper nitentes aſinos*, *et ſedetis in iudicio*, legimus in *lib. Iudic. V*, *10.* Et de Iairo, qui habenas imperii Iſraëlitici, iudicis munere fungens, duobus et viginti annis moderatus eſt, memoriae proditum *X*, *4.* quod *triginta habuerit filios*, *ſedentes ſuper triginta pullos aſinarum*, *et prin-*

principes triginta ciuitatum. Quod plane idem eſt, ac ſi diceremus nunc, quales ſunt noſtri mores, fuiſſe ſingulis currus ſuos, quibus pro dignitate veherentur. Nec mirum videri cuiquam debet, principibus viris hunc fuiſſe antiquitus aſinorum vſum: nam non ſuppetebant equi. Nam Salomon equorum copiam primus in Iudaeam invexit, iisque vti coepit. Quarto ſiquidem regum libro *cap. 26.* perhibetur: *habuiſſe quadraginta millia praeſepia equorum currilium, et duodecim millia equeſtrium.* Figuram vero fuiſſe hoc animal fortitudinis et tolerantiae, nullo grauiore teſtimonio me poſſe probare puto, quam Iacobi, qui bona ac fauſta vaticinia de filiis ſuis, antequam moreretur, proferens, in quemdam illorum dixit: *Iſſachar aſinus fortis, accubans inter terminos. Gen. XLIX, 14.* hoc eſt, fortiter tenens, et defendens adſignatae ſibi ſortis in promiſſae regionis diſtributione fines. Quae cum ita ſint, non video, quare Homero indignemini, quod hanc vſurpauit comparationem, qua nil melius atque accommodatius ad firmiſſimam Aiacis conſtantiam viuis coloribus exprimendam, qui frequentiſſima clypeo excipiebat hoſtium in ſe irruentium tela immotus et inconcuſſus, non ſecus ac loco manens nequit aſinus puerorum baculis a paſcuis expelli. Vbi illud etiam notandum, quod vt magis Aiacis virtutem extollat, hoſtium impetum irae comparat atque ictibus puerorum. Fateor, hanc imaginem antiqui moris rudibus arridere non poſſe; ſed hoc non Homero, quod alias dixi, ſed ipſis imputandum, qui, qualis eſt, in bono lumine collocata, aut videre nequeunt, aut nolunt. Prudens Daceria, ne apud minus peritos lectores nitidiſſima Homeri interpretatio, quam patrio ſermone concinnauit, hoc loco ſordeſceret, ab aſini nuncupatione ſibi abſtinendum duxit, verborumque circuitionem, quibus deſcriberetur, potius adhibuit.

Sed, vt hanc comparationem, quam hactenus vindicauimus, iudicant eſſe indecoram, ita eam, quam modo defendendam ſuſcipimus, aiunt eſſe ridiculam. Patroclo interemto, cum acris de eius cadauere potiundo Graecorum et Troianorum orta eſſet concertatio, in eo tutan-

do maxime omnium Menelai virtus eluxit. Mineruam enim, ait vates, non ſolum maximo compleſſe robore hunc ducem, ſed muſcae etiam audaciam ac pertinaciam ipſi indidiſſe. Cur autem ſtulte derideatur haec ſimilitudo propter animalculi exiguitatem? Non moles, ſed actio conſideranda. Sic enim et Salomon ſapientem formicae comparat; neque tamen huiusmodi comparationem quisquam riſu excipit, ſed quibus cor ſapit, admirantur omnes. Cum igitur muſca iterum ac ſaepius repulſa non abſiſtat, ſed intrepida ſine fine redeat, et morſus ſemper ſit adpetens; quis non videat ac fateatur, probe ab Homero in exemplum adduci, vt audaciam, intrepiditatem et conatus magnitudinem in heroum optimo exprimeret? Quod ſi quis ait, comparatum muſcae Menelaum quantum ad robur, mentitur ampliter. Diſerte enim tradit vates, robur ipſi a Minerua infuſum, quod ab ea ſupplex poſtulauerat, ac praeterea muſcae audaciam. Itaque neque hic Homeri locus ob muſcae comparationem ludibrio habendus, neque alii, quos exemplis ab ea ductis ſimiliter explicat et exornat. Praeclariſſimus e Gallia vates, vt obſeruat Daceria, vt muſcam in ſuis carminibus nobilitaret, nec mollem planeque faſtidioſum ſeculi guſtum laederet, *filiam aëris* dixit. Praeter ſimilitudines a muſca deſumtas illud etiam iniqui cenſores naſo ſuſpendunt, quod de Thetide, a Patrocli cadauere muſcas abigente, Homerus confingit *Iliad. lib. XIX.* Vah, inquiunt, nobile ac Dea dignum miniſterium! Nonne erat Achilli aliquis captiuus, qui muſcas expelleret? Vah, inquam ego, frigidum atque inſulſum dicterium! Sub eo figmento docuit vates, nil ſale vtilius atque efficacius ad repellendam mortuarum carnium putredinem, nil contra ad eas corrumpendas opportunius ac paratius muſcis, e quarum relicto ſemine putres vermes facile ac citiſſime innaſcuntur. Cum igitur ſub ſpecioſis Deorum fabulis naturae facta deſcribere Homero licuerit, vt diſputatione XVII. ſatis oſtendimus, curam ſeruandi cadaueris, ne putreſceret, optime aptiſſimeque Thetidi, marinae Deae, commiſit.

Quid

Quid de Agamemnone primum tribus Diis, mox tauro comparato? *Iliad. lib. II.* Hic pariter non bonum Homeri iudicium ab aliquibus incuſatur. Nam aegre ferunt, poſt tres nobiliſſimas comparationes quartam illam adiici, qua emicans Agamemnonis gloria obſcurari videatur, et e ſummo faſtigio, ad quod fuerat euecta, continuo repelli deorſum. Sed Homeri ſententiam expendamus, vt clare conſtet, an haec item criminatio falſa ſit. Poſtquam Graecorum aciem, armis inſtructam belloque paratam deſcripſit, inter eos facit regem Agamemnonem incedentem, oculis ac capite Ioui fulmen eiaculanti ſimilem, baltheo Marti, pectore, hoc eſt, robore Neptuno. Vbi notandum obiter eſt, Neptunum in exemplum roboris dari, quia terrae fundamenta concutere dicitur, ἐννοσίγαιος. Qualis autem taurus in frequenti armento eminet, talem Iupiter eo die conſtituit Agamemnonem valde praeſtantem, eximiumque inter multos heroas.

— — — μετὰ δὲ κρείων Αγαμέμνων
Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διῒ τερπικεραύνῳ,
Αρεα δὲ ζώνην, ϛέρνον, δὲ Ποσειδάωνι.
Ηΰτε βοῦς ἀγέληφι μέγ᾽ ἔξοχος ἔπλετο πάντων
Ταῦρος (ὁ γάρ τε βόεσσι μεταπρέπει ἀγρομένῃσι)·
Τοῖον ἄρ᾽ Ατρείδην θῆκε Ζεῦς ἤματι κείνῳ
Εκπρεπέ᾽ ἐν πολλοῖσι καὶ ἔξοχον ἡρώεσσιν.

Qui valet in graeco textu ſublimitatem huius loci elegantiamque peruidere, admiratione defixus vix aliquid putat excogitari poſſe melius ac praeſtantius ad imperatoriam dignitatem exornandam. Sed quia ii, qui graecae linguae penetralia non rimantur, comparationem tauri, vt dicebamus, non probant, audiendus eſt Euſtathius. Exiſtimat enim tres Deorum comparationes pro iis vſurpaſſe Homerum, quibus mens ſublimior, et ad penetrandum allegoricum ſenſum acutior; pro iis autem, qui ad intelligendum hebetiore facultate vtuntur, comparationem tauri, quae ſub ſenſum cadit, addidiſſe. Equidem doctiſſimo interpreti ſubſcribo: reor tamen, dici etiam poſſe, illud praecipue ſibi vatem praefixiſſe, vt praecellen-

tem in acie Agamemnonem exhiberet, qualis praecellit taurus in armento. Vt vero magnificentius illum efferret, Iouis maieſtatem, Martis habitum ac Neptuni robur illi adfingit, adeo vt, licet vltimo ponatur loco tauri comparatio, tamen in mente vatis fuerit prima, caetera vero ad maiorem ornatum addita. At, inquiunt, nonne praeclarius erat Agamemnoni, ſi leoni compararetur? Nequaquam. Cum enim hic agatur de imperio agminis, aptior ad hoc ſignificandum taurus, qui armentum ducit, quam leo, cui natura id proprium non eſt. Accedit, quod veteribus iuſti imperii ſymbolum taurus fuit, ſaeuae tyrannidis leo. Neque putandum, nobiliſſimam non eſſe hanc comparationem a tauro ductam: cum enim paſtoritiae vitae genus ampliſſimi quique ſaepe amplecterentur, in eoque ſe exercerent, praeclaras inde ſpecies comparationibus ac ſimilitudinibus concinnandis poëtae autumabant. *Commendatur*, inquit Auguſtinus, *in patriarchis*, *quod pecorum nutritores erant a pueritia ſua*, *et a parentibus ſuis. Et merito. Nam haec eſt ſine vlla dubitatione iuſta ſeruitus et iuſta dominatio*, *cum pecora homini ſeruiunt*, *et homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum eſt*, *cum crearetur: Faciamus hominem ad imaginem et ſimilitudinem noſtram, et habeat poteſtatem piſcium*, *maris et volatilium coeli*, *et omnium pecorum, quae ſunt ſuper terram. Quaeſt. ſuper Geneſ. lib. I.* Atque hinc factum, auditores, vt etiam diuina poëſis Salomonis, quod Canticum canticorum inſcribitur, huiusmodi paſtoritiis et agricolaribus comparationibus plane fluat. Nam et de vita agricolari idem dicendum, quod de paſtoritia diximus. Nonne ad vitam agricolarem videtur homo a Deo factus? Vt de Adamo ſileam, nonne e duobus eius filiis alter paſtor fuit, alter agricola?

Quid? quod Homerus inſuper arguitur, ex eadem re deductas comparationes ſaepius, quam par eſt, obtrudere. Id profecto verum eſſe vltro concedimus; ſed easdem in Homero redire comparationes, conſtantiſſime pernegamus. Nihil autem obſtat, quin ex vna eademque re, diuerſas ſpecies offerente, plures ac diuerſae elician-

tur

tur comparationes. Caeterum tam bonus eſt, eximiusque in comparationibus et ſimilitudinibus noſter vates, vt eruditiſſimus Calmetius, prophetam Ezechielem laudans, eruditione, ingenio et ſimilitudinum praeſtantia ipſi comparet, ſupra quem tamen prophetiae dono, quod eſt incomparabile, immenſe adſurgit.

Quandoquidem vero hodiernus ſermo Homericas ſimilitudines reſpicit, interpretatur, defendit, imaginem ſummae Iouis poteſtatis, quam exprimit in aurea catena, ex Olympo dependente, rurſus vobis proponimus obſeruandam. Hanc enim ad ſimilitudinum genus facile referri putamus. Rurſus, inquam; nam diſſertat. XXVI. quid illa catena ſignificaret, triplici explicatione docuimus. Et quia tunc Olympum non ſcrutabatur noſtra interpretatio, ſed catenam: non putauimus referre, coelumne ibi nominaremus, an Olympum. Hinc vero, de Olympo agentes, iucundumque corollarium huic diſputationi concinnantes quaerimus, quomodo ex Homerico figmento conſtitutum ac locatum debeamus montem illum intelligere. Non enim videtur Olympus ab Homero pro coelo figurate ſumi, ſed tamquam ipſius coeli pars confingi. Nam Boiuinius alter *Monum. Inſcript. Tom. X. Diſput. XXIV.* contendit, non hic ab Homero intelligi Olympum, Theſſaliae montem, ſed Olympum, montem coeleſtem, adeo, vt, quemadmodum montes e terra adſurgunt obuerſo in coelum vertice, ita e contrario Olympus Homericus radicibus in coelo defixis verticem habeat in terram obuerſum. Qui montes in Luna vident, iis certe veriſimilitudini abſonum hoc vatis figmentum adpellare non licet. Multa ſane permouerunt eruditiſſimum virum, vt hanc interpretationem amplecteretur, et in vulgus ederet.

Duo tantum, optimi iuuenes, vobis indicabo. Primum eſt, vt Homerus cum Homero concilietur. Cum enim vno loco Olympum vates adfirmet niuibus coopertum, alio contra expertem eſſe niuium; non poſſunt haec inter ſe conuenire, niſi dicatur hic mons in vertice, quo a coelo longiſſime diſtat, habere niues, ad radices vero,

vbi habitant Dii, carere niuibus. Alterum eſt, quod catena illa ex Olympo dependens non poteſt ad terram demitti, niſi eius cacumen in terram obuerti reputemus. Qua Olympi conſtitutione admiſſa Dii erunt hominibus anticephali. Neque id vllo modo rectae philoſophandi rationi repugnare exiſtimabimus: ſiquidem homines, terris inhabitantes, ſibi inuicem ſunt antipodes. Quincumque enim incolae in ſuperficie loci, vbi degunt, recti conſiſtunt, etſi aduerſis incolis ſtatus eorum videatur abſurdus et monſtroſus. Nuperam hanc ſatisque ingenioſam, et ab alio nemine hactenus excogitatam, interpretationem quam maxima cum voluptate animi mei ſemel iterumque perlegi, dignam cenſui, cui omnes adplauderent. Ex luculentiſſima vero diſputatione, qua illa gallice pertractatur, pauca delibaui, vobisque attuli, ſtudioſiſſimi iuuenes, ne quid eorum vos lateret, quae docti homines ad illuſtrandum Homerum in hunc diem elucubrarunt.

DISSERTATIO XL.

AN QVAE DE HELENA HOMERVS HABET SINT FABVLOSA AN ADVENERIT IN ITALIAM AENEAS ET ALIA QVAEDAM AD EXAMEN REVOCATA.

SYNOPSIS.

Antenoris conſilium reddendae Helenae. Herodoti de Helena narratio. Eius coniecturae, quod non fuerit Troiae, reiiciuntur. Diuini numinis conſilio ſua Troianos excaecauit dementia, vt, non reddita Helena, euerterentur. Iſocratis teſtimonium de Helena Troiae commorante. Helena bis in Aegypto fuit. Cypria carmina Homerum non habent auctorem. Menelaus poſt Troianum bellum octo annis aberrauit, priusquam in patriam ſuam reuerteretur. Herodoti hiſtoria mendaciis ſcatet. Fabulis Homericis ſubſtrata veritas. Poltyos,

tyos, regis Thraciae, pulcherrimum dictum. Locus Homeri de Aenea, Troianis imperaturo, expenditur. Confutatur argumentum negantium, Aeneam aduenisse in Italiam. Strabo figit in Troia Aeneae regnum, Liuius et Dionyſius Halicarnaſſeus in Italia. Straboni adſentitur Daceria. Daretis et Dictyos leuis auctoritas. Homerus teſtis grauiſſimus. Aeneae pietas, fortitudo, probitas. Priamus Aeneae infenſus. Verſus leonini, ſiue echoini, in Homero non ſunt improbandi. Aliqua loca temere ex Homero cenſores expunxerunt. An contra grammaticas leges Homerus peccauerit.

Helenam, decennalis belli cauſſam, toto illo tempore apud Alexandrum, ſiue Paridem, Troiae commoratam eſſe, tradit Homerus. Aeneam, euerſa Troia, in Italiam adueniſſe, tradit Virgilius. Sunt, qui vtrumque denegent. Nos vero de vtroque hodierna diſputatione quaeremus. Neque exiſtimate, auditores, alteram quaeſtionem minus ad Homerum pertinere. Locus enim inſignis de Aenea in Iliade occurrit, qui ad eam dirimendam valde facit. Expendemus deinde alia quaedam, quorum confutatio vobis, iuuenes, diſcendi cupidis, et Homeri ſtudioſis, φιλομαθέσι καὶ φιλομήροις non poterit non accepta eſſe et iucunda.

Sapiens Antenor, cum videret, obſeſſae iam pridem vrbi vltimum impendere excidium, Troianis ſuis ſaluberrimo adſuit conſilio, auctor ſiquidem erat, vt malum auerruncarent, Helenam Menelao reddentes cum omnibus opibus, quas Argis Troiam aſportauerat *Iliad. lib. IX.* Hoc autem illis exſequi detrectantibus dirutum, incenſum, deletum ſuperbum Ilium eſt. Iam fingite, auditores, Helenam numquam fuiſſe Troiae: nonne tota corruit, a fundamento conuulſa, Iliaci carminis moles? nonne omnis ab eo veritas et fides hiſtorica longe amandatur? nonne recentiorum Romanenſium fabularum inſtar, commentitia omnia habebit Ilias? Qui contra Homerum facile ſentiunt, eumque criminando triumphare videntur, Herodoti auctoritate ſe communiunt, eique, vtpote hiſtorico, fidem magis habendam eſſe praedicant, quam Homero. Herodotus igitur audiendus. Hic refert libro ſecundo,

do, qui Euterpe inſcribitur, Alexandrum, rapta Helena e Sparta, cum domum renauigaret in Aegaeo, ventorum procella in Aegyptium pelagus delatum, atque illinc non remittentibus ventis adpulſum eſſe in Aegyptum, et quidem ad oſtium Nili, quod Canopicum vocabatur. Thonis, eius oſtii praefectus, ab Alexandri mancipiis, a quibus odio habebatur, rem, vt erat, didicit, miſitque Memphim ad regem Proteum, qui haec nunciaret. Proteus quidem ſceleſtiſſimum facinus deteſtatus eſt, nolens tamen virum peregrinum interficere, praecepit, vt triduo e ſuo regno abiret, ſtatuitque Helenam cum opibus ſimul ablatis tamdiu ſeruare apud ſe, quamdiu vir eius, tam inſigni adfectus iniuria, ad omnia recipienda aduenerit. Interim Graeci magnis copiis auxilio venerunt Menelao in Teucridem. Quibus in terram egreſſis, oratores ad Troianos miſerunt Graeci, cumque eis ipſum Menelaum, qui tum Helenam opesque, quas Alexander ſibi furto abſtuliſſet, tum iniuriarum poenas repoſcerent. Teucri autem et tunc, et poſtea, ſe non habere Helenam, neque opes, de quibus arguerentur, tactis aris, adfirmabant, ſed ea in Aegypto eſſe omnia, neque ſe iuſte reatum ſuſtinere earum rerum quas Proteus, Aegyptius rex, teneret. At Graeci, ſe ab illis derideri putantes, ita obſederunt Ilium, donec expugnarent. Vrbe capta cum Helena non adpareret, et eamdem orationem, quam prius, audirent, ita demum habita prioribus verbis fide, Graeci Menelaum ipſum ad Proteum mittunt, qui, vbi in Aegyptum peruenit, et Memphin naue adſcendit, expoſita rei geſtae veritate, honorificentiſſime hoſpitio exceptus, Helenam, malorum immunem, recepit et inſuper omnes pecunias ſuas. Haec plane omnia ait Herodotus narraſſe ſibi, dum in Aegypto verſaretur, eius gentis ſacerdotes. Ab eis ſiquidem percontatus eſt, an Homeri poëma eſſet fabuloſum. His vero, quae de Helena ſibi commemorata ſunt, ſuam ſubiicit rationationem. Si intra Ilium, ait, fuiſſet Helena, vtique fuiſſet Graecis tradita, ſiue volente Alexandro, ſiue inuito. Neque enim ita deſipiebat Priamus, aut alii eius propinqui, vt ſuis ipſorum corporibus ac liberis

ris atque etiam vrbe periclitari vellent, quo Alexander Helenae nuptiis potiretur. Quodſi etiam inter initia ita ſenſiſſent, tamen poſteaquam, conflictibus contra Graecos habitis, cum multi aliorum Troianorum, tum vero Priami filiorum duo, tresue aut plures perierant praeliantes, ſi quid referentibus credi verſificatoribus debet; haec, inquam, talia cum contigiſſent, ego crediderim, Priamum, vel ſi ipſe contubernalem Helenam habuiſſet, Achaeis redditurum fuiſſe, deſiderio praeſentia mala deuitandi. Neque vero regnum ad Alexandrum pertinebat, vt iam ſub eo res eſſent, ſeniore Priamo, cum Hector et natu maior, et virtute praeſtantior, quam ille, regnum eſſet defuncto Priamo ſuſcepturus; quem haudquaquam decuiſſet fratri iniuſte agenti indulgere, cum praeſertim tanta mala propter eum tum priuatim ipſi, tum ceteris Troianis omnibus euenirent. Sed nec poterant reddere Helenam, quae longe aberat, nec verum dicentibus eis Graeci fidem habebant; numine, vt quod ſentio dicam, ita diſponente, vt funditus euerſi planum facerent hominibus, magnarum iniuriarum magnas a Diis etiam venire vltiones. Habetis, iuuenes, de hac re Herodoti narrationem et ſententiam, quam non graece, ſed latine in gratiam eorum, qui graeca minus intelligunt, vobis adferre volui ex Gronouii interpretatione: cum enim bona ſit et accurata, putaui non oportere inutilem a me ſuſcipi laborem adornandi nouam. Quid vero de huiusmodi teſtimonio ſentiendum? Duas plane conſtat, auditores, quae de Helena circumferebantur, fuiſſe traditiones, vnam Aegyptiorum ſacerdotum apud Herodotum, alteram Homeri. Quis vero non videat, magis prae ſe ferre ſpeciem fabulae id, quod narrabant ſacerdotes, quam quod habet Homerus? Eſtne, quaeſo, veriſimile, in ea ambiguitate perdurare voluiſſe Graecos decem annos? Cum recipiendae Helenae tam eſſet cupidus Menelaus, non mitteret ſtatim aliquos in Aegyptum, qui exquirerent, an vere apud Proteum illa detineretur? Non id omnino faciendum cenſerent frater Agamemnon, ſupremus copiarum imperator, Neſtor, aliique duces? Quae maior abſurdi-

tas, quae inſignior imprudentia, quae craſſior ſtoliditas de Graecis ducibus, virtute et conſilio celeberrimis, confingi vmquam poſſit? Nec mirum, ſi Troiani Helenam non reddiderunt, vt tantum a ſe malum propulſarent. Diuini enim numinis conſilio ſua eos excaecauit dementia, vt grauiſſimorum ſcelerum poenas vrbis clade ac ruina penderent; quod et ipſe Herodotus dixit. Iſocratis in encomio Helenae tantum, ait, exarſiſſe bellum inter Graecos et Troianos, quod alteri pro Europa, alteri pro Aſia dimicarent, exiſtimantes, in vtra talis femina incoleret, eam regionem feliciorem fore.

Haec probe argumenta ſenſiſſe videntur ex omni antiquitate ſapientes viri, qui Homericam traditionem magis amplectendam exiſtimarunt, quam commentitiam Aegyptiorum ſacerdotum narratiunculam. In iis enim, quae ad hiſtoriam pertinent, tanti fecerunt veteres Homeri auctoritatem, vt ſingulos eius verſus ſingula teſtimonia arbitrarentur. Profecto Helenam in Aegypto fuiſſe, ipſe quoque Homerus tradit. Paris enim vt ex *Iliad. lib. VI.* liquet, poſtquam Helenam rapuit, et Sparta aufugit, longa vſus eſt nauigatione, delatusque in Phoeniciam, Aegyptum aliasque regiones, ſiue id ventorum vi factum eſt, ſiue conſilio certo, vt perſequentes ſe declinaret. Sed, antequam Graeci expeditionem molirentur, cum omni praeda ad patriam ſuam rediit incolumis. Atque hinc bene concludit Herodotus, Cypria carmina, quae Homero tribuebantur, non habere Homerum auctorem, quod illa ſcribant, triduo Paridem Sparta perueniſſe Troiam. Refert etiam Homerus *Odyſſ. lib. IV.* Helenam in Aegypto a Polydamna, Thonis vxore, multa accepiſſe vtilia pharmaca, inter quae illud nobiliſſimum, quod *nepenthes* adpellatum eſt. Sed tunc in Aegypto fuit Helena non cum Paride, ſed cum Menelao poſt Troianum bellum. Nam octo annis huc atque illuc longe aberrauit Menelaus cum ſua Helena, procellis actus, priusquam Spartam reuerti poſſet, φίλην εἰς πατρίδα γαῖαν. Satis oſtendiſſe mihi videor, ea, quae de Helena Homerus habet, fabuloſa non eſſe reputanda, cum magis conſtet veritati

con-

congruere, quam quae narrata ab Herodoto leguntur. Quem vero latet, huius hiſtorici fidem apud plerosque leuis eſſe ponderis, eiusque libros fabulis ac mendaciis ſcatere, plus quam carmina poëtarum? non quod data opera mendacia confingeret, ſed quod nimia facilitate, quae ſibi commemorarentur, admitteret. Ceterum etſi quoque Homerus, vtpote qui poëta eſſet, multas obtrudat legentibus fabulas, quarum offucia carmina ſua quaſi oblinit et exornat, his tamen veritatem paſſim ſubſternit. Vtrumque ſane poëma concinnauit, veris falſa remiſcens; vtrumque tamen ſuppoſito verae hiſtoriae fundamento conſtabiliuit. Sententiam hactenus vindicatam de Helena, Troiae permanente toto obſidionis tempore, pulcherrimum Poltyos, regis Thraciae, dictum confirmat apud Plutarchum, quod Homericae traditioni valde ſuffragari ſapientiſſima Daceria iam vidit. Cum enim tum Teucri, tum Graeci ad eum oratores miſiſſent, qui peterent, vt foedus ſecum iungeret, ſibi conſultius videri reſpondit, vt Paris Helenam reſtitueret; ſe pro vna Helena duas ei venuſtas mulieres dono miſſurum, quibus dolorem ſuum ob talem iacturam leniret.

Iam vero prima, quam de Helena propoſuimus, quaeſtione diſcuſſa, altera de Aenea ſequitur diſcutienda. Sicut alii aduerſus Homerum Herodotum facere putant, et huius auctoritate nixi mendacii illum inſimulant, ita alii adverſus Virgilium Homerum ſtatuunt, et fabuloſum Aeneae in Italiam aduentum, Homero teſte, praedicant. Dum enim cum Achille Aeneas pugnaret, vitaque periclitaretur, iamiam nudato enſe irruente in eum hoſte, Neptunus, Deos adloquens, oſtendit, oportere ſeruari Aeneam, quod fatorum lex longiorem ei aetatem tribueret. Nolle enim, aiebat, Iouem, quamuis Priami generationem auerſaretur, Dardani genus perire funditus, ſed eius ſemen per Aeneam ad poſteros propagari. Hunc namque Aeneam Troianis fore imperaturum, eiusque poſt eum filios ac nepotes *Iliad. lib. XX.* Hic certe fons atque origo, vnde Virgilianum poëma effluxit:

Νῦν δὲ δὴ αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παιδῶν, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Quos duos verſiculos latinos fecit Virgilius *Aeneid. lib. III.* vbi Apollinem facit ſic Aeneae vaticinantem:

Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, et qui naſcentur ab illis.

Nam legiſſe videtur *πάντεσσιν* pro *τρώεσσιν.* Nihilominus ſunt, qui malint hunc Homeri locum aliter interpretari, ex eoque concludere, Aeneam nequaquam adueniſſe in Italiam. Contendunt enim, Homerum Aeneae regnum in Troianorum finibus omnino concluſiſſe. Cum enim floreret vates centeſimo ſexageſimo circiter anno a bello Troiano, ſuumque probabiliter ſcriberet poëma in aliqua vrbe Ioniae prope Phrygiam, non feciſſet, inquiunt, Neptunum vaticinantem, fore, vt Aeneas eiusque poſteri imperarent Troianis, ſi regnum illud aliquis e poſteris Aeneae tunc non obtineret. Verum hoc argumento leui et imbecillo contrariam opinionem neque conuelli, neque labefactari puto. Neptuni ſiquidem vaticinium probe implebatur, tenente Aenea eiusque poſteris Troianorum regnum etiam apud exteros, et ſociorum rempublicam in Italia adminiſtrante. Non enim praedixit Neptunus, Aeneam imperaturum in vrbe Troia, ſed Troianis. Quodſi Strabo *lib. XIII.* figit in Troia regnum Aeneae, et locum Homeri contra id, quod Virgilius narrat, interpretatur, opponam Straboni nobiliſſimos hiſtoricos, Livium ac Dionyſium Halicarnaſſeum, quorum alter bene et accurate Homeri ſenſum perſcrutatur, et iuxta receptam vulgo opinionem ſapienter exponit. An vero Virgilius legerit, vel ipſemet Auguſto ſuppalpaturus, *πάντεσσιν* pro *Τρώεσσιν* repoſuerit, nihil referre arbitror ad elidendam aduentus Aeneae in Italiam fidem. Taceo Solinum, Manethonem Aegyptium, Didymum, Leſchem, paruae Iliadis auctorem, Natalem Comitem, aliosque plurimos, Aeneam in Italiam adueniſſe adfirmantes, licet alium aliter. Equidem doleo, in hac controuerſia erudiſſimae Daceriae, aliisque nonnullis recentioribus doctis viris,

viris, qui contrariam ſententiam tuentur, me non poſſe adſentiri. Cum vero prae omnibus veritati ſtudeam, mihi ignoſcendum, ſi, quod veritati magis conſonum mihi videatur, amplector.

Sed et illud omnino falſum exiſtimandum, patriam ab Aenea fuiſſe proditam. Id ſane ſcripſerint Dares Phrygius ac Dictys Cretenſis: quid tum? Quae fides habeatur hiſce ſcriptoribus, qui licet aequales Troiano bello perhibeantur, longe recentiores eſſe reperiuntur? qui in ipſo nomine profitendo mendaces fuerunt? qui ſub magnis nominibus fucum facere lectoribus, et ſuas ineptias pro veris obtrudere ac venditare conati ſunt? Num apud cordatos viros plus habeant ponderis eorum nugae, quam grauiſſimum Homeri teſtimonium, rerum ad Troiam geſtarum clariſſimi, vetuſtiſſimi ac locupletiſſimi ſcriptoris? Homeri igitur auctoritas hanc ſuſpicionem euellere debuerat ex mentibus tum Menecratis Xanthii ex antiquis apud Dionyſium Halicarnaſſeum *lib. I. cap. 6.* tum Sebaſtiani Conradi ex recentioribus. Aeneam ſiquidem egregiae pietatis, fortitudinis ac prudentiae laudibus praeſtitiſſe, adeoque fuiſſe prorſus a tanto ſcelere alienum, non vno in loco Homerus narrat, ac diſerte demonſtrat. Quamobrem, cum Priami generationem delendam eſſe decreuiſſet aequiſſimus Iupiter, tum propter perfidiam Laomedontis, tum Priami eiusque filiorum iniuſtitiam, quam in retinenda Helena exercebant, Aeneas, qui ex altero germine Dardani in Lucem prodierat, ſpectata religione in Deos Ioui carus, iuſtus, probus reſeruatur ad Troianorum imperium alio transferendum euerſa Troia, longe maius antiquo, potentius, auguſtius. Atque hinc cauſſam coniectare licet, cur parum eſſet hic princeps acceptus Priamo, limisque ab eo oculis adſpiceretur, vt ex ipſo Homero adparet. Nempe moribus diſcrepabat, et reddendae Helenae, pacisque cum Graecis componendae, auctor ſemper fuit. Forſitan praeſenſerat Priamus, regnum Troiae a ſuo progenie auferendum et ad Aeneam eiusque poſteritatem Deorum vaticiniis deuenturum. Quamobrem et Helenam fuiſſe Troiae, dum bellum in-

ter Graecos et Troianos gereretur, et Aeneam Troianis imperaſſe, translato in Italiam regno, patriamque ab eo non proditam, ſed ſtrenue defenſatam, extra omnem dubitationem ponendum ducimus.

Sunt et alia quoque, de quibus ſimiliter inueteratam opinionem, quae per tot ſecula in hominum mentibus inſederat, amoliri nonnulli ſtuduerunt. Nam probandum, ſi Diis placet, ſuſcepere, Ilium non eſſe captum, Graecos non fuiſſe victores, ſed victos, Penelopen non caſtam, ſed impudicam, Didonem contra non impudicam, ſed caſtam, et id genus alia. Miror ſane, non adhuc inventum eſſe aliquem, qui, ne Troiam quidem exſtitiſſe, dixerit. Equidem nolim, auditores, leui ſtultaque credulitate multa, quae vulgo circumferuntur, probari; ſed nolim etiam nimia perplexitate atque immodica de rebus omnibus ambigendi ſtudio ſaepe veritatem extrudi.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum.

Nónne fuit horum dubitantium vnus, qui carmina, Horatio, Martiali, Ouidio, aliisque tributa, adfirmare auſus eſt non genuinos eorum partus, ſed ſuppoſititios veterum, neſcio quorum, monachorum fraude, quibus ea nomina ementiri, et literarum reipublicae imponere placuerit? Adeo verum eſt, auditores, nihil eſſe tam abſurdum, abſonum et a communi rectoque hominum ſenſu alienum, quod non dicatur, niſi haec veteres opiniones amandandi, nouasque contrarias obtrudendi cupido, aut cacoëthes, quibusdam moderationis veluti cancellis circumſcribatur.

Sed iam tres alias criminationes, quae in Homerum iactantur, breuiter retundam, et hanc diſputationem abſoluam. Offendi olim quemdam, qui Homero primoribus labris vix deguſtato, leoninos verſus in eo identidem occurrentes citra faſtidium admittere nequibat. Luſum enim aiebat ſibi videri, qui epici carminis maieſtatem minus deceret: quare bene feciſſe Virgilium, ſtudioſiſſimum ceteroqui Homeri imitatorem, dum ab his iocularibus

laribus quaſi nugis ſibi abſtinendum putauerit. Verum non longa mihi meditatione laborandum fuit, quomodo crimen hoc propulſarem. Statim enim reſpondere licuit, ideo haec ab eo dici, quod graecae poëſeos, ac praeſertim Homericae, indolem non probe noſſet: ceterum non ita exiſtimare eos, qui, profundiorem cognitionem nacti, multum ineſſe vident iis verſiculis apud Homerum leporis et gratiae. Namque huc atque illuc ſolerti iudicio diſperſi, ſuisque locis apprime coaptati, non ſolum epopoeae grauitatem non frangunt, ſed decenter ornant, multoque faciunt elegantiorem, non ſecus ac gemmae quaedam nobiliſſimam matronam. Falſum vero docebam eſſe, huiusmodi verſiculos prorſus a ſuo poëmate Virgilium reieciſſe. Succurrebat enim ille *Aeneid. lib. III.*

Cornua velatarum obuertimus antennarum.

Et rurſus alius *lib. IX.*

I nunc, et verbis virtutem illude ſuperbis.

Quod ſi non ita ſaepe factitauit, in cauſſa fortaſſe fuit, quod, cum latinus ſermo minus leniter quam graecus fluat, ſicut minus elegantiae, ita plus difficultatis habet in latina poëſi eorum verſiculorum compoſitio atque vſus. Interim obſeruetis volo, ornatiſſimi adoleſcentes, hos verſus vulgo *leoninos* adpellatos (rationem huius adpellationis reddente Iul. Caeſ. Scaligero lib. de Poët.) rectius vocari apud Hadrianum Iunium in Nomenclatore *echoinos*, ἠχικούς. Cum enim echo vocis imago dicta ſit, hoc eſt, imitatio, vt placuit Porphyrioni, ſonusque eorum verſuum extremus reſponſet medio, eumque voce ſimiliter deſinente perfecte imitetur, iis ab echone nomen conuenienter inditum eſt. Eosdem ſonos habet etiam Homerus in fine duorum verſuum, vt *Odyſſ. lib. VII.*

— — χρειώ με κατήγαγεν εἰς ἀΐδαο
Ψυχῇ χρησόμενον Θηβαίου Θειρεσίαο.

Ex quibus puto ortum habuiſſe homoeoteleuton, quo pleraeque linguae, ac praeſertim vernaculae recentiores ſua

 car-

carmina, etiam heroica, componunt et concinnant, vt Italica noſtra in octoſtichis et tetradecaſtichis facit. Quod euidens argumentum eſt, ſoni imitationem ſiue in vno, eodemque verſu, ſiue in pluribus ac diuerſis ab epica poëſi non reiectari.

Noſtrum vatem incuſant alii, quod aliqua ſibi excidere dicta ſiuerit tam non ferenda, vt cenſores, quorum praecipui Zenodotus fuerunt et Ariſtarchus, ne iis laederetur lector, expunxerint. Id plane factum non inſitior, auditores; ſed iniuria, ſed inſcitia. Horum, quaeſo, vnum mecum perpendite, quod maxime omnium aiunt offenſioni legentibus eſſe et horrori. Phoenix, Achillis nutricius *Iliad. lib. IX.* dum ei ſuaderet, vt, exſtincta ira, ſuis in extremum diſcrimen coniectis, ſubueniret, memorat, quomodo olim iuuenis apud ſe ſtatuiſſet, ira percitus, patrem ſuum interimere, quod tamen auertentibus tantum ſcelus Diis non fecit. Itaque quatuor verſus, quibus rem hanc Phoenix narrat, detruncauit Ariſtarchus, ratus, teterrimum parricidii propoſitum, licet exſecutioni non demandatum, ne nominandum quidem. Sed aliter pulcherrimo tractatu de audiendis poëtis viſum eſt Plutarcho, qui tempeſtiue dictos ad flectendum Achillem cenſuit. Oſtendunt enim, quam exitiale malum ſit ira. Si quis enim non eam deleniuerit et coërcuerit, caeco furore ad quoduis perpetrandum flagitium impellitur. Nonne vero inde colligitur, Achillem ſimiliter, vt aduerſus Agamemnonem expleat iram ſuam, nec Phoenici quaſi parenti ſuo proſpicere, nec omnibus Graecis innoxiis, ſinentem eos miſere peſſum ire? Ita plane res habet, auditores: Homerus inſtar ſolis eſt, qui luce ſua ſanos oculos ac robuſtos colluſtrat, debiles et adfectos laedit. Ceterum huiusmodi verſuum reiectiones perperam factas eſſe, ſenſit etiam Lucianus. Altero enim verae hiſtoriae libro, vbi ad inſulas fortunatas peruenit, ſe confingit ab Homero eſſe ſciſcitatum, num verſus, qui ex eius poëmate demti ſunt, ipſemet fecerit, eumque reſpondiſſe, ſuos profecto eſſe omnes. Quapropter liquere, ait Lucianus, quam

frigi-

frigida fuerit cenſura Zenodoti et Ariſtarchi, qui eos eliminarunt.

Ridicula tandem obtrectatio quorundam grammaticorum, ſeu potius grammatiſtarum, ſannis explodenda. Non carere, aiunt, dictionis vitio Homerum, et aliquando contra rationem artis grammaticae peccare. Quaſi vero ipſi loquendi leges Homero tradere et non ab eo accipere debeant. Grammaticae praeceptiones non ante Homerum exſtitere, ſed poſt eum, atque ex eo ſunt formatae. Quare ſi quid occurrat in illo (idem dicendum de Platone, Demoſthene, aliisque), quod grammaticis regulis non reſpondere videatur, non ſtatim damnandum, obeloque fodiendum. Quaedam libera et vaga, aut etiam perturbata iure ſuo in ſcriptis ſuis vſurparunt veteres auctores maximi et loquendi magiſtri. Neque oblitos dixerimus, quid ante poſuerint, et ſic incongrue ſententias mancas pronunciaſſe, ſed ſtudio id feciſſe, ſibique figuris illis defectionis, quaecumque demum cauſſa fuerit, in iis locis vti collibitum eſſe. Cicero ipſe, Graecorum exemplum ſecutus, plura effudit huiusmodi dicta, quae parte ſui videntur obtruncata. Atque haec cuncta, quae putantur a grammaticis peccata vnusquisque horum auctorum vna ſaepe ſublimitate, vt docet Longinus *Sect. 36.* vniusque ſententiae magnificentia redimunt. Sane vniverſa Homeri, aut cuiusuis alterius eiusdem granditatis ſcriptoris delicta in vnum collata non minimam, ac ne milleſimam quidem horum adaequabant partem, quae a diuinis illis hominibus praeclare et magnifice cogitata et dicta reperiuntur. Qua de cauſſa omnis quoque aetas, omnesque omnis memoriae mortales, quos liuor faſcinare numquam potuit, victricis illis palmae honorem ac praemium lubentes meritoque conceſſere.

DISSERTATIO XLI.

IN QVA COMPLVRA SIMVL EX ILIADE COLLECTA BREVITER EXPLICANTVR.

SYNOPSIS.

Agamemnon per ſuum ſceptrum iurat. Sceptrum regum et heroum inſigne. Agamemnonis ſceptrum Chaeroneae adſeruatum et cultum. Iuno iurat per Stygem. Quid ſit Styx. Victoria filia Stygis. Preces filiae Iouis. Earum deſcriptio. Graeci preces ſoliti fundere adſidentes aut ſtantes. Hebraei orantes genu flectebant. Iupiter Coeleſtis, Marinus, Inferus. Iouis ſimulacrum tertio oculo effictum. Reges patres ac paſtores populorum. Galliae reges ſine ſatellitibus ſecuri degebant. Nicolaus Frambe, Ligurum reipublicae dux, Abbas populi dictus. Poculum aureum Neſtoris rarum cimelium. Auri opulentia poſt M. Alex. in Graecia exorta eſt. Philippus M. Alex. pater aurea phialam ſub puluinari ſeruabat. Eriphyles aureum monile. Orci galea. Annulus Gygis. Iris ſignum pacis. Iris ominoſa. In priore ſyllaba vocis μῆνιν, *a qua incipit Ilias, 24 libri vtriusque poëmatis deſignati. Ariſtarchus diuiſionis librorum auctor. Caſteluetrius iniuſte redarguit Vlyſſis narrationem apud Phaeacas in quatuor libros diuiſam. Didymus et Euſtathius, celebriores interpretes. Daceriae annotationes in Homerum. In his diſputationibus aliorum ſuccus expreſſus. Pigres et Timolaus ſingulis Iliadis verſibus ſingulos de ſuo intercalarunt. Tryphiodorus Odyſſeam* λειπογράμματον *ſcripſit. Rhapſodi. Parodiae.* Παραλειπόμενα, *ſiue omiſſa ab Homero et ab aliis ſuppleta.*

Multa ſane in Iliade hactenus obſeruauimus, et ad veſtram eruditionem illuſtrauimus, optimi iuuenes, adeo vt accenſis veluti faculis vobis praeiuerimus ad abſtruſiora atque obſcuriora loca facile peruadenda. Quia vero nonnulla alia ſupereſſe ſentimus, libet ea hodierna diſputatione colligere, et breuiter ac ſtrictim, quantum poterimus, exponere. Quamobrem ſi non doctrina, non ingenio, non eloquentia, at ſaltem grata varietate vos oblectabimus.

Primo

Primo huius poëmatis libro exhibet nobis vates Agamemnonem per ſuum ſceptrum iurantem. Vereor, adoleſcentes, ne forte frigidum atque ineptum tale vobis iuramentum videatur, quod, vt multa alia, a moribus noſtris abhorreat. Quare obſeruetis volo, inſigne longe maximum fuiſſe ſceptrum et regum et heroum. Nam heroum ſinguli, vt paſſim docet Homerus, geſtabant ſuum: reges vero, cum regnum acciperent, illud attollentes iurabant, ſe fore vnicuique iuſtitiam et aequitatem adminiſtraturos. Ο δ' ὅρκον ἦν, teſte Ariſtotele, τοῦ σκήπτρου ἀνάστασις. Itaque nequaquam miremini, ſi altero libro quaſi genealogiam ſceptri Agamemnonis Homerus deſcribit, nimirum a quo confictum fuerit, et ad quos deinceps ordine deuenerit. Profecto ſceptrum Agamemnonium Chaeroneae adhuc aetate Homeri maxima veneratione adſeruabatur, et veluti ſacrum quodpiam λείψανον colebatur. Orientis principibus ſolemne fuiſſe inſtrumenta regni ad iuramentum adhibere, coeleſtes etiam docent literae. Nam rex Aſſyriae *iurauit per thronum et regnum ſuum Iudith I, 12.* Sed Iuno per Stygem iurat *lib. XV.* quod iuramentum maximum eſt ac grauiſſimum beatis Diis.

— — — — ὅστε μέγιστος
Ορκος, δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι Θεοῖσι.

Stygem fontem eſſe Arcadiae, ex Pheneo lacu et ex fonte Nonacri manantem, ac deinde in fluuium ſuccreſcentem, tradunt Pauſanias et Plinius; eius vero aquam tam frigidam eſſe atque exitialem, vt epota repentinam necem inferat, aes erodat, omniaque immerſa vaſa ſtatim dirumpat. Hinc non inepte confingit Homerus, Inferorum eſſe paludem. Cur vero per eam iurarent Dii, et iuramento ſanctiſſime ſtarent, docet Seruius ad illud Virgilii *Aeneid. lib. VI. Bis Strygios innare lacus. Dicitur*, inquit, *Victoria Stygis filia bello Gigantum Ioui fauiſſe; pro cuius remuneratione Iupiter tribuit*, *vt iurantes Dii per eius matrem non audeant fallere.* Accedit, quod Styx moerorem ſignificat; Dii autem ſemper laeti ſunt, adeoque immortales. Videtur igitur tale iuramentum

cum exſecratione coniunctum; quare illud violare Diis eſt grande nefas. Ex Herodoto obſeruat doctiſſima Daceria, non ſolum Deos, ſed etiam homines per aquam Stygiam olim iuraſſe.

Ab iuramento gradum facimus ad preces, Λιτάς. Nobili figmento eas vates προσωποποιεῖ, adeo vt viuis, ſpirantibusque coloribus depictae nobis exhibeantur *lib. IX.* tamquam filiae Iouis magni, claudae, rugoſae, ſtrabaeque oculis

— — — Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
Χωλαί τε, ῥυσαί τε, παραβλῶτες᾽ ὀφθαλμῶ.

Filiae Iouis, quia Deus preces, quibus illum flectant, hominibus inſpirat: *Claudae*, quo tarde progrediantur et vereantur ad eum, cui ſupplicaturae ſunt, accedere; *rugoſae*, egeni ſiquidem et calamitoſi, ore ſqualentes et quaſi ſenio confecti preces fundunt; *Strabae oculis*, quod non audeant recta intueri, aut leuare oculos ſuos: demiſſio enim animi et oris precantes decet. Spondanus, Phornuti auctoritate fultus, *claudas* Homero dictas putat, quod ſe in genua deiiciant, qui preces faciunt. Sed nequaquam huic interpretationi adſentiendum. Nam Graeci antiquitus preces fundebant aut adſidentes, aut ſtantes: quod et recentiores chriſtiani Graeci Aethiopesque ferme facere conſueuerunt. Quare illud κάμπειν γονυ, quod Agamemnon dicit *lib. VII. cap. 118.* perperam intelligunt plerique interpretum: non enim *flectere genu* ſignificat, vt Diis gratias agerent, qui ſeruati fugerent ex bello, ſed *ſedendo quieſcere;* nam et qui ſedent, flectunt genua. Quam obſeruationem immortali Daceriae acceptam refero. Hebraei quidem genu flectebant orantes, vt ſacrae literae teſtantur? nam perhibent de Salomone 3. Reg. VIII, 54. quod *ſurrexerit de conſpectu altari domini; vtrumque enim genu in terram fixerat et manus expanderat in coelum.*

De precibus, filiabus Iouis, diximus. Nonnihil de patre dicendum. Trifariam Iupiter, qui idem eſt ac Iouis pater, inuenitur dictus, coeleſtis, marinus, inferus.

De

De Ioui coeleſti nulli dubium eſt. Iouem marinum nominat Aeſchylus; Iouem autem inferum Homerus *Iliad. lib. IX*, 457. Ζεύς τε καταχθόνιος. Hoc triplici Ioue videntur voluiſſe innuere ſapientiores ethnicorum, vnum eumdemque Deum eſſe, qui omnia gubernat, et adminiſtrat in coelo, mari, inferis. Hinc veteres ſtatuarii Iouem tertio oculo effinxerunt. Vnum talium ſimulacrorum fertur in ſuis aedibus habuiſſe Priamus illic locatum vsque a Laomedontis aetate. Poſt Troiae excidium, partientibus praedam Graecis, ſignum illud obuenit Sthenelo, qui in Graeciam deportauit. Illud etiam notandum, Iouem paſſim ab Homero nuncupari patrem hominumque Deorumque, cuius cum vicem locumque interris reges obtineant, idcirco patres ac paſtores populorum ipſi quoque ab eodem dicuntur. Quare nequaquam videatur abſurdum, ſi rex in conuiuio alibique apud hunc vatem familiariter cum ſubiectis populis ferme agat, non ſecus ac pater cum filiis ſuis. Hinc illud de Vlyſſe, Ithacenſium rege, *Odyſſ. lib. XV. et alibi.*

— — — πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦν.

Inſtar patris erat cunctis clemensque, bonusque.

Galliae reges quinque abhinc ſeculis ſatellites habent, qui ſe tueantur, ex quo ſcilicet ab Aſia nefarii graſſatores clanculum miſſi ſunt, qui regem adorirentur, necarentque. Antea nullis armis, ſed ſola ciuium beneuolentia ſepti, vt parentes inter filios ſecuri degebant. Nicolaus Frambe, Ligurum dux, vt ex libello pacti initi inter Carolum, Siciliae regem, illamque remp. anno trecenteſimo viceſimo ſupra milleſimum liquet, *abbas populi*, quod idem eſt ac *pater*, nuncupabatur. Silentio non praeteribo, graecos reges, ac proceres heroicis temporibus non multum auro aut argento abundaſſe. Hinc vates tamquam κειμήλιον rarum ac ſpectandum non tantum opere, ſed etiam materia aureum Neſtoris poculum deſcribit *lib. XI.* quod ſecum, ad Troianum bellum proficiſcens, attulerat e Pylo. Memini, me auctoritate magis fretum doctiſſimi Feithii, quam re ſubtilius atque accuratius expenſa ſcribere

bere diſputatione XVII. et alibi, aurum et argentum in conuiuiis heroum Homericorum paſſim adhibitum. Sed dum apud Athenaeum obſeruo *lib. VI.* eos, qui ditiſſimi credebantur, poculis aeneis fere bibiſſe, ſuſpicatus ſum, et me et Feithium eſſe hallucinatos. Verum quidem eſt, deſcribi a vate *lib. IV.* conuiuas χρυσέοις δεπάεσσι *aureis poculis* ſeſe inuicem excipientes, ſed ſi ea fuit raritas auri, quam dicit Athenaeus, aurumque in vſum poculorum raro fuit adparatum, fortaſſe non perperam putabimus, pocula illa ditiorum aenea, auri bractea inducta, vocata eſſe ab Homero aurea, non autem ſolido auro confecta. Auri argentique opulentia poſt Magnum Alexandrum, qui Aſiae theſauros diripuit, in Graecia exorta eſt, lateque dominata. Certe Philippum, Alexandri patrem Duris ſcripſit exiguam auream phialam, quam penes ſe habebat, in lecto cubantem puluinari ſemper ſuppoſuiſſe; et Anaximenes Lampſacenus apud eumdem Athenaeum tradit, Eriphyles aureum monile ideo celebre fuiſſe, quod auri magna fuit apud Graecos penuria. Vtrum vero veterum regum modeſtia, ſobrietas, et paterna cum ſubditis ſibi gentibus conſuetudo, an luxus, faſtus, ſuperbia eorum, qui deinde ſucceſſerunt, regno magis ac dominationi conueniant, quaeſtio eſt, quam aliis enodandam relinquo.

Poſthaec non fore vobis iniucundum exiſtimo, ſi de Orci galea vos edoceam, optimi adoleſcentes, quam ne a Marte conſpiceretur, induiſſe Mineruam vates narrat *lib. V.*

Δῦν' ἄϊδος κυνέην — — —

Hanc galeam, qua denſam nubem ac tenebricoſam ſignificare videtur poëta, qui geſtaret, quoscumque voluiſſet, videbat, ipſe nemini conſpicuus. Ex hac Homerica fabella adagium expreſſum Ἄϊδος κυνῆ *Orci galea;* quod in eos dictitatur, qui ſemet arte quapiam alienis oculis conantur ſubducere. Aiunt Perſeum hac galea inſtructum ac praeterea ob Mercurii talaria volucrem factum, ad ſuperandas Gorgones ſe contuliſſe. Γύγου δακτύλιος *Gygis annulus* idem praeſtaſſe fertur atque Orci galea. Plato *lib.*

lib. X. de rep. vtrumque memorat, dum ait, ſemper honeſta vi ſua, propterque ſe eſſe conſectanda, etiamſi Gygis annulum, aut Orci galeam quis poſſideat. Item Origenes *lib. I.* aduerſus Celſum huius galeae mentionem facit, vbi contendit, magis conueniſſe, vt Chriſtus, in Aegyptum fugiens, eriperet ſeſe Herodis inſaniae, quam ſi ſub Orci caſſide latitans ipſum fefelliſſet.

Iridem denique hac diſputatione, ex Homero obſeruandam, vobis propono, qui de ea loquens eamdem plane, ac diuinae literae, ſententiam referre videtur. Nam, deſcribens Agamemnonis armaturam, in eius thorace, ait, caeruleos exſcalptos eſſe dracones, Iridibus ſimiles, quas Saturnius in nube conſtituit, vt ſignum eſſet hominibus *Iliad. lib. XI.*

— — ἴρισσιν ἐοικότες, ἅς τε Κρονίων
Εν νέφεϊ στήριξε τέρας μερόπων ἀνθρώπων.

Miror, Spondanum verum apertumque huius loci ſenſum non vidiſſe. Poſtquam enim duo eſſe Iridum genera adfirmauit, vnum minus vſitatum earum, quae per meridiem, aut noctu conſpiciuntur: earum alterum commune ac vulgare extra miraculum oſtentumque adparentium in madidis nubibus, ſeu veſpere contra ſolem in oriente poſitis, ſeu mane in occidente, cenſuit prioris generis Irides ab Homero eſſe indicatas. At nonne multo probabilius videatur, id ipſum, quod Moyſes narrat *Geneſ. cap. IX.* vatem exprimere voluiſſe, nimirum arcum ſtatutum a Deo in nubibus, vt ſignum eſſet pacti, quo fidem ſuam hominibus obſtrinxit ſpoponditque, numquam amplius futurum, vt vniuerſam terram aquis diluuii demergeret? Neque obſtat, quod vates non Iridem, ſed Irides dixit. Cum enim plures eſſent in Agamemnonis thorace exſcalpti dracones, qui varios lumine percuſſi referebant colores, bene apteque eos comparat Iridibus. Accedit, quod vna Iris alteram ſaepe gignit in nubibus. Sed neque moueor, quod Iridem τέρας vocauerit, hoc eſt, non ſimpliciter *ſignum*, ſed *prodigium* atque *oſtentum*. Nam licet Iris in nubibus naturaliter adpareat, tamen quod

Deus

Deus in ea foederis cum hominibus a ſe initi *ſignum* ſtatuerit, maximum ſemper *prodigium oſtentumque* habenda eſt. Opinionem meam aduerſus Spondanum valde confirmat verbum στῆριξε, *ſtatuit*, quo vſus eſt vates. Nam mire Moyſis locutioni conſonat, qui Deum Noacho dicentem *cap. 11.* inducit: *ſtatuam pactum meum*, et rurſus *cap. 17. hoc erit ſignum foederis, quod conſtitui inter me et omnem carnem ſuper terram.* Non tamen infitiabor, Irim etiam ominoſam ab Homero deſcriptam *lib. XI.* quam vocat *purpuream*, πορφυρέην ἶριν, colore ſcilicet cometarum imbutam, quam diſerte ait ab Ioue in coelo extendi, vt ſignum ſit mortalibus vel belli, vel tempeſtatis frigidae: τέρας ἔμμεναι ἢ πολέμοιο, ἢ καὶ χειμῶνος δυσθαλπέος. Sed ſicut haec ad genus minus vſitatum pertinere liquet, ita illas ad commune genus referri ob allata argumenta iudicamus.

Et haec quidem ſunt, adoleſcentes optimi, quae hodierno ſermone pertractanda, vobisque ediſſerenda ex Iliadis poëmate collegi. Liceat nunc, quandoquidem hac diſputatione rerum varietatem ſtudioſe perſequor, quaedam ad vtrumque poëma ſpectantia, non ita plane neceſſaria, vt ſciantur, iucunda tamen φιλέλλησι ac φιλομήροις futura, cognitioni veſtrae ſubiicere.

In prima ſyllaba vocis μῆνιν, quae Iliadis principium eſt, numerum obſeruabat Appion librorum vtriusque poëmatis, videlicet octo et quadraginta; atque inde leui ſane indicio concludebat diuiſionem librorum ipſum Homerum habere auctorem; quae opinio merito reiicitur. Conſtat enim, adornatam eſſe ab Ariſtarcho, librisque ſingulis argumenta et titulos a grammaticis praefixos, teſte Euſtathio. Caſteluetrio quidem non placuit, Vlyſſis continuatam narrationem apud Phaeacas in quatuor libros diſpeſci. Nihilominus cum valde prolixa ſit illa narratio, et quibusdam partibus conſtare videatur, quadrifariam aptiſſime diuiſam eſſe iudico, quemadmodum etiam apud Virgilium Aeneae narratio, Didoni facta, in duos ſimiliter libros diſſecta eſt.

Vtrum-

Vtrumque autem Homericum poëma innumeros priſcis aetatibus nactum eſt ſcholiaſtas, interpretes, enarratores. Ex immenſo eorum agmine celebriores illi duo nominandi, Didymus et Euſtathius. Nam aliorum ſcripta fere interierunt, ac ſola nomina apud ſcriptores, qui de eis meminerunt, reperiuntur. De Euſtathio peculiari diſputatione, quae hanc proxime ſequetur, agam. Didymus, grammaticus Alexandrinus, ob plurimos literarios labores, Chalcenterus adpellatus, breuia ſcholia in Iliadem et Odyſſeam Auguſti aetate ſcripſit. Quae tamen ſub eius nomine circumferuntur, non genuina illa ſunt, quae ipſe edidit, ſed ſubſecutis temporibus ex eo multisque aliis, neſcio a quo, collecta eſſe eruditiſſimus Fabricius, aliique docti viri veriſſime iudicant. Quamquam vero et Didymi et Euſtathii, ſiue etiam aliorum cum eo conſpirantium commentaria probem et commendem, non tamen eis poſthabendas puto Daceriae annotationes, pulcherrimae verſioni adpoſitas, qua Homerum Gallis ſuis legendum exhibuit. Tam bono ſiquidem iudicio, tam profunda doctrina, tam perſpicua veritate praeditae ſunt, vt praedicem longe vtiliſſimas tum Homeri, tum vniuerſae ſapientiae ſtudioſis. De hiſce vero diſputationibus meis aliorum iudicium eſto. Id ſolum dico, me in eis Didymi, Euſtathii, Daceriae aliorumque ſuccum expreſſiſſe, et in certa capita Homericam interpretationem redactam, grataque, maximeque conuenienti eruditione antiqua et noua locupletatam, facilem, iucundamque lectu feciſſe in gratiam non ſolum iuuenum φιλελλήνων, ſed aliorum quorumcumque prolixis aut illepidis commentariis ſiue carentium, ſiue non gaudentium. Interpretibus Homericis accenſendi Pigres Halicarnaſſeus, frater Artemiſiae, Cariae reginae, et Timolaus Lariſſaeus. Ille ſiquidem, Suida teſte, ſingulis Iliadis verſibus ſingulos pentametros, hic hexametros ex ingenio ſuo ſubiunxerunt, ita vt ſenſus poëtae non periret, ſed clarior redderetur, adeoque vterque Iliadem altero tanto maiorem ediderunt. Improbum quidem hunc laborem, ac forſitan ineptum friuolumque, plerique veſtrum iudicabunt, auditores.

tores. Tamen e ſpecimine vtriusque additamenti, quod Suidas et Euſtathius exhibent, non ſine elegantia et iudicio verſus illi videntur intercalati.

Tryphiodori quidem ineptum, planeque ridiculum dixerim laborem, qui Odyſſeam ſcripſiſſe traditur λειπογράμματον, hoc eſt, *litera deficientem*, adeo vt in primo libro deeſſet α, in altero β, atque ita deinceps. Sed Euſtathius hoc aliter accepit; exiſtimauit enim, in toto Tryphiodori opere defuiſſe σ. Quod ſi verum eſſet, nomen Vlyſſis ab eo poëmate omnino exſulauit. Quare, vt bene arguit Fabricius, forſitan hallucinatus eſt Euſtathius, vtpote qui hanc Odyſſeam numquam viderit, cuius et Suidas meminit.

Etiam quid ſint Rhapſodi, quid parodiae Homericae, quid παραλειπόμενα, id eſt, ab Homero praetermiſſa, et ab aliis ſuppleta, paucis expediam.

Rhapſodi publici fuerunt cantores, qui in Panathenaicis feſtis aliisque, ramum viridem manu geſtantes, quod ad Homeri poëſin ſemper florentem alludebatur, partem ſiue Iliadis, ſiue Odyſſeae decantabant. Interiectu temporis decus ipſis additum eſt, vt violaceis induerentur veſtibus, cum Odyſſeam canerent, rubris, cum canerent Iliadem, eo conſilio, vt color violaceus Vlyſſis errores, ruber ſanguinolentum Iliacum bellum indicaret. Nomen a ῥάβδος, *virga*, *ramus*, nonnulli deriuant ita vt ῥαψῳδοὶ idem ſit, ac ῥαβδῳδοὶ melius alii a ῥάπτω, *conſuo;* qui enim canit, cantum quaſi conſuit; quo plane ſenſu ſinguli libri Iliadis et Odyſſeae dicuntur ῥαψῳδίαι.

Parodiae genus ſunt Homericae imitationis, cum ſcilicet vel ſinguli, vel complures Homeri verſus ad aliud argumentum, paucis verbis immutatis, flectuntur atque accommodantur. Vt ſileam permultos alios, qui in hoc genere ſe exercuerunt, Laërtius verſus Homericos a Platone Diogene, Bione, Carneade, aliisque ingenioſe ac feſtiue inflexos refert. Huc pertinent Homerocentones quam plurimi, tum ſacri, tum profani, quos breuitatis cauſſa recenſere praetermitto. In his ſeſe exercuiſſe multa cum laude dicitur Athenais, filia Leontii, philoſophi Athe-

Athenienſis, quae cum Theodoſio iuniori, Imperatori, nupſiſſet, et Chriſti baptiſmate abluta eſſet, verſo nomine, adpellata eſt Eudocia. Si quis autem requirat exemplum parodiae Homericae, inquit Fabricius, noſtrae aetate quam feliciſſimum et elegantiſſimum, is Suſiadem legat graecaniſſimi Ioſuae Barneſii, Angli, qui Eſtherae hiſtoriam complexus eſt. Equidem Fabricio, graecae linguae peritiſſimo, fidem habeo, ſed librum, numquam, quod ſciam, ad nos aduectum, nec legere, nec videri potui.

Tres demum commemorabo praecipuos, qui Homerica paralipomena ſuppleuerunt, Quintum Smyrnaeum, Coluthum Thebanum, Tryphiodorum Aegyptium, qui Odyſſeam λειπογράμματον, vt mox dicebam, ſcripſit. Cum enim Homerus non hiſtoricus, ſed poëta, bellum Troicum neque ab ouo repetetierit, neque ad exitum perduxerit, hinc eſt, quod Quintus, dictus Laſcari, Homericiſſimus, carmine graeco heroico, quali Homerus ipſe vſus eſt, bellum illud ab Hectoris interitu vsque ad reditum, ſiue naufragium Graecorum quatuordecim libris perſequendum ſuſcepit. Coluthus vero, e Lycopoli Thebaidis in Aegypto, breue poëma heroicum ſcripſit, cui titulus Ελένης ἁρπαγὴ praefixus eſt, videlicet *raptus Helenae*. Quod ad eorum aetatem attinet, ambo quinto circiter ſeculo a Chriſto nato floruerunt, vtriusque autem carmina a Beſſarione in Calabria reperta, et ab Aldo duabus abhinc aetatibus primum edita. Tertius Tryphiodorus, qui ſub Anaſtaſio Imperatore vixit, breue ſimiliter poëma epicum compoſuit, quod Ιλίου ἅλωσις inſcribitur, videlicet *Troiae euerſio*.

DISSER-

DISSERTATIO XLII.

DE EVSTATHIANA CL. POLITI EDITIONE AC VERSIONE.

SYNOPSIS.

Inſigne Homeri praeſtantiae argumentum tot praeclariſſimi in eum interpretes et ſcholiaſtae. Omnibus eruditione, ſapientia et iudicio praeſtat Euſtathius. Politi editio ac latina verſio ab omnibus probanda. Nulla eruditorum opera inuidiae non ſubiecta. Triplex vetus Euſtathii editio. Omnibus praecellit noua editio, curante cl. Polito. Quanti laboris et ingenii ſit, graecum auctorem primitus interpretari. Grammatici nomen pro literato et philologo ſumitur. Luculenta Euſtathianae ſapientiae teſtimonia, Latina Euſtathii μετάφρασις tum iis, qui graece neſciunt, tum iis, qui graecae linguae ſiue periti, ſiue ſtudioſi ſunt, valde vtilis. Non loquaciſſimus et nugaciſſimus Euſtathius, ſed eloquentiſſimus ac diligentiſſimus habendus eſt. Ioſephi Scaligeri eiusque adſeclarum auctoritas, Stephani grammatici verſionem improbantium exploditur, nihilque laudis Euſtathianae interpretationi detrahere oſtenditur. Alii de interpretando Euſtathio cogitarunt, nemo tamen alius ante Politum verſionem vllam edidit. Politi laus, qui ſibi ac patriae hac praeclara editione magnam gloriam comparauit.

Nullam plane occaſionem, quae ſe nobis dederit, miſſam fecimus, ornatiſſimi auditores, quin Homeri laudes noſtris hiſce diſputationibus ad ſatietatem vsque perſequeremur. Siue enim diuina eius carmina vobis ex hoc loco enarraremus, ſiue qua potuimus eruditionis copia pro noſtri ingenii tenuitate illuſtraremus, ſiue ab imperitorum criminationibus vindicaremus, ſummam vbique praeſtantiam eius multis ac variis pro re ac tempore argumentis demonſtrare numquam deſtitimus. Nihilominus illud etiam argumentum, quo inaeſtimabilis Homeri virtus magis magisque eluceſcat, puto eſſe grauiſſimum, videlicet tam ingentem exſtitiſſe doctiſſimorum virorum cateruam, qui nullo non tempore in eo explanando deſudarunt, tot ſcholia et com-

commentarios in eum contulerunt, immenſamque doctrinae ſegetem, qua Homericus campus beatiſſime exundat, certatim colligere ſtuduerunt. Hinc ſiquidem liquet, Homericam poëſin inexhauſtum eſſe theſaurum, qui nouas opes cuique effodere volenti inceſſanter exhibet, ita vt, quo plus effoderis, plus adhuc reſtet effodiendum.

Vt ceteros quosque ſileam Homericos interpretes ac ſcholiaſtas, (ſi quis enim curioſius eos noſſe cupiat, eruditiſſimum Fabricium *Bibl. gr. lib. II. cap. 4 et 5.* conſulat, qui praeter Didymum, de quo ſuperiori diſputatione egimus, aliorum, qui iam pridem interciderunt, numerum ad triginta tres ſupra centum adſurgere tradit) vnum Euſtathium nominabo, qui ſupra omnes eruditione eminet, ſapientia, iudicio; Euſtathium inquam illum, literariae reipublicae lumen emicantiſſimum, et eccleſiae Theſſalonicenſis praeſulem longe inclytum, qui doctiſſimis ſuis commentariis, quos παρεκβολὰς nuncupauit, non tantum grammaticas ſalebras quascumque graecae linguae ſtudioſis diligentiſſime complanat, anfractus omnes tollit, implexasque difficultates enodat, ſed omnigenae doctrinae opes ex Homerico promtuario elicit, omnibusque, qui velint iis diteſcere, liberaliter exponit, et de diuite penu ſuo duplo amplificat atque exauget. Quamobrem maximam deberi laudem doctiſſimo Polito, in Piſano Athenaeo humaniorum literarum Profeſſori, cenſeo, auditores, qui nouam praeclariſſimi auctoris huius editionem maximo ſtudioſorum bono, addita praeſertim latina interpretatione ſua, luculentiſſimis typis adornat. Quoniam vero nemo vmquam quantumuis glorioſum opus eſt adgreſſus, cui non reluctentur nonnulli ſiue falſa opinione occupati, ſiue imperitia ducti, ſiue liuore quopiam, vulgatiſſimo hominum vitio, exſtimulati, hanc ipſam aleam Politi etiam laudatiſſimus labor ſubire debuit. Sunt enim, qui editionem hanc Euſtathii, latinamque Politi interpretationem, tamquam legentibus parum vtilem, vellicant, parumque auctori ſuo glorioſam dictitent. Sinite igitur, auditores, vt ad graecarum literarum ſtudioſos iuvenes, quae meae ſunt partes, inſtituendos, iudicium

meum de hac editione, quam mihi expendere libuit, ac tria iam emiſſa volumina attente perlegere, in medium adferam, ſimulque officium hoc obſeruantiae atque amoris mei erga eruditiſſimum virum perſoluam, quem magiſtrum in philoſophicis et theologicis diſciplinis habuiſſe glorior, in graeca vero addiſcenda lingua ad paucos menſes diſcipulum; poſt quos per ſe ipſum, quo eſt ingenio atque induſtria, ad graecae eruditionis faſtigium pleno gradu contendere potuit, ſic, vt inter viros graece peritiſſimos iam conſpicuus digito monſtretur, magnamque nominis celebritatem tum apud noſtros, tum apud exteros ſibi comparauerit. Neque vero ab inſtituto meo Homerum vobis illuſtrandi hodierna diſputatione me deſciſcere putate, auditores; quin potius, dum de iis, quae Homerum tam proxime attingunt, diſſero, de Homero ipſo me vobis diſſerere arbitremini.

Euſtathium anno aerae chriſtianae circiter ducenteſimo ſupra milleſimum floruiſſe, magnum eccleſiae Conſtantinopolitanae fuiſſe Diaconum, oratorum magiſtrum, libellorum ſupplicum praefectum, deinde Theſſalonicenſem Archiepiſcopum, notius eſt, quam vt vobis a me enarrari exigat. Doctiſſimum vero fuiſſe, virumque eloquentia atque eruditione ſummum, etſi tot inclyta magnorum virorum teſtimonia non exſtarent, hae vberrimae in Homerum παρεκβολαὶ, hi locupletiſſimi commentarii ſatis ſuperque probarent et teſtarentur. Tribus editionibus in vulgus iam emiſſos commentarios hoſce comperimus; Romae primum, deinde Baſileae, ſed in epitomen redactos ab Hadriano Iunio, iterumque integros biennio poſt Baſileae. Sed harum editionum exemplaribus ad eam raritatem redactis, vt ſibi Euſtathium comparare cupientibus vel grandiori numerato pretio vix proſtaret, nonne id maximum haberetur literatorum incommodum? Cui incommodo opportune ſuccurrere magnanimo conſilio ſuo optimus Politus noſter meditatus eſt, nouamque editionem dare, quae ſplendore, elegantia rerumque adiectarum copia ceteris omnibus anteiret. In quo non minus animum hominis, quam doctrinam mirari decet, auditores,

res, qui facinus tam diuturni laboris, tam multiplicis difficultatis, tam ingentis ſumtus non expalluerit. Nam cum graece ad haec vsque tempora tantummodo loqueretur Euſtathius, Politus et graece et latine loquentem dare nobis pulcherrima editione ſua voluit. Non facile ſibi perſuadeant ii, qui graece neſciunt, quales labores deuorare, qualia ſtudia ſubire, quales vigilias perferre illum oporteat, qui huiusmodi graecum auctorem tantae molis, tantaeque prolixitatis latine vertere adgrediatur. Non enim graece vertere idem eſſe putetis, atque hiſce vernaculis linguis, exempli gratia Gallica, Anglica, Italica ſcripta volumina interpretari. Graeca lingua nodos paſſim offert paene inextricabiles, qui crucem interpretibus figunt, quibusque euoluendis vel ſummi viri ſaepe caput ſcabunt, viuosque rodunt vngues, et quandoque genuinam dicti ſententiam non adſequuntur: hinc plures interpretum hallucinationes et lapſus. Graecas locutiones, acres plerumque, preſſas, ſubtiles, conciſas alia lingua ac maxime latina probe reddere laborioſius opus eſt, quam quis inexpertus animo fingat. Nonne igitur meritiſſimo Polito, qui primus acriter intendit animum vt latine conuerſum auctorem hunc in lucem daret, maximae agantur gratiae, eiusque virtus ſummis laudibus euehatur? cum praeſertim tam perſpicuam, tam diligentem, tam diſertam, tam elegantem interpretationem elaborauerit, vt latinam concinnitatem cum graeca certare fecerit; cum tot notas doctiſſimas addiderit, non ad putidam eruditionis oſtentationem inuectas, ſed ad rem apprime facientes, tum ſuas vberiores, tum Saluinianas pauciores; cum eruditum aliquod opuſculum, quod Homerum reſpiciat, tamquam bonum auctarium ſingulis voluminibus adiiciendum duxerit; cum tot menda, quibus priores editiones ſcatebant, correxerit; cum tot deprauata loca ſapienter reſtituerit; cum, vno verbo, abſolutiſſimum Euſtathium, ſeque ipſo longe meliorem in medium protulerit.

At, inquiunt, nil aliud, quam grammaticus eſt Euſtathius. Quantum igitur vtilitatis literariae reipublicae allaturus ſit, quantumue laudis promereatur, qui gramma-

ticum ſcriptorem latine verterit? Verum, qui haec opponunt, noruntne quid grammatici nomen valeat? Quamquam enim nos in triuialem ludum, velut in piſtrinum nomen hoc detruſerimus, ſciant velim, grammaticum graece nihil aliud plane ſonare, quam literatum latine, idemque eſſe ac philologum, teſte Suetonio. Duplex eſt ars, auditores; grammatice vna, grammatiſtice altera, quas non oportet confundi. Haec videlicet nil aliud docet, quam recte legere, ſcribereque; quamobrem qui eam profitentur, grammatiſtae ſiue literatores proprie vocitantur; illa vero facultas eſt nobiliſſima, quae non ſolum in verbis explicandis verſatur, ſed longius progreditur, et quidquid a poëtis aliisque pertractatur, exponendum ſuſcipit et per omnem doctrinarum ambitum libere excurrit; quique eam profitentur, grammatici, ſiue literati, nuncupantur. Quapropter iure optimo de grammatica diſciplina teſtatur Fabius *lib. I. cap. 4. eam plus habere in receſſu, quam in fronte promittat.* Cum igitur grammaticum dicis Euſtathium, literatum virum intellige longe eruditiſſimum, longe diſertiſſimum, multiiugaque, vt Voſſius ait, doctrina excultiſſimum. Merito ſane Hadrianus Iunius κέρας ἀμαλθείας, id eſt, copiae cornu Euſtathianas in Homerum παρεκβολὰς inſcripſit. *Interpres* ſiquidem eſt, Maiorani iudicio, *Homeri doctiſſimus, philoſophus acutiſſimus, theologus religioſiſſimus, qui ſenſus abditos eruit, ſpeciem omnem deformitatis abſtergit, arcana ſapientiae et pietatis aperit, in primisque id agit, ne quam philoſophiae partem, artificiis poëticis occultatam, ignoremus. Incredibile eſt memoratu, quantas opes graecae eloquentiae, quantos theſauros omnium diſciplinarum expromat.* Sed neque Michaelis Pſelli teſtimonium eſt praetereundum, quo eloquentiae et eruditionis laudem maximam Euſtathio tribuit *). Illum enim *Muſam intelligentia* adpellat, *gratiam elocutionis, muſtum voluptatis, ſapientem Calliopen, eamdem ſemper indolem ingenii.*

At

*) Mich. Pſellus, Euſtathio coaeuus, in epiſt. 115. ex quodam cod. biblioth. reg. Gal. quem citat Car. Freſnaeus.

At ſi quis, aiunt, Homerum graece loquentem intellectu adſequatur, is multo magis Homeri ſcholiaſten, vbi ſibi opus fuerit, in graeco fonte conſulere poterit voletque, adeo vt latina ipſe interpretatione nequaquam indigeat: graeci vero ſermonis ignaro, Homerumque graece legere non valenti, quem vſum adferat latinae Euſtathii interpretatio? Non parum quidem ponderis ineſſe huic oppoſitioni, cenſuerunt nonnulli; ſi tamen recta iudicii lance perpendatur, leuem ac futilem, nulliusque momenti eſſe conſtabit. Cur autem et graece neſcienti nulli fore vſui latinam Euſtathii interpretationem dicemus, cum, ſicut ad conſulendum Homerum latine verſum aliqua interdum literaria neceſſitate is etiam, qui graecis literis non ſtuduit, compellitur; ſic quoque ad commentarios Euſtathii adeundos neceſſitate conſimili poſſit vrgeri? commentarios praeſertim tam celebres, tam vberes, tam doctos, tam vniuerſa ſcientiarum omnium, hiſtoriarum et fabularum ſupellectile locupletes; in quos praeter ea, quae ipſemet doctiſſime obſeruauit, ex aliorum ſcholiis, ad ea tempora in Homerum elucubratis, quidquid boni potuit, collegit et congeſſit. Ex iis vero, qui graece ſciunt, quam paucos, Dii boni, reperiamus, qui per ſe ipſos omnia concoquere poſſint, omnia per ſe ipſos adſequi, quin vspiam ceſpitent, vspiam impingant, vspiam nutent! Credite, auditores, vel ſummis in graeca cognitione viris verſionem interdum conſulere et iucundum eſt, et perutile.

At eſto; ſummi viri nil Euſtathii latina verſione opus habeant; ii certe, qui vel leuiter, vel mediocriter graecis literis ſunt imbuti, quorum numerus longe frequentior, habent quam maxime, ſibique rem omnino gratam vtilemque praeſtitiſſe dicendus eſt is, qui ad Homerum perfecte intelligendum interpretem tam inſignem, ſcholiaſten adeo ſapientem, latine conuerſum ediderit. Quibus enim graeca omnia conſectari non licet, curſimque ſcriptorem graecum perlegere, eorum ſtudium idemtidem latinae verſionis ſubſidio leuandum eſt, recreandum, prouehendum: dum enim graeca cum latina interpretatione

conferunt et graece proficiunt, et animo non contabeſcunt.

Attamen non deeſt, vrgent, qui loquaciſſimum ac nugaciſſimum interpretem tuum iſtum Euſtathium, vtpote minutiſſima quaeque ſcrupuloſius conſectatum, adpellauerit. At hercle mera calumniandi obtrectandique libidine, cum fere omnes literati viri, quibus cor ſapit, modeſtiaque condecoratam doctrinam ſibi adſciuerunt, non loquaciſſimum, ſed eloquentiſſimum, non nugaciſſimum, ſed diligentiſſimum verius praedicauerint.

Sed adhuc Euſtathianae verſioni detrahere conantur Ioſephi Scaligeri, Gronouii et Caſauboni auctoritate, qui ſimilium ſcriptorum interpretationem viſi ſunt improbare. Cum enim Claudius Salmaſius Stephani Byzantini lexicon geographicum, cui titulus ἐθνικά, cum verſione et animadverſionibus edendum aliquando in ſe ſuſcepiſſet, ab inutili eiuſce verſionis labore deterrere hominem, literis ad eum datis, non dubitauit Ioſephus Scaliger. *Quomodo*, inquit, *vlla interpretatio latina e dignitate adiici poſſit, non video. — — — Melius tibi conſultum fore, credo, ſi hoc labore ſuperſederis, ex quo tenuiſſimus ad imperitos, nullus ad doctiores fructus, ad te vero nulla gloria peruentura ſit, ep. 145.* Quo reſpiciens, Iacobus Gronouius exercit. de Dodone pag. 12. *Vehementer*, ait, *mihi placuit ſententia Ioſephi Scaligeri, negantis ſe videre, quomodo e dignitate Stephano aliqua interpretatio poſſet adiici. Vnde quoque Salmaſium nouimus conſilium vertendi huius lexici, quod antea formauerat, abieciſſe, et plane hunc laborem non dubitauit ſuperuacaneum vocare magnus Caſaubonus.* Hinc igitur colligunt, quod, ſicut ſuperuacaneus erat iudicio doctiſſimorum virorum vertendi Stephani labor, ſic pariter inutilis ſit Euſtathianae interpretationis cura, atque hanc fuiſſe cauſſam aiunt, cur nemo alius de eo interpretando, notisque illuſtrando vmquam cogitauerit. Sed ſi liceat, quod ſentio, libere proferre, non puto eorum, licet doctiſſimorum hominum, iudicio eſſe adquieſcendum. Nonne enim conficeretur ex eo, vt reprobanda quoque ſit Suidae, Pollucis, Heſychii, Phrynichi, alio-

rumque

rumque lexicorum latina interpretatio, in qua tamen clariſſimi viri ſtudium operamque ſuam bene locatam putarunt? Ipſummet Stephanum nonne poſtea bona Scaligeri venia et Thomas de Pinedo copioſis additis animaduerſionibus, et Benedictus Aegius, et Abrahamus Berkelius, vnus poſt alium latine verterunt, ita vt trina lexici illius interpretatio circumferatur, et literatorum manibus teratur? Nonne cum immortuus eſſet huic operi bonus Berkelius, adeoque a litera Π commentarius vltimam auctoris manum non eſſet expertus, nonne, inquam, cura ipſius Iacobi Gronouii, qui prius eius interpretationem videbatur reprehendere, qualiscumque in eis ſchedis exſtabat, adiectus eſt? Nonne Carolus Sigonius, Ioannes Hartungus, Aloyſius Grandenicus, Nicolaus Lloydius, Philippus Cluuerius, Abrahamus Ortelius, Ezechiel Spanhemius, Iſaacus Voſſius, locis Stephani bene multis lucem adferre moliti ſunt, et ipſemet Ioſephus Scaliger Stephanum editionis Xilandrinae manu ſua notauit caſtigauitque? Quae vero de Stephano hactenus diſſeruimus, ea quoque Euſtathio conuenienter aptari, quis non videat planeque ſentiat? niſi quod ipſi Stephano Euſtathius valde eſt praeferendus, ex quo non ſolum linguae graecae cognitionem plenius ac melius, quam ex quouis alio theſauro comparare ſibi quis poteſt, ſed et doctrinas paene omnes, quas in explanando vate maximo pertractat atque euoluit, condiſcere. Non ergo inanis, ſed vtiliſſimus habendus eſt labor doctiſſimi viri, qui latine illum eſt interpretatus, tot notis illuſtrauit, tot animaduerſionibus locupletauit. Neque vero putauerim, neminem alium latinam Euſtathii interpretationem edidiſſe, quod inutilem eruditi homines vnanimi conſenſione ſint arbitrati, ſed alios nimis prolixo labore deterritos, alios aliis cauſſis praepeditos, manum ab hoc opere abſtinuiſſe, multo eſt veriſimilius. Vincentius Marinerus Valentinus, bibliothecae regiae Eſcurialenſis praefectus latinam verſionem commentariorum Euſtathii non in Homerum tantum, ſed et in Dionyſium Periegetem adornaſſe fertur, Fabricio teſte luculentiſſimo *Biblioth. graec. lib, II. cap. 3.* ex

quo pleraque ſtudioſe decerpſi ad hanc concinnandam diſputationem. Cur autem publicam lucem eius interpretatio non viderit, non plane liquet. Mihi ſane ſuſpicio ſuboritur, auditores, vel ad vmbilicum non perduxiſſe, vel ſibi in ea nequaquam placuiſſe. Cur enim tantum laborem in ea verſione perficienda ſubiret, vt poſtea cum tineis luctaretur, bonoque publico non inſeruiret? Quidquid vero in cauſſa fuerit, cur non vulgauerit, hinc ſaltem adparet, nequaquam verum eſſe, neminem alium de hac verſione cogitaſſe; etſi verum eſt, neminem alium ante Politum vllam Euſtathii interpretationem in vulgus emiſiſſe. Saluinius quoque, literis omnibus, ſed praeſertim graecis, excultiſſimus, hunc ſibi laborem propoſuiſſe fertur, operique manum admouiſſe, ſed dum in officium ſemper expoſitus et obuius ſe omnibus dat, inque varias literarias curas animum diſpeſcit, opus abſoluere non potuit, cuius tamen ſumma cum laude abſoluendi, ſi libuiſſet, facultas aderat prope ſingularis. Idem facere adgreſſus erat Benedictus Aueranius, quem nominare aeque eſt, atque ipſam nominare ſapientiam; ſed ipſe pariter aliis occupationibus diſtentus vltra prioris libri interpretationem progreſſus non eſt.

Quae cum ita ſint, et huiuſce editionis ac verſionis vtilitas perſpicuis rationibus ſit a nobis oſtenſa, et aduerſariorum argumenta ſatis ſuperque diluta, quid ſupereſt iam, niſi vt de gloria, quam cum tibi, tum patriae comparaſti, vir doctiſſime, gratuler, votisque omnibus propitium Deum, proſpera ſecundaque omnia tibi adprecer, vt inſigne opus, quod edere coepiſti, ad finem vsque feliciter perducas, integrumque nobis Euſtathium, quem auide exſpectamus, impertiaris? Vrbi huic noſtrae gloriam, quam typographi Transalpini iam pridem abſtulerant, graecos auctores nitidiſſimis formis excudendi tute reſtituiſti, atque amplificaſti. Tibi ergo teſtimonium perfectae laudis in hac doctiſſimorum hominum luce, quos probe noui virtuti tuae omnes adplaudere, libentiſſime reddo. Inanes quorumdam obtrectatiunculae ne te moueant: celſiorem gloriae obtines locum, quam vt te

poſſint

poſſint attingere. Eneruem eorum arcum ne reformida: ſecurus ab inuidiae iaculis viuito: te iam certiſſima manet aeternitas, quam inſigni virtute tua, profligato liuore, tibi adſciuiſti.

DISSERTATIO XLIII.

DE FVNERVM ANTIQVORVM RITIBVS, CADAVERVM COMBVSTIONE ET SEPVLTVRA.

SYNOPSIS.

Notiores ritus ſolum indicati. Pyra et cadaueris combuſtio. Quomodo non permiſcerentur oſſa cadaueris cum aliis adgeſtis. Lintea ex amiantho. Vſtrina. Vſtores, ſiue buſtuarii. Vrna cinerum, ſeu cinerarium, aut oſſuarium. Foſſa ad ſepeliendum κάπετος adpellata. Sepulcra extra vrbem. Cenotaphia. Epulum funebre. Ludi, ſeu certamina. Heroum manes diuinitate donati. Mortuorum cultus Exſequiae patri Iacobo a Ioſepho celebratae. Medici in Aegypto frequentiſſimi. Quomodo cadauera ab Aegyptiis condirentur. Statua ſalis, in quam Lothi vxor verſa eſt, quo ſenſu accipienda. Funera Hebraeorum curatione cadaueris et lamentatione conſtabant. Lamentationes ſtilo poëtico compoſitae. Lamentatrices et praeficae. Arabes et Idumaei cadauerum curam negligebant. Suractenſium in India teterrimum coemeterium. Chriſtiana conſuetudo curandi mortuos cum ipſa religione ſuſcepta eſt. Duo teſtimonia ex actis apoſtolorum, ac tertium ex Euſebio. Antiquis eccleſiae temporibus mortui non ſepeliebantur in templis. Quo ſeculo conſuetudo inducta ſit mortuos in templis tumulandi. Laus cl. Muratorii. Quibus de cauſſis mortuis exhibeatur honor. Nihil obeſt animabus, ſi corpora ſepultura careant. Explicatur, cur aliquando Deus minatus ſit, fore aliquod cadauer inſepultum.

Extremam Iliadis partem occupant funera Patroclo a Graecis celebrata, Hectori a Troianis. Iam vobis teſtati ſumus, ornatiſſimi adoleſcentes, Diſſertatione XX. vbi

totius poëmatis ſummam traderemus, non aliunde melius, quam hinc antiquos ritus, quibus mortuis parentaretur, condiſci poſſe. Eos igitur hodierna diſputatione euoluere ſtatuimus, eaque ceteras praeeuntes, quibus Iliadem ſatis expoſuimus, illuſtrauimus, et a criminationibus vindicauimus, coronare.

Oculos defuncto claudere; exhalata anima cadauer ſtatim abluere et inungere; linteo inuolutum in ferali lecto deponere; in atrio domus collocare, ita vt eſſent pedes in portam verſi; ſolemnem luctum modo pluribus, modo paucioribus diebus a circumfuſa turba edi, quem funerei cantores, ad hanc rem inſtituti, ordiebantur; et complura alia ſigna doloris exhiberi, quorum praecipuum comam ſibi demere et mortuo iniicere, notiora ſunt, quam vt pluribus narrari indigeant, eaque omnia apud Homerum variis in locis clare explicantur. His igitur tantummodo indicatis, combuſtionem potius, quae fuſius declarari poſtulat, deſcribere adgrediar.

Vbi mortuum, quantum libuit, deploraſſent, cum lecto ſuo in edita lignorum ſtrue collocatum comburebant, ſimulque cum eo mactatas ad pyram victimas, vt in funere Patrocli factum legimus ab Achille, quorum adipe cadauer obleuit, quatuorque mellis et olei adiecit amphoras *Iliad. lib. XXIII.* Praeclarum etiam putabatur, ſi in rogum arma coniicerentur, multaeque earum rerum, quae cariores habentur in vita. Quatuor etiam equos, duosque canes, ac duodecim praeterea lectiſſimos Troianos iuuenes, quos ipſemet ceperat, Achilles iugulatos miſit in flammas. Dum exurebatur rogus, vinum idemtidem libabatur, ac lugubri voce mortuus compellabatur. Demum, remittente flamma, exſtinguebatur rogus infuſo vino, ac diligenter legebantur, quae ſupererant, oſſa.

Quomodo vero, inquiet aliquis, diſtingerentur oſſa cadaueris exuſti a ceteris, quae ſimul arſerant? Facile potuerunt ſecerni. Docet enim Homerus, eo ſitu in media pyra iacuiſſe cadauer, vt cum eius oſſibus alia non permiſcerentur. Aiunt in hunc vſum antiquorum regum, ſiue

ſiue aliorum nobiliſſimorum funeribus lintea quaedam adhibita eſſe ex lapide amiantho, qui, alumini omnino ſimilis, alumen plumeum a Gallorum vulgo adpellatur, et friabilis inſtar lanae nihil deperdit. His igitur linteis, fama eſt, includi conſueſſe cadauera comburenda, vt cineres et oſſa remanerent intus, ab omnibus aliis pyrae adgeſtis ſecreta. At doctiſſimus Mahudelus in diſſertatione gallica *manum. Inſcript. Tom. VII.* contendit, id eſſe fabuloſum. Cum enim antiquiſſimis temporibus rariſſimus eſſet amianthus, ita vt pluris, quam ipſae gemmae, aeſtimaretur, quomodo potuit facile tanta eius copia reperiri, quae ad huiusmodi lintea conficienda ſufficeret, quibus cadauera obuoluerentur? Deinde ſcimus, ſacerdotum fuiſſe, oſſa ex pyra diligenter legere combuſtorum cadaverum. Quid opus fuiſſet hoc eorum miniſterio, ſi ſervabantur collecta per ſe in illis linteis? Praeterea ſi haec lintea reuera fuiſſent in vſu, ſcriptores antiqui, qui cetera quaeque ad funera pertinentia ſubtili narratione literis conſignarunt, ea ſilentio praeteriiſſent? Ceterum non ſolum ſitu in media pyra cauebatur, ne confunderentur aliis cineribus cineres et oſſa cadaueris, ſed alia etiam poſtea excogitata eſt prouidentia. Loco enim cuidam, muro circumdato, inferebantur cadauera, qui dicebatur *vſtrinum*, vt ex antiquis inſcriptionibus liquet. *Vſtores* vero, ſiue *buſtuarii* dicti, qui furcillis ardentia ligna arcebant, ne in vſtrinum inciderent. Oſſa lecta mox tumulanda in vrnam reponebant, vt pluribus in locis teſtatur Homerus. Oſſa vero Patrocli duplici adipe, tenuique linteo contecta voluit Achilles, vt in phialam, ſiue vrnam auream reconderentur, et tamdiu in tentorio ſeruarentur, dum ſua ipſius oſſa cum illis coniuncta vnus idemque tumulus acciperet. Vrna illa, ſiue vas cineribus et oſſibus praeparatum Latini conſecutis deinde aetatibus dixerunt *oſſuarium,* ſeu *cinerarium.* Foſſam ad ſepelienda oſſa erutam κάπετον Homerus vocat. Ac ratio quidem ſepultura exigebat, vt iniecta mortuo, ſiue eius oſſibus, terra ac ſuperſtratis lapidibus tumulus exſurgeret; cui de more addita columna, ſeu cippus, elogium mortui, arma, alia-

que

que inſignia. Extra vrbem autem et ſepulcra exſtruebantur, et cadauera comburebantur. Atque hinc factum, vt Homerus in litore maris conſtitueret ſepulcra Elpenoris, Patrocli, Achillis aliorumque. Poſteriores quoque Graeci mortuos in agris tumulabant. Conſimilis valuit mos apud Latinos. Quare Cicero legem laudat XII tabularum: *Hominem mortuum in vrbe ne ſepelito, neue vrito.* Etiam abſentibus paſſim erecti tumuli. Hinc Pallas Telemachum iubet hunc honorem patri Vlyſſi tribuere, ſi audiat mortuum *Odyſſ. lib. I.* Quos tumulos vacuos κενοτάφια dixerunt. Ac ſaepe variis in locis varii tumuli eidem mortuo ſtruebantur.

Funere peracto parabatur ferale epulum, τάφον dictum, licet hoc etiam inſtrueretur quandoque ante funerationem. Denique ludi et certamina propoſitis praemiis nobile exſequiarum habebantur complementum. Equidem putarem, haec duo, videlicet epulum et ludos, non tam ad decorandum mortuum fuiſſe inſtituta, quam vt eſſent ad temperandum moerorem et luctum opportuna laxamenta. In omnibus ſiquidem praeceptum illud ſeruandum, μηδὲν ἄγαν, *ne quid nimis*, et aliqua ſemper temperatura curandum, ne humanae adfectiones vltra, quam par eſt, exorbitent.

Poſt ſepulturae honorem mortuorum manes, ac praeſertim heroum, diuinitate quadam donabant, iisque libationes, quae nuncupantur χοαὶ, et victimas offerebant, eo tamen diſcrimine, vt Diis ſacrificare diceretur θύειν, heroibus ἐναγίζειν. Et ſane Plato *lib. IV.* de legibus in vniuerſum iubet, curas annuas defunctis reddere, τὰς κατ' ἐνιαυτὸν τῶν ἤδη τέλος ἐχόντων ἐπιμελείας ἀποδιδόναι. Contendit vero *lib. V.* ex auctoritate Heſiodi, eos fieri δαίμονας. Horum autem pleraque, quae in epitomen vobis contrahere ſtudui, adoleſcentes, latius ante me pertractarunt Feithius, aliique. Iam vero ad veſtram eruditionis ſitim explendam, optimi iuuenes, aliqua proferam exponamque de vetuſtiſſimo Hebraeorum et Chriſtianorum more in curandis corporibus mortuorum. Cum enim hoc de funeribus argumentum hodie explanandum ſuſceperimus,

perimus, manca forſitan videri poſſet noſtra diſputatio, ſi, Homericis oſtenſis, haec quoque aliquantum non attingeret.

Magnificentiſſimum omnium funus apud Hebraeos illud fuiſſe puto, quo Ioſephus patrem ſuum, Iacobum, cohoneſtatum voluit. Primum enim, vt *Gen. cap. L.* narratur, praecepit ſeruis ſuis medicis, vt aromatibus cadaver condirent. Atque hic notandum, in Aegypto omnia referta fuiſſe medicis, teſte Herodoto *lib. II. cap. 84.* et Homero *Odyſſ. lib. IV.* qui ait, Aegyptios omnes medicinam noſſe. Quae tamen inter eos ita fuit diſtributa, vt ſingulorum morborum eſſent medici, non plurium; alii oculorum, alii capitis, alii dentium, alii alui, alii morborum occultorum, vt idem Herodotus narrat. Ad eorum igitur genus pertinebant cadauerum curatores, ſiue ſalitores. Cum vero tres eſſent horum condiendorum rationes, nobiliſſima ac diligentiſſima hunc in modum fiebat. Ante omnia incuruo ferro cerebrum per nares educebant, capitis mox vacuitatem medicamentis complentes. Dehinc, acuto lapide Aethiopico circa ilia mortuo conſciſſo, illac omnis aluus, omnia interanea protracta; tum probe partem hanc expurgatam vinoque palmeo prolutam, ac myrrha pura, et caſia, et aliis, excepto thure, odoribus fartam conſuebant. Vbi hoc feciſſent, nitro abditum totum cadauer complures dies ſaliebant. Quibus exactis rurſus ablutum ſindonis byſſinae faſciis inciſis vniverſum inuoluebant, pretioſiſſimo illo gummi ſublinentes, cuius mira vis tum cadauera diutiſſime ſeruandi, tum odore optimo imbuendi. Hac plane ſumtuoſiſſima conditura, quam ex Herodoto vobis retuli, auditores, par fuit, vt proregis Aegyptii parens mortuus curaretur. Reliquas duas minoris ſumtus et curae, quae ſiue mediocria volentibus, ſiue tenuiori fortuna vtentibus parabantur, recenſere non vacat.

Huc vero referre probabiliter crediderim ſtatuam ſalis, in quam Lothi coniugem verſam eſſe perhibet ſacer ſcriptor. Sicut enim diuinae literae pro arca ſanctificata dixere arcam ſanctificationis, pro vaſe electo vas electionis,

nis, et alia huiusmodi, ita videntur pro ſtatua ſalita dixiſſe ſtatuam ſalis, adeo vt ſenſus ſit, feminam illam diuina vltione ſtatim obriguiſſe, non ſecus ac ſalitum conditumue cadauer, ad eum, quem ſupra expoſuimus, modum. Tantam ſiquidem ſoliditatem, firmitatem, duritiem Aegyptiorum medicamentis curata cadauera contrahebant, vt aegre ſecuri, aut ſcalpro ſcinderentur, quemadmodum eorum experimento conſtat, quae ad haec vsque tempora ſunt ſeruata. Horum vero cadauerum duratorum ſpeciem, cum factum illud ſcriberet, facile habere potuit prae oculis Moyſes, tam longo tempore in Aegypto commoratus.

Sed mortuum Ioſephi patrem repetamus. Tanta cura atque impendio conditum, ſeptuaginta diebus fleuit Aegyptus. Tum comitantibus omnibus ſenibus domus Pharaonis, cunctis maioribus natu terrae Aegypti, ac Ioſephi fratrumque frequentiſſimis familiis, magna curruum et equitum pompa ad tumulum in terram Chanaan, ſicut ipſemet Iacobus praeceperat, deduxerunt. Cum vero ad aream Arad, quae trans Iordanem ſita eſt, deueniſſent, rurſus ei exſequias planctu magno ac vehementi ſeptem diebus concelebrarunt. Atque illinc deportantes in Chanaan, in ſpelunca duplici contra Mambre, quam ſibi ſuisque pretio comparauerat Abrahamus, ſepelierunt. Equidem fateor, auditores, nullum aliud funus apud Hebraeos tanta vnquam fuiſſe magnificentia ac ſplendore celebratum. Nihilominus de eorum funeribus generatim dicendum, quod cadaueris curationem, lamentationesque de more ſemper exegerunt. Et licet tantam condiendis mortuis non impenderent operam, quantam Aegyptii, ea tamen diligentiſſime abluendo, vnguendo atque aromata perfundendo pro cuiusque facultate curabant. Quem morem adhuc Ieſu Chriſti aetate viguiſſe, teſtantur vnanimi conſenſione euangeliſtae, maxime vero Ioannes. Inquit enim *cap. XIX. v. 30. Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primum, ferens mixturam myrrhae et aloës, quaſi libras centum. Acceperunt ergo corpus Ieſu,* *et*

et ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudaeis ſepelire..

Quae vero lamentationes ſupra mortuum fiebant, ſtilo fere poëtico erant compoſitae, quas aptis identidem repetitionibus intercalabant viri per ſuas turmas, ac mulieres ſeorſum ab illis per ſuas. Hinc illud Zachariae *cap. XII. v. 12. Et planget terra: familiae, et familiae ſeorſum.* Dauid in obitu Saulis et Ionathae lugubrem cantilenam fecit, qua vtriusque principis laudes eſt proſecutus, eique titulum praefixiſſe videtur *arcus 2. Reg. I, 13.* Eumdem honorem Abnero etiam, a Ioabo interfecto, impertitus eſt *2 Reg. III, 33.* Fletui exaugendo acutis vlulatibus et moeſtis cantionibus paratae erant, ac mercede conductae mulieres quaedam, quas Ieremias vocat *lamentatrices cap. IX. v. 17.* Huiusmodi vero feminae apud Romanos, vt conſtat ex Naeuio, dictae ſunt *praeficae.*

Arabes, inter quos Idumaei recenſentur, contra quam facerent Aegyptii atque Hebraei, cadauerum curam negligere conſueſſe, veteres tradiderunt ſcriptores. Teſte enim Strabone *lib. XVI.* mortua corpora non pluris, quam ſtercus putabant (quo ſenſu Heraclitus dixit: νέκυες κοπρῶν ἐμβλητότεροι, cadauera hominum magis abiicienda foras, quam ſtercus) quapropter reges etiam apud eos in ſterquiliniis defodiebantur. Huius negligentiae veſtigia cernuntur in Iobo, apud quem de ſanie et vermibus, quibus cadauera ſcatent, mentio eſt *cap. XVII, 14. et alibi.* Memorantur tamen apud ipſum etiam ſepulcra in rupe exciſa et in ſolitudine conſtituta *cap. II, 4.* Ex quo colligitur, non aeque apud omnes Arabes hunc morem abiiciendi cadauera inualuiſſe. Legi apud Salmonem, noſtrae aetatis ſcriptorem, *Tom. IV.* Suractenſes, Indiae populos, vaſtiſſimam ac rotundam quoque nunc habere planitiem, in qua inhumatos mortuos relinquunt. Eam vndique murus ambit quatuor pedes altus. Secus murum eruta in gyrum foſſa, in quam putrefactorum cadauerum ſanies effluat. Locus enim a crepidine foſſae ad centrum planitiei in quamdam conuexitatem leniter intumeſcit. Carniuorae aues eo deuolant frequentiſſimae, adeoque

eoque cibo ſe ingurgitant, vt alui onere praepeditae non iam valeant in aërem ſe pennis attollere. Ita vero illic et in vicinia foetet aër, tam triſte, horridumque ſpectaculum illo exhibetur coemeterio, vt nihil tetrius excogitari poſſe videatur.

Reſtat nunc, vt, quemadmodum propoſuimus, de antiquitate rituum Chriſtianorum in curandis mortuis nonnihil delibemus. Sane conſuetudinem pietate laudabilem apud chriſtifideles lauandi, veſtiendi, componendi, ac ſolemniter efferendi defunctos non heri, aut nudius tertius inductam, ſed cum ipſius religionis primordiis ſuſceptam, ac deinceps per totam eccleſiam peruagatam clare liquet, auditores. Antiquiſſima teſtimonia adferam duo, ex hiſtoria actorum apoſtolicorum deſumta. Primum eſt Stephani, quem, ſacro ſcriptore teſtante, *curauerunt viri timorati, et fecerunt planctum magnum ſuper eum. cap. VIII*, 2. Graecus textus habet *συνεκόσμισαν*, quod valet *colligauerunt et extulerunt*, hoc eſt, obuolutum faſciis et linteis, iuſtisque omnibus perſolutis, tumulo conſignarunt. Alterum eſt Tabithae, in primis diſcipulis connumeratae. Hanc ſiquidem vita functam lauarunt, et veſtibus vtique opertam in coenaculo poſuerunt *cap. IV*, *36*. Praeter haec duo teſtimonia Euſebius *lib. VII. cap.* 17. vbi luem Alexandrinam deſcribit, officia refert, quibus Chriſtiani mortuos proſequebantur, occludentes oculos, obdurantes ora, humeros cadaueribus ſupponentes, decenter occurrentes, amplexantes, oſculantes, accurate lauantes, feralibusque inuolucris ornantes, et alia huiusmodi praeſtantes. Quare nemini dubium eſſe poteſt, vsque ab eccleſia condita conſueuiſſe Chriſtianos mortuis corporibus curam humanis officiis piisque ritibus adhibere.

Quod ad ſepulturi loca, diſceptant viri docti, vtrum antiquis eccleſiae temporibus liceret in templis mortuos contumulare, necne. Ad quam quaeſtionem enodandam aliqua breuiter adferam. Id nequaquam licuiſſe primis Romae Chriſtianis, lex illa XII tabularum, ſupra relata, ſatis oſtendit, quae nullum in vrbe ſepeliri permittebat. Itaque vnguentis delibuta, pollinctaque, non tamen ethnicorum

nicorum more cremata, fidelium cadauera ad areas, tumbas, cryptas arenarias, coemeteria denique elata tunc eſſe, vt illic humarentur, multosque in agris cnm fideli Abrahamo, vel etiam in praediis et hortis cum filio Dei, Ieſu Chriſto, ex Tertulliano ad Scapulam *cap. 3.* et ex actorum ſancti Cypriani ſcriptore docet erudítiſſimus Goarius in ſuis ad graecum Euchologium laudatiſſimis annotationibus. Quarto autem circiter ſeculo a Chriſto nato, translatis in vrbes et in templa, facilioris ac decentioris cultus gratia, martyrum reliquiis, ſepulturae locum vel in templis iuxta illas, vel in coemeteriis, prope templa exſtructis, coepiſſe deligere Chriſtianos, quaſi animarum ſaluti proſpicerent, commendantes in morte corporum exuuias martyribus, euincitur tum Graecorum, tum Latinorum patrum luculentiſſimis teſtimoniis, praeſertim vero Gregorii Nazianzeni et Auguſtini. Sed cum per aliquot ſecula ab eo tempore iis ferme ſolummodo, qui vitae probitate fuiſſent inſignes, ſepulturae locus in templis tribueretur, poſt octauum ſeculum cuncti potentia ac diuitiis clari, et tandem viliſſima plebs, ambitione ducta, inquit idem Goarius, etiam poſt mortem ſacros virtuti ſanctimoniaeque debitos honores exegerunt. Euehit vero iuſtis laudibus tres praeclariſſimos S. R. E. Cardinales, quorum vnus eſt nulli, niſi indocto, ignotus, Thomas de Vio Caietanus, quod omnibus Chriſtianam humilitatem exemplo ſuo inculcarint, ſub nudo aëre et aperto coelo ſepulti Romae extra fores templi ſanctae Mariae ſuper Mineruam pedibus incedentium, et luti ſordibus ſuppoſiti, templo, clauſtris, exedris recuſatis, electoque remotiore ab his, et abiectiore loco, quo pretioſas et venerandas exuuias deponerent. Atque haec pauca huic declarandae quaeſtioni in praeſentia ſufficiant. Quodſi vberius illam pertractatam vobis dari cupitis, optimi adoleſcentes, conſulite, quaeſo, doctiſſimam diſſertationem, quam cl. Muratorius, literariae reipublicae omnigena doctrina moribusque inculpatis noſtro aeuo decus longe inclytum, volumine τῶν ἀνεκδότων in lucem protulit, praefixo titulo, *de antiquis Chriſtianorum ſepulcris diſquiſitio.*

Non abludet a propoſitio, aliquas in fine animaduerſiones de hac ſedula, ſollicitaque cura, vita functis corporibus ab vniuerſis fere nationibus adhibita, ſicut vobis hodierno ſermone planum fecimus, cum Auguſtino ſubiicere. Humanitatis officia erga mortuos vtique commendanda. Cum enim mortale corpus immortalis animae habitaculum fuerit, par eſt, vt poſt animae demigrationem honor ipſi ac reuerentia exhibeatur. Si enim paterna veſtis, annulusue, aut alia quaedam huiusmodi tanto cariora ſunt poſteris, quanto erga parentes maior exſtitit adfectus, nullo modo ipſa ſpernanda ſunt corpora, quae multo familiarius et coniunctius, quam quaelibet indumenta geſtamus. Accedit, quod pietatis officia erga mortuos bona ſunt, ac Deo grata propter fidem reſurrectionis adſtruendam, quae proinde culpanda irreligioſitate negliguntur. Quamquam vero haec ita ſe habeant, alia etiam non praetereunda ratio, qua de curandis mortuis ſollicitudo hominibus haeret. Quod enim ſibi exhiberi volunt, quando ſenſuri non ſunt, aliis non ſentientibus curant exhibere, dum ipſi ſentiunt. Ceterum nihil obeſſe animabus, quod corpora exſequiarum honore careant, ſiue iaceant inſepulta, ſiue beluarum dentibus dilanientur, argumenta a chriſtiana fide atque euangelio petita ſatis oſtendunt. Nugae enim ac fabulae fuerunt poëtarum, inſepultos a nauigando ac tranſeundo inferni amne prohiberi. Nam etſi multa corpora Chriſtianorum terra non texit, tamen nullum eorum quisquam a coelo et a terra ſeparauit, quam totam implet praeſentia ſui, qui nouit, vnde reſuſcitet, quod creauit. Quod ſi regius Pſaltes cum Deo conqueri videtur *Pſalm. LXXVIII.* illis verbis: *Poſuerunt mortalia ſeruorum tuorum eſcas, volatilibus coeli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terrae; effuderunt ſanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Ieruſalem, et non erat, qui ſepeliret:* magis dixit ad exaggerandam crudelitatem eorum, qui iſta fecerunt, quam eorum infelicitatem, qui iſta perpeſſi ſunt. Quamuis enim haec in conſpectu hominum crudelia videantur, tamen pretioſa in conſpectu domini eſt mors ſanctorum eius. Proinde iſta omnia, curatio

ratio funeris, conditio ſepulturae, pompa exſequiarum magis viuorum ſolatia ſunt, quam ſubſidia mortuorum. Verum quidem eſt, aliquando minatum eſſe Deum, fore, vt cadauer alicuius ſceleſtorum regum non inferretur in ſepulcrum patrum ſuorum 3 Reg. XIII. Sed eo conſilio, vt inde terreretur, vel contriſtaretur viuus, quod ſenſurus non erat mortuus. Non dubito, auditores, quin omnia haec vere ac ſapienter dicta iudicetis. Verum non hinc me, ſed magnum admiramini Auguſtinum. Sunt enim illa quidem veluti ſuccus, quem ex aureo illius tractatu *de cura pro mortuis gerenda* vobis expreſſi.

DISSERTATIO XLIV.

DE LABORE GRAECI STVDII EMOLLIENDO.

SYNOPSIS.

Biceps in graeco ſtudio moleſtia. Deligendi ad interpretandi exercitationem auctores rerum varietate iucundi. Poſt breuem graeci contextus explicationem vlterius progredi verſionis lectione, vtile tironibus. Voſſius in latina lingua ſelectionibus ex Virgilio aliisque poëtis locis tirunculos erudiendos cenſet. Numquam Homeri poëſis poſt tot ſecula exaruit. Homerus ſoli comparatus. Ex multis Herculibus vnum fecit antiquitas. Vnus Homerus inſtar eſt omnium poëtarum. Grande ingeniorum miraculum iudicatus. Circulus ὁλογωνία, Homerus ὁλογνωμία. Pretioſa quaeque ſuis carminibus ſeruat. Numquam deeſſe poteſt materies laudandi Homerum. Nullam encyclopaediae partem intactam reliquit Lucianus. Vtilitatem cum voluptate mire coniunxit. Ab impietatis et mordacitatis crimine defenſus. Superſtitionis oſor fuit, et malorum philoſophorum inſectator. Duos dialogos legere nefas iuuenibus. Duo Amaltheae cornua Homerus et Lucianus. Prorſus nuperis in graeco ſtudio Aeſopicae fabellae conueniunt. Efficax in graecum ſtudium adhortatio. Etiam mediocritas in graecae linguae cognitione commendatur.

Qui nuper habita anniuerſaria pro inſtaurandis ſtudiis oratione latinae linguae ſtudium, adoleſcentibus aſperum, emolliri oportere docuimus, ne taedio delaſſati illud auerſentur et abnuant: multo magis id adfirmandum cenſemus de ſtudio graecae linguae, non minoribus hercle difficultatibus obſito, quibus eos, qui ad illud accedunt, territat, grauiterque perturbat. Qui vero leniri, edulcari, iucundumque reddi poſſe exiſtimem, breuiter dicam hodierna diſputatione, auditores, vt, qui deſiderio graecarum literarum tenentur, promtiores accedant. Neque vero a ceterarum Homericarum ratione deflectet haec diſputatio, aut diſcrepabit. Non enim in ea locum ſibi vltimum vindicabit Homerus. Si qui igitur graecae eruditionis cupidi adeſtis, adoleſcentes, arrectis auribus animisque me dicentem audite.

Permultos videre eſt, qui graecum ſtudium vix coeptum deſerant, permultos item, qui ſuſcipere non audeant: hi aſperum veriti, illi experti. Emollienda igitur eiuſce ſtudii aſperitas, ne effugiant vni, vt alliciantur alteri. Equidem fateor, initia ac rudimenta, vt in omni arte, ita in graeco ſtudio non parum moleſtiae adferre tironibus. Biceps autem moleſtia haec videtur eſſe. Partim enim inflexione nominum et verborum memoriter ediſcenda verſatur; partim in auctorum interpretatione enucleanda. Nullum a primo labore illo effugium; patienter ſubeundus, ac fortiter tolerandus amore tam neceſſariae elegantisque linguae comparandae, quae ſtudioſos ſui immenſis eruditionis opibus ditat, et deliciis explet multo iucundiſſimis. Sed iſte labor breui tempore vel euaneſcit, vel ſaltem magna ex parte deminuitur, modo ſtudium diligens et adſiduum praeceſſerit. Alterum vero leniri et multa voluptate ſtatim conſpergi poſſe arbitramur. Qua in re quid vtile factu cognorim, exponam.

Primum omnium deligendi ad interpretandi exercitationem auctores, qui rerum iucunda varietate magnopere oblectent. Deinde excogitanda ratio, qua ſtudioſi

adole-

adoleſcentes eam varietatem ſentiant ac deguſtent. Profecto ad graecum ſtudium adprime accommodatos iudico ſcriptores duos omnigena doctrina ac varietate refertiſſimos, Lucianum et Homerum. Verum cum non poſſint tirones in eorum explanatione curſitare, ſed opus habeant pedetentim procedere, et tantum aliquos paucos verſus ſingulis vicibus exponere, vt graecarum vocum ſenſum adſequantur, quandonam non dico totum Homerum, vel Lucianum, ſed vnum aut librum, aut dialogum maxime ex longiuſculis in graeco fonte haurient: adeoque quandonam beata illa doctrinae copia ac varietate paſcentur? Huic incommodo vt occurramus, poſt breuem graeci contextus lectionem atque explanationem, quantam ſcilicet diſcipulorum captus poſtulare, et admittere videtur, operae pretium ducimus vlterius progredi ſiue enarrando, quae ſequuntur, ſiue latinam verſionem legendo, et ea, quae obſcura ſunt, illuſtrando; illinc vero, vbi ſiue enarratio, ſiue lectio quieuerit, nouam altera vice graecam inſtitutionem repetere ſubſequente ad eumdem modum bona latinae verſionis parte, et ſic deinceps. Nonne ex hoc docendi inſtituto illud referatur boni, vt ſimul graecam linguam adoleſcentes diſcant, ſimulque iucundiſſimis cognitionibus animum imbuant, quibus illecti libentius atque alacrius in eo ſtudio duriuſculo licet ac ſalebroſo perſeuerent? Id ſane et ratio ſuadet, et experientia confirmat. Teſtes enim ipſos adpello diſcipulos, qui me praeceptore ad graecas literas condiſcendas vtuntur, num ipſis grata ſit et iucunda noſtra haec docendi ratio, et graeci ſtudii laborem probe adleuet et commitiget. Atque huc Voſſium, doctiſſimum virum, reſpexiſſe puto, vbi pariter in latina lingua ſelectioribus ex Virgilio, Horatio atque Ouidio locis erudiendos cenſuit tirunculos. Cui ſententiae ſubſcribere non repugnamus, dum tamen ſeries et nexus rerum relictarum viua ſaltem voce perſtringatur a magiſtris: hinc enim vehementior ſitis exardeſcit totos ſuo tempore cognoſcendi ac pectore combibendi auctores illos, quorum nonnullas particulas exiguis hauſtibus delibarunt.

Neque vero arbitretur quiſpiam, nos graecas literas docendi huiusmodi commendare rationem, quia longiori pigeat explanatione graeci contextus exercere diſcipulos, cum longe magis graece ſcripta nos delectent, quam quaevis latinae, aut vernaculae interpretationes: ſed conſultum putamus, inſtitutionem noſtram diſcipulorum infirmitati accommodare, eumque praebere cibum, quem ſtomacho poſſint conficere. Vbi vero vires confirmauerint, et in graecae linguae cognitione creuerint, vel centenorum ex Homero verſuum interpretatione illos erudire conſueuimus, et longiori ſimiliter aliorum auctorum explicatione.

Sed de duobus illis auctoribus, quos ad linguam graecam addiſcendam maxime vtiles atque idoneos iudicaui, pauca diſſerenda, vt, qua digni ſunt, exiſtimatione et ſtudio eos φιλέλληνες iuuenes proſequantur. Locupletiorem ſcriptorem ex poëtis Homero, locupletiorem in ſoluta oratione Luciano nemo vmquam poterit inuenire. Inexhauſtus enim immenſae eruditionis theſaurus vterque. Cur enim adhuc florere putamus Homeri poëſin, numquamque poſt tot ſecula exaruiſſe? Non ſane quia poëtis omnibus aeuo anteceſſit; ruditas enim ſaepe obeſſe ſolet primis rerum inuentoribus, ne in pretio habeantur a poſteris: ſed quia poëmatis artem, quam primus reperiſſe dicitur, idem tamquam vltimus numeris omnibus perfecit, et carmina edidit tum doctrina, tum lepore coeleſtiſſima, nihilque inepte vmquam, Flacco teſte grauiſſimo, molitus eſt. Solem hunc, quo fruimur, in coelo ab orbe condito reſplendentem animaduertite. Anne vmquam hominum opinio quam de eo habuerunt ſummam, aut iacuit, aut refrixit? Profecto numquam. Nihil eo eſſe ad ſpeciem pulcrius, ad rerum gignendarum commoditatem fecundius, ad incredibilem rerum omnium varietatem in humanos vſus inuehendam efficacius omnium ſeculorum homines communi conſenſione confeſſi ſunt. Mente dixeris emotum, qui non maximo in pretio atque admiratione habeat, non immenſam virtutem eius ſentiat, non eius adſpectu cuncta laetificante ac ditante ſine fine dele-

delectetur. Quorſum vero haec? Vt expreſſam in Sole Homeri ſpectetis imaginem, adoleſcentes. Quemadmodum enim aureum illud aſtrum ceterorum aſtrorum quorumlibet principatum tenet, eisque lucem opesque ſuas dilargitur, neque vmquam ſatietatem parit intuentibus, ita pariter poëtarum omnium, qui ex eo plus minus ſapientiam ſunt mutuati, facile princeps Homerus eſſe perhibetur, et vel ſexcenties a capite ad calcem relectus nullo vmquam lectorem faſtidio adficere, ſed magis magisque palatum eius ad ſe deguſtandum acuere, nouasque indeſinenter veluti aurarias aperire, quibus ille adfatim locupletetur. Ac veluti ex multis Herculibus vnum fecit antiquitas, eique virtutes ac merita omnium attribuit; ſic inſtar poëtarum omnium Homerum vobis propono, adoleſcentes, plusque vobis illum vnum ad eruditionem profuturum polliceor, quam ingentem ceterorum turbam. Itaque cunctarum doctrinarum, leporum, elegantiarum fontem, et iudicii in ſcribendo abſolutiſſimum exemplar ſapientes quique, Homerum mirati, grande ac ſingulare ingeniorum miraculum praedicare non deſliterunt. Cum circulus infinitis angulis conſtet, matheſeos periti *ὁλογωνίαν* vocarunt; perbelle putem conſimili adpellatione opulentiſſima Homeri poëmata dici poſſe *ὁλογνωμίαν*. Nihil enim frigidum, otioſum, inſulſum praeferentia, ſcatent vbique praeclariſſimis, vtiliſſimisque ſententiis, quibus vniuerſae doctrinae ſemina continentur. Quapropter in Plinii ſententiam eundum, qui pretioſiſſimum humani animi opus Homerica carmina nuncupauit, propterea quod pretioſa quaeque ad ſapientiam pertinentia mirum in modum ſeruent, et complectantur. Neque vero miremini, auditores, commendanti mihi tam ſaepe Homerum ſtudioſis adoleſcentibus alia atque alia ſubinde encomia ſuppetere quae in medium adferam. Nemini ſiquidem, tam bonum, diuinumque vatem iteratis laudibus ornare ſtudenti, noua vmquam laudandi materies deeſſe poterit.

Iam vero de Luciano etiam, quod ſentimus et iudicamus, breuiter exponendum. Nullam arbitror, audito-

res, partem eſſe encyclopaediae, quam intactam ille reliquerit. Neque enim ſolum, vbi oratorem agit, explicat omnia grauiter, eloquenter, acute; ſed et philoſophiae paene vniuerſa capita ſapienter pertractat, euoluit, docet. Quid? quod fabularum, hiſtoriarum, ac totius antiquae eruditionis pleniſſimum penu dicendus eſt? Quaecumque vero ſcribere inſtituit, tam bono ſale adſpergere nouit, vt cunctorum calculis probatus, voluptatem cum vtilitate mire coniunxerit, diſertiſſimus, eruditiſſimus, elegantiſſimus, feſtiuiſſimus, facetiſſimus, aliisque permultis non minus veris, quam ſpecioſis, adpellationibus nuncupatus. Tantum enim in dicendo gratiae, liceat mihi adferre doctiſſimi viri, Gilberti Cognati, iudicium, tantum in inueniendo felicitatis, tantum in iocando leporis, in mordendo aceti, ſic titillat abuſionibus, ſic ſeria nugis, nugas ſeriis miſcet, ſic ridens vera dicit, ſic vera dicendo ridet, ſic hominum mores, adfectus, ſtudia, quaſi penicillo, depingit, neque legenda, ſed plane ſpectanda oculis exponit, vt nulla comoedia, nulla ſatyra cum huius dialogis conferri debeat.

Sed obiiciet aliquis, impietatis ac mordacitatis notam illi inuſtam, ac proinde atheum et maledicum iudicatum; quomodo ergo adoleſcentibus non ſit pernicioſus? Equidem fateor, gentilium Deos vbique ab eo rideri, et lacerari, non quod atheus, ſed oſor eſſet ſuperſtitionis. Verum non id adoleſcentibus noxium, ſed maxime vtile eſt iudicandum, vt, quam ridiculae fuerint ethnicorum religiones, agnoſcant. Philoſophis item infeſtum fuiſſe concedo, philoſophis tamen prauis, falſis et fucatis, quorum praeſtigias ac ſuperbiam reuelaſſe et obtrectando perſtrinxiſſe, non vitio, ſed laudi illi eſt tribuendum. Quia vero in quarto eius operum volumine duo habentur dialogi, quibus religio noſtra ſanctiſſima, a qua fuit alienus, vellicatur, monere non omittimus adoleſcentes, nefas ſibi eſſe, illos legere. Ab eorum namque lectione vetantis eccleſiae lege deterrentur. Ceterum non ſolum paſſim mores format vtiliſſimis praeceptionibus; ſed plura etiam inculcat adeo pietati conſona, vt vel chriſtianum auctorem

non

non dedecerent. Eius certe dialogus, qui inſcribitur Cynicus, vt memoratus Gilbertus obſeruat, vsque adeo Ioannem Chryſoſthomum delectauit, vt bonam eius partem in homiliam quamdam, quam in Ioannis euangelium commentatus eſt, inſeruerit.

Quae cum ita ſe habeant, nonne optime facere videantur, qui duos ſcriptores iſtos ad graecae linguae ſtudium adſumunt, tamquam duo Amaltheae ditiſſima cornua, vt pulcherrimis inde lectis omnium amoenitatum floſculis laborem fallant, copioſisque doctrinae fructibus, graecanici ſtudii occaſione depromtis, paſcant animum? Accedit, quod Lucianus verbis terſiſſimis, ac dictione vtitur Attica, dilucidaque et vocibus abundat, ad omnia paene rerum genera ſpectantibus; vt nullum alium ſcriptorem nouerim, ad graecam, vt aiunt, nomenclaturam ampliter ediſcendam vtiliorem. Homerus item praeter immenſam vocum ac phraſium copiam, quibus de rebus vniuerſe diſſerit, diuerſarum etiam dialectorum formas exhibet, quarum cognitio ad ſcriptores intelligendos eſt valde neceſſaria. Quamquam vero ad peragendum graecum ſtudium par illud nobiliſſimum ſcriptorum accommodatiſſimum cenſeam, nihilominus iis, qui prorſus nuperi ac nouitii in graeco ſtudio ſunt, a facilioribus ordiendo Aeſopicas fabellas ad interpretandum proponimus; quae ſimiliter rerum lepore alliciunt, et multam continent vocabulorum ſupellectilem. Vt vero magis ſtudioſos adoleſcentes delinirent et traherent, lenocinium adiecimus verſionis vernaculae, Anacreonticis modulis concinnatae. A fabellis autem paucis exactis menſibus ad Homerum et Lucianum gradum fieri conſultiſſimum autumamus.

Quid igitur non audetis, iuuenes? quid adhuc animo iacetis? quid non conſurgitis? quid aliquando tam praeclarum, tam neceſſarium literis ſtudium non amplectimini, cum praeſertim multa voluptate aſperitatem eius emolliri poſſe et complanari audieritis? Frigidam triſtitiam abiicite, metum omnem ex animo euellite, ſi quae ſpinae in graeco ſtudio ſint, bonae induſtriae illae, quas veſtris com-

commodis conſulentes commenti ſumus, retundent aculeos, neque ſinent vos experiri ſtudium hocce horridum, et inſulſum; quandoquidem floridas conuehent amoenitates, quibus ornetur, gratumque ſalem, quo condiatur. In arduo graeca lingua ſita eſto: prehenſos manu, ad adſcenſum vos adiuuabunt Lubentiae, iucundiſſimae Deae, quas Gratiarum adſeclas adpellat Gellius. Dum Demonicum, egregium iuuenem, optimis praeceptis informaret Iſocrates, vt laboris eſſet amans, hortatus eſt, eo quod laborioſa ad virtutem magis, quam iucunda conferant. At ego, Iſocrate mitior, non ad aridum amplectendum laborem inuito, ſed multa iucunditate conſperſum. Doleo, ac vehementer doleo, optimi iuuenes; vos carere graecis literis, non ignarus, quantum ingenii laude atque acumine ſub coelo hoc emineatis ſupra caeteros aliarum gentium adoleſcentes. Quamobrem omnes neruos intendo, omnes machinas admoueo, vt vos expugnem. Vtinam contingeret hortanti mihi, quod fere omnibus apud Homerum hortatoribus, quorum ſuaſiones vix vnquam cadunt irritae. Si hoc, quod vobis omnibus expeto, aliquando euenerit, et vobis, et mihi, et patriae huic, et literis effuſiſſime gratulabor. Nam, vt Cicero monebat filium, ad veſtram, et communem conferet vtilitatem cum latinis graeca coniungere. Et, quoniam ſemel coepi qua maxima potui facilitate ac lenitate ad graecum ſtudium vos hodie pellicere, aliud etiam incitabulum ad illud laete capeſſendum adiiciam, videlicet, non eſſe neceſſarium, etſi valde optabile et glorioſum ſit, vt graecam linguam cumulatiſſime condiſcatis. Satis eſto, vt mediocrem eius cognitionem adſequamini. Hac enim inſtructi, non mancas, non mutilas potiori parte literas obtinere dicemini. Cum enim tam late pateat graecae linguae imperium et ditio, nefas putate docto viro, quamcumque velit profiteri doctrinam, et in ea abſolutum ſe praeſtare, non aliqua tinctum eſſe atque imbutum graecarum literarum notitia. Quamobrem, ſi a graeca lingua, in praeclariſſima ſui aula, auguſtae reginae inſtar, reſidente, patriciam claritatem non omnibus conſequi liceat, at ſtudete

dete tamen, et connitimini, vt ſaltem ciuitate donemini; quod ad rem literariam pertractandam honori vobis erit, et adiumento maximo.

DISSERTATIO XLV.

DE ODYSSEAE PROPOSITIONE, ET AN SIT PEREGRINANDVM.

SYNOPSIS.

Vlyſſem prudentem fecit perigrinatio. Quaeritur, vtiliorne habenda ſit hominibus peregrinatio, an perniciosſior. Argumenta pro peregrinatione. Modeſtiores homines facere fertur. Diuturna proprii ſoli habitatio arrogantiam generat. Exemplum Sinenſium. Generat quoque deſidiam et luxuriem. Exemplum Phaeacum. Homines locorum longinquitate ſeiunctos peregrinatio coniungit. Socrates ſe mundanum dictitabat. Exiguam humanarum rerum ſcientiam ſibi comparare poteſt is, qui patria nusquam egreditur. Quam ſit iucundum, mundi pulcra peregrinando inſpicere, moresque hominum ſuis oculis veſtigare. Peregrinationis expers ad nullam rem ſatis illuſtrem poteſt accedere. Herculis et Bacchi ex peregrinatione laus. Argumenta contra peregrinationem. Peregrinatores inſolentes et ventoſi. Fabulas et mendacia narrant. Comparantur echoni, quae vocem octies, vel decies ingeminat. Externos mores patriis anteferunt. Aelianus laudatus, quod fines Italiae numquam egreſſus patrii moris ſeruandi ſtudioſus fuit. Peregrinatio, vitiorum magiſtra. Teterrimae peregrinationis peſtes et mala, quae ex peregrinatione intactas nationes infecerunt. Peregrinatio paupertatis et mortis cauſſa multis exſtitit. Voluptas peregrinationis leuis et futilis. Ex adſpectu paucarum vrbium totus mundus aeſtimatur. Studium geographiae, et hiſtoriarum lectio peregrinationi aequiparatur. Senecae locus inſignis, peregrinationem improbantis. Pecunia et bona valetudo, maxima duo peregrinationis ſubſidia. Vt quis vtiliter peregrinetur, duo requiruntur, iuſta aetas et bona mens. Confirmatur auctoritate Lycurgi et Platonis. Literatis, et doctrinae ſtudioſis valde vtilis peregrinatio. Exempla ſummorum ex antiquitate virorum

rorum et maxime Democriti. Diſſertationis anacephalaeoſis, et concluſio.

Laudaturus Homerus Vlyſſem, inclytum ſcilicet virum, ex Ithacae regno ad Troianum bellum profectum, cuius conſilio, prudentia, ſolertique calliditate poſt decennalem obſidionem ſuperbum Ilium corruit, extremaque clade abſumta ſunt omnia et deleta, quod multorum hominum vrbes moresque viderit principio poëmatis, quod ab eius nomine inſcribitur, ſtatim enarrat:

Ανδρά μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε·
Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Hoc eſt, vt élegantiſſime vertit Horatius:

Dic mihi, Muſa, virum captae poſt tempora Troiae,
Qui mores hominum multorum vidit, et vrbes.

Anne Vlyſſis ad multos populos diuerſasque vrbes peregrinationem, ſcaturiginem veluti, fontemque prudentiae illius, qua ſupra ceteros ſingulariter eminebat, vates nobis indigitare voluit? Equidem puto, auditores, resque adeo in propatulo mihi eſſe videtur, vt nullus ambigendi locus relinquatur. Quamuis autem id aperte ſenſerit Homerus, et peregrinationis ſtudium in Vlyſſis perſona tam diſerte commendauerit, non omnes tamen ita eius auctoritate permouentur, vt in eamdem atque ipſe ſententiam eant. Complures enim viri docti inter ſe committuntur, ac diſceptando digladiantur, vtiliorne habenda ſit hominibus perigrinatio, an perniciofior, et plusne boni ex ea promanet, an mali. Hanc igitur occaſionem nacto, placet mihi nonnulla hodierno ſermone vobis adferre ex iis, quae in vtramque partem diſputantur, vltimoque quid egomet ſentiam, proponere, non tamquam ex tripode locuturus, ſed veſtris arbitriis ſententiam meam ſiue probandam, ſiue reiiciendam relicturus. Argumentum tractandum, vt videtis, ſuſcipio vtile ſimul et iucundum. Adeſto igitur animis, optimi auditores, et qua ceteras meas diſpu-

diſputationes beneuolentia atque attentione excipere conſueſtis, me quoque hodie de peregrinatione diſſerentem audite.

Modeſtiorem inprimis fieri hominem peregrinationis ſtudio, ex Menandro docent ii, qui peregrinandum eſſe contendunt. Solet namque diuturna patrii ſoli habitatio arrogantiam, neſcio quam, in animis hominum ingenerare. Dum enim ſibi ſolis placent, alios contemnunt; quorum ſi vſi fuiſſent conſuetudine, modeſtius ſe gererent, tumoremque contraherent. Exemplo prae omnibus eſto Sinenſium gens, qui quoniam nusquam itinerantur, vani ſunt, ac tumidi, vtpote qui ſe ſolos circumſpicientes dictitare inuidioſe ſoleant: *Sinenſes duos habere oculos, Europaeos vnum, et quidquid hominum reliquum eſt, caecutire.* Quod profecto falſum deprehenderent, palinodiamque canerent, ſi in aliarum gentium lucem ſuſceptis itineribus ſe darent. Praeterea deſidioſos eſſe atque inertes, luxurieque diffluere, neceſſe eſt, inquiunt, ſi quis populi peregrinationem oderint, nec fines ſuos ipſimet egredi, neque alios aliunde accedentes ingredi ament, vt de Phaeacibus, quorum mores depinxit Homerus, videre licet. Quantum vero boni in hominum mutua coniunctione ſitum eſt, qui, quamuis locorum longinquitate ſeiuncti, vtilitates ſuas ſibi inuicem impertiantur? Id autem vt poſſint, facit peregrinatio. Quam bene idcirco Socrates, cuius omnia et facta et dicta ſunt praeclara, interroganti, cuius eſſet, non Graecum ſe eſſe, non Athenienſem reſpondit, ſed mundanum! Mundus ſiquidem communis quorum cumque hominum patria eſt, quam propterea ſibi miſere anguſtare indignum ſit, humanumque animum, qui a nullo immenſo ſpatio capitur, captiuum in vnius veluti vrbeculae carcere detinere, tamquam infelicem paſſerculum, breui cauea incluſum, cui tamen libere per aëris latiſſimos campos exſpatiari a natura datum eſt. Quam vero exiguam rerum humanarum ſcientiam comparare ſibi poſſit is, qui patria nusquam pedem extulerit, vnaque patria contentus viuat, neque aliarum nationum admirandas res dulciſſimo ſpectaculo

culo ſcrutetur, non ſecus ac ſi, quis paratum habens volumen vberrimum ac nobiliſſimum, quo multiplex rerum paene infinitarum cognitio contineatur, vnam tantummodo pagellam inſpiciat, ceteras vero omnes deſidia quadam ac ſtupore non curet euoluere? Quodſi ſpecioſarum rerum pictas imagines et populorum conſcriptas hiſtorias perlegere adeo paſcit animum, oblectatque, quanta eos voluptate perfundi dicemus, qui non rerum imagines, ſed res ipſas ſuis ipſorum oculis inſpicere, non populorum hiſtorias legere, ſed populorum mores atque inſtituta ipſimet obſeruare, perpendere ac veſtigare valent? Sane hoſce homines, peregrinationi infenſos, videas, tamquam inertes teſtudines, ſuis domibus ſemper adfixos, nec generoſos concipere ſpiritus, nec in ardua conari, neque ad vllam rem ſatis illuſtrem accedere poſſe. Peregrinatio ſiquidem mentem immenſe auget, ingenium mirifice excolit, meliusque, quam philoſophorum ſcholae, et lecta volumina quidquid in moribus ruſticum eſt, aſperum, illiberale, ſordidum, externo veluti ciuilitatis ſale macerat, viroſque rebus agendis adprime idoneos praeſtat. Quid mirum igitur ſit, ſi adeo celebratur Hercules, *μεγάλων ἐπίσωρ ἔϱγων* Straboni dictus, magnorum ſcilicet operum inſpector, ſi celebratur Dionyſius et reliqui apud antiquos ob varias et longinquas peregrinationes? Nam quemadmodum in vno ſolo omnia fructuum genera non pullulant, quantumuis culto et pingui, ſic vnica patria omnium rerum ſufficientem notitiam ſuppeditare non poteſt, quae proinde nobis aliunde eſt comparanda.

Non leuia haec profecto ad peregrinationis vtilitatem comprabandam argumenta eſſe videntur, auditores: nihilominus non pauci ſunt, qui contra ſentiant, et peregrinationes non probent, quaſi per eas nulla fieri poſſit probitatis acceſſio. Saepius enim peregrinantes non modeſtiores, ſed inſolentiores fieri dictitant, domumque reuerti ventoſa ſublataque ſui opinione inflatos non minus, quam equas Hiſpanicas, quas vento Fauonio concipere ait Plinius. Quid vero poſtea foetu illo euanido intumeſcentes pariant, niſi vtres tantummodo fabularum et men-

mendaciorum? Nam tamquam Echo garrula, quae vel octies, vel decies vocem ingeminat, ea, quae a ſe viſa, vel audita ſunt, impudentiſſime multiplicare ſolent, fucumque audientibus facere, eosque deludere, neſcio quo animi malo pruritu gaudent. Quid? quod induentes externos ritus, nihil amare, nihil probare videntur, quod non ſit transmarinum, externosque mores patriis anteferre tertio quoque verbo ſolemne habent, quod Scythae Anacharſidi vitio verſum eſt, et vel Gallica omnia, vel Anglica omnia in patriam vellent transferre, omnesque patrias conſuetudines ſusque deque vertere. Neque facile quis Deus prauam illam perſuaſionem de pulmone reuellat non cogitantibus, quam abſurde id animo agitent, cum ob ingeniorum, locorum, opum, ceterarumque rerum diuerſitatem diuerſos quoque eſſe gentium mores atque inſtituta neceſſe ſit. Quamobrem iure optimo gloriari ſolebat Aelianus, vt ſcribit Philoſtratus, quod fines Italiae numquam eſſet egreſſus, nauem numquam inſcendiſſet, neque nouiſſet mare, quare in magna dicitur fuiſſe auctoritate, veluti patrii moris ſtudioſe obſeruans. Quin et vitiorum plurimorum magiſtram eſſe peregrinationem docent, et exterorum vitia magis, quam virtutes plerosque peregrinantium, experientia teſte, animo combibere, quibus non ſe ipſos tantummodo peruertant, ſed et integras vrbes, integrosque populos, ad quos reuertuntur, menſarum, veſtium, domeſticae ſupellectilis et ceterarum ineptiarum luxum, vitaeque licentiam perdite inuehentes. Quot, Dii boni, morum ſanctitatem, et conſtantiam foras aſportarunt, qui domum improbitatis et leuitatis flagitia inde retulerunt? Quot, in patria temperantes et ſobrii, foris aſoti et Sardanapalo nequiores facti ſunt? Neque ſilentio praetereundae ſunt teterrimae illae peſtes, quibus intactas nationes ex peregrinatione infectas eſſe et corruptas plane conſtat. Vnde enim gallica lues, anglicus ſudor, hungarica labes, africana lepra in alias gentes irrepſerunt, niſi ex peregrinatione? Sexcenta itidem alia damna, quae non infrequenter praeter ſpem peregrinantibus ingruunt, ſi quis velit, nullo negotio recenſeat.

cenſeat. Nonne plures augendarum opum cauſſa magna itinera ſuſceperunt, qui Iro pauperiores domum reuerſi ſunt? Nonne plures valetudinis confirmandae ſtudio longae ſe viae commiſerunt, qui vitae iacturam fecerunt, neque ſua ipſorum oſſa, id quod magnam habet ad morientium angorem acceſſionem, in patrio ſolo contumulanda fore ſperauerunt? Sed et voluptatem peregrinationis, quae ab aliis tanta eſſe praedicatur, iſti, vt leuem ac futilem, dicendo eleuant attenuantque. Quid enim aliud ſit, aiunt, vniuerſus terrarum orbis, quam colles et montes, valles et planities, et id genus alia? ita, vt ex adſpectu paucarum vrbium totum aeſtimare mundum bene quis poſſit? Quemadmodum autem pueri pilam percutiunt et repercutiunt ſterili ineptaque voluptate, ſic et peregrinatores plagas terreſtris globi errant et pererrant, regna inutiliter metiuntur et remetiuntur. Nonne vero pari cum voluptate ſine periculo domi ſedendo peregrinari quis poterit, modo Geographiae operam dare et populorum hiſtorias euoluere velit? Adferunt demum, vt ſententiam confirment ſuam, ſapientiſſimi Senecae auctoritatem, qui omnia haec veluti in faſciculum colligere viſus eſt, ita ſcribens ad Lucilium: „Quid per ſe prodeſſe peregrinatio cuiquam po„tuit? Non voluptates illa temperauit, non cupiditates re„frenauit, non iras repreſſit, non indomitos amoris im„petus fregit, nulla denique animo mala eduxit; non iu„dicium dedit, non excuſſit errorem, ſed, vt puerum, „ignota mirantem, ad breue tempus rerum aliqua nouita„te detinuit. Ceterum inconſtantiam mentis, quae cum „maxime aegra eſt, laceſſit, et mobiliorem leuioremque „reddit ipſa iactatio. Itaque, quae petierant cupidiſſime, „loca cupidius deſerunt, et auium modo transuolant, ci„tiusque, quam venerant, abeunt. Peregrinatio doctri„nam dabit gentium, nouas tibi montium formas oſten„det, inuſitata ſpatia camporum, et irriguas perennibus „aquis valles, et alicuius fluminis ſub obſeruatione natu„ram; ſiue vt Nilus aeſtiuo incremento tumet; ſiue vt „Tigris eripitur ex oculis, et, acto per occulta curſu, in„tegrae magnitudini redditur; ſiue vt Maeander poëtarum

„omnium

„omnium exercitatio et ludus, implicatur crebris anfracti„bus, et ſaepe in vicinum alueo ſuo admotus, antequam „ſibi influat, flectitur; ceterum neque meliorem faciet, „neque ſaniorem." Hactenus Seneca.

Habetis, auditores, ſumma eorum capita, quae de peregrinatione vtrimque diſceptari conſueuerunt. Iis namque a Thoma Lanſio diligenter propoſitis bonam huiuſce diſputationis partem, nulla fere immutatione facta, compoſitam volui. Exſpectatis iam, quid ipſemet ſentiam, audire: initio enim pollicitus ſum, id me fore vobis declaraturum.

Equidem fateor, auditores, me vix ad aliquam vicinarum ciuitatum iter feciſſe, neque Florentini imperii fines tranſiluiſſe, vt idcirco in eorum cenſu computer, qui, teſtudinum inſtar, domos ſuas numquam deſeruerunt. Nouercante ſiquidem fortuna defuit mihi ſtrenua valetudo, defuit pecunia, duo maxime neceſſaria peregrinationis ſubſidia: at deſiderium certe non defuit. Quod ſi perficere valuiſſem, me beatum exiſtimaſſem. Nihilominus etſi peregrinationis amore vtique deflagrauerim, non prorſus tamen peregrinationem probem, perinde quaſi ab omnibus indiſcriminatim ſuſcipi debeat. Neque enim omnibus vtilis eſt, et ſalutaris: iuuenes ſiquidem, leuique animo homines, iuuenibus non abſimiles, ſiue parum iuuat, ſiue deteriores facit. Nam non mores, non conſuetudines, non ingenia populorum intuentur, atque inſpiciunt; ſed inani locorum adſpectu aciem oculorum paſcunt, ſiue quod obſeruant, et animo complectuntur, vitioſum fere eſt, quod eos corrumpit. Aliter ſane ſe geſſit Vlyſſes, commendatus ab Homero, qui non ſolum vrbes, ſed etiam mores et ingenia hominum multorum nouit, vnde factus dicitur longe prudentior. Quare ſtatuendum puto in iis, qui peregrinationem ſuſcipient, vt cum fructu peragant, duo neceſſaria requiri, iuſtam videlicet aetatem, bonamque mentem et ſoſpitem: ii ſiquidem ſolummodo apti ſunt, vt ex populorum conſideratione ſapientiae theſaurum colligant, domumque referant, quo et ſibi ſuiſque prodeſſe valeant. Quod vt ſentiam, auctores mihi

ſunt longe ſapientiſſimi Lycurgus et Plato, duarum maximarum rerumpublicarum ſplendidiſſima lumina; quorum prior non ſine magna conſultatione peregrinandi facultatem ciuibus dandam eſſe ſtatuit, ne forte prauae populorum conſuetudines in patriam inducerentur, vitaeque licentia et peior quaedam adminiſtrandae reipublicae ratio. Alter vero legum lib. XII. nemini peregrinandum eſſe ſanciuit, qui quadrageſimum aetatis annum non exegiſſet; quam tamen legem, bona tanti viri venia, aliquantiſper temperari, illamquae aetatis menſuram ad trigeſimum circiter annum paulo benignius contrahi poſſe putarem; qui enim trigeſimo vitae anno non ſapit, is fere neque quadrageſimo ſapit. Item decreuit Plato, vt prudentis viri, quinquaginta annos nati, mitterentur ex vrbe, qui, quidquid boni apud alias gentes haberetur, condiſcerent, domumque ex inde reuerſi ad magiſtratum quempiam, ex ſenioribus conflatum, probitate et ſapientia ſupra ceteros eminentibus, omnia referrent, vt diligenter expenderentur et ad obruſſam exigerentur. Non parum quoque vtilem literatis hominibus, doctrinaeque ſtudioſis peregrinationem praedicamus. Vt de Homero, Pythagora, Platone, Heraclito, aliisque ſileam, qui exſilia verius, quam peregrinationes, doctrinae cauſſa ſuſcipiebant ad eas gentes, inter quas putabant ſcientiam diſciplinasque eſſe quaerendas: nonne Democritus ille phyſicus centum talenta conſumſiſſe dicitur, quae ipſi ex hereditate patris obuenerant, in itineribus obeundis, magnaque terrarum parte per annos octoginta peragranda, vt viros doctrina praeſtantiſſimos audiendo ſcientiam rerum ſibi vndique compararet, floremque ſapientiae vndequaque colligeret? Nam et Aethiopas adiuit, et Indorum Gymnoſophiſtas, Chaldaeos, Perſarum ſapientes, et Aegyptiorum ſacerdotes, et quoscumque alios comperit rerum cognitione eminere, putauit adeundos. Quibus ille doctoribus tantam, tamque late patentem, et in omnes partes diffuſam ſapientiam eſt conſecutus, vt, auctore Platone, in philoſophia quaſi quidam pentathlos fuiſſe dicatur; quod, quemadmodum pentathli omne genus ludorum exer-

exercebant, ſic ipſe nullius doctrinae, aut artis expers haberetur. Haud equidem infitior, auditores, in hac tanta literarum luce, qua hodie fruimur, magnam optimorum librorum copiam vbique ſuppetere, quorum ope etiam in patria quieſcens poſſit quis ad eminentiorem doctrinae gradum adſcendere: at neſcio, quid habeat amplius ad generoſiorem ſelectioremque eruditionem comparandam, ſummorum virorum, ſi qui apud exteros doctrina praecellant, conſuetudo, e quibus, tamquam e vivis, exundantibusque gurgitibus ſapientia liberalius hauritur.

Sed finem dicendi facio, cum id, quod pollicitus eram, cumulate praeſtiterim: nam et ea, quae in vtramque partem de peregrinatione diſputantur, ſummatim perſecutus ſum, et, quae mea eſſet ſententia, diſerte docui. Qui igitur inter vos, auditores, opibus et valetudine florent, et iuuentutis tirocinia poſuerunt (nam bonam mentem adeſſe omnibus nequaquam eſt ambigendum), ſi peregrinandi ad exteros populos ſtudio tenentur, iis, vt accepiſtis, per me licet. Quinimmo huiuſcemodi eorum ſtudia commendo; vt perficiant, adhortor: iisque iam, vt peregrinationem ſuam feliciter abſoluant, propitium Deum, fauſta, ſecundaque omnia votis omnibus ex animo adprecor.

DISSERTATIO XLVI.

DE PENELOPE ADVERSVS GRAVINAM.

SYNOPSIS.

Summa narrationis Homericae de Penelope ex totis XXIV. libris Odyſſeae concinnata. Penelopes mores non bene a Grauina deſcripti. Homeri mentem non eſt adſecutus. Penelopes prudentia. Cur Penelope procos ex Vlyſſis aedibus non expulerit. Cur non Telemachus, neque Laërtes. Plura coaceruantur argumenta hallucinationis Grauinae.

vinae. Homerus caſtiſſimam facit Penelopem. Alii tradunt, fuiſſe adulteram. Dido Virgilio impudica, aliis pudicitiae eſt exemplum. Grauina promittit opus, in quo Homeri loca explanet contra, quam Plutarchus et Heraclides Ponticus interpretati ſunt. Diſſertationis clauſula.

Cum magno aduerſario mihi res eſt hodierno die, auditores, videlicet cum Grauina illo, qui tum laude robuſtae, nitidaeque dictionis, tum editis de iure aliisque de rebus voluminibus, tum recepta opinione apud pleroſque, quod plus ceteris in re literaria viderit, eaque ingenii acie penetrauerit, qua pauciſſimis licet, magnam ſibi nominis famam conciliauit. Nihilominus cum eum putem falſum de Penelope, Vlyſſis coniuge, ex Homeri poëmate iudicium tuliſſe, excuſat me mei muneris ratio, ſi cum eo digladiaturus in arenam deſcendo. Quandoquidem enim hanc ſpartam adornandam ſuſceperim, qua Homericam ſapientiam auditoribus meis euoluam et declarem, ſi quid offendero etiam a doctiſſimo viro iactatum, quod a mente vatis videatur diſſonum, non poſſum facere, quin diſputando refellam, ne forte hallucinatio ſapientis pleriſque ſtudioſorum fucum faciat. Haec autem idcirco ſum praefatus, vt audaciae notam a me amóliar.

Nemo fere eſt, cuius auribus Penelopes, pulcherrimae et caſtiſſimae feminae, praeconia Homerica non inſonuerint: in ea ſiquidem vates exemplum ſtatuit nobiliſſimum feminarum, quotquot vmquam viros ſuos medullitus amauerunt, nullaque arte, coniugii perpetuam fidem ne ſeruarent, adduci potuerunt; ac praeterea ſummam ei prudentiam, raram in femina virtutem, attribuit. Cum eius vir, Vlyſſes, exacto Troiano bello, ad Ithacam non rediret, domus ſuas ceteris ducibus reuerſis, neque vtrum adhuc viueret ab vllo ſciretur, exſpectatis aliquot annis, increbuit rumor, eum ſiue in mari, ſiue etiam alibi malo fato periiſſe. Quapropter coeperunt principes viri Cephalleniae, ſic enim Vlyſſei regni ditio adpellabatur, reginae nuptias ambire. Numero centum et viginti ex Ithaca,

ca, Samo, Dulichio ac Zacyntho ad regias aedes con-fluxerunt, procantesque a Penelope petebant, vt ex eorum numero, quem mallet, ſibi nouum virum deligeret, Vlyſſe iam pridem, vt iactabant, demortuo. Quodſi moram necteret, lata veluti lege, nimis profecto dura iniuſtaque, ſtatuerunt, ſe tamdiu in eius domo permanſuros, Vlyſſis bona quotidianis conuiuiis abſumentes, quamdiu petitas nuptias differret. Penelope autem, cum ſperaret, virum ſuum longe dilectiſſimum, qui eius animo intime haerebat, adhuc viuere, et aliquando fore, vt ad ſe reuerteretur in patriam, qua erat prudentia, tergiverſari coepit, procisque reſpondere, minime licere ſibi ad alteras nuptias prius conuolare, quam telam abſolueret, ad corpus ſoceri ſui, Laërtis, ſenio iam confecti, vbi fato concederet, pollingendum: ſi enim facere omittat, omnes graecas mulieres ſibi grauiter ſuccenſuras, atque id vitio maxime daturas. Aequa viſa eſt huiusmodi conditio procis, et, ne laederent eius animum, quam deperibant, permiſerunt. Sed cum triennium aegre exſpectaſſent, et tela adhuc non finiretur, quod enim texebat diu, retexebat noctu, quarto accedente anno ex quadam domeſticarum ancillarum dolum reginae reſcientes, vt telam abſolueret, coëgerunt; quod et factum eſt. Dum autem exſpectati coniugii deliberationem acrius vrgebant, ipſaque adhuc procraſtinabatur, confidens, fore vt cunctando reſtitueret rem, tandem viceſimo anno, poſtquam ab Ithaca diſceſſerat, vllo nec opinante, reuerſus eſt Vlyſſes, et mendici formam veſtesque mentitus, procis omnibus interfectis, fidiſſimae vxori ſuae optatiſſimum ſeſe reddidit. Haec narrationis capita ſunt, quam totis viginti libris fuſe Homerus exſequitur: ei vero plura, quae vocant, ἐπεισόδια ad rem facientia concinne admodum admiſcet, ex quibus pulcherrimum Odyſſeae poëma conſurgit.

Prodeat modo Grauina, et, quam libro primo de poëtica ratione, vt ipſe opus inſcribit, Penelopes imaginem efformauit, nobis exhibeat. Quae autem Etruſco ſermone diſſerit, totidem fere verbis ad hunc modum fidus interpres latine reddo. „In Penelopes facto expreſſit, in-

„quit, Homerus muliebrem indolem: confinxit enim Pe-„nelopem caſtiſſimam, viroque fideliſſimam; nihilomi-„nus, cum anceps eſſet, an Vlyſſes adhuc viueret, nec „ne, voluit vmquam ſibi aditum ad alteras nuptias inter-„cludere, omnem ſpem procis adimendo, ſed eos lacta-„bat, dum certum acciperet nuncium mortis aut vitae „prioris coniugis. Interim vero ſinebat, vt abſumerent „Vlyſſis facultates, quemadmodum ſaepius conqueritur „filius Telemachus, ſeque conuiuiis et ludis in ipſa re-„gia domo oblectarent. Et licet Antinous aliquando ni-„mis inſoleſceret, atque ipſamet apud familiares queri-„monias de hoc effunderet, tamen apud ſe nec dolebat, „nec remedium malo conquirebat. Amari enim tam dul-„ce eſt feminis, tantamque adfert voluptatem, vt libenter „omne malum deuorent, omnemque ferant tumultum, „quem ſuae venuſtatis effectum eſſe arbitrantur. Etſi au-„tem moleſtiam ab eis capiant, qui ſe ambiunt, earumque „animus alio reſpiciat, nihilominus neminem vmquam „ſolent a ſe dimittere, quia, licet vnius eſſe velint, tamen „eodem tempore ſe ſperari petique a multis ſummopere „gaudent. Quamobrem rixae inde naſcuntur, inſidiae ac „ruinae, quibus poſſent feminae momento proſpicere, a „ſpe deturbando procos, a quibus petuntur." Hactenus Grauinae iudicium de Penelope Homerica. Verum ego, bona tua venia, ſapientiſſime Grauina, nihil tale puto in Penelope ab Homero depicta, quam non bene agnouiſſe mihi videris, nec vatis mentem, vbi eam deſcribit penetraſſe. Age vero rem perpendamus rationum momentis grauiſſimarum.

In primis enim Penelopes prudentiam vbique euehit vates, eique epithetum illud περίφρων perpetuo adfigit, quod non video a Grauina notatum in ſua deſcriptione. Hanc autem laudem tam plenam, tam ſaepe iteratam, profecto non ei tribueret Homerus, ſi ob vanam gloriolam, quam ex procorum coetu, eius nuptiis inhiantium aucuparetur, tantam bonis filii pateretur inferri iacturam. Haec enim fuiſſet prudentia? immo ſtultitia longe maxima. Ferre igitur procorum inſolentiam effectus eius prudentiae

dentiae fuit; in qua valde eminebat. Videbat ſiquidem, ſe nihil aduerſus procos valere, qui auctoritate, et opibus in Cephallenica ditione plurimum poterant. Quodſi, vt abirent, imperaſſet, nihil certe aliud profeciſſet, niſi vt eorum ſuperbiam ac petulantiam magis magisque laceſſeret, ſeque ludibrio exponeret, iis non obtemperantibus; quemadmodum accidit, quoties Telemachus, iam grandior factus, nam antea per aetatem minime licebat, indixit eis, vt diſcederent. Non ſolum enim non diſceſſerunt, ſed eum interficere moliti ſunt: quod certe nefarium conſilium exſecutioni demandaſſent, niſi illum Minerua opportune, vt caueret, monuiſſet, ſuoque numine tutata eſſet. Haec igitur verior cauſſa eſt, cur prudentiſſima Penelope diſceſſionem procis non imperaret, quam ea, quae a Grauina adfertur, quod nempe ſibi volupe eſſet, tot habere ſuae venuſtatis ambitioſos amatores.

Quoniam vero de Telemacho nonnihil attigimus, animaduertatis, oportet, ab Vlyſſe, cum ad bellum profectus eſt, relictum filium modo natum: quare cum proci Penelopen vallaſſe dicuntur, Telemachi aetatem ſedecim circiter annorum fuiſſe neceſſe eſt. Nam Troianum bellum ad decimum annum eſt productum, poſt eius finem ſex circiter annos exſpectatus eſt Vlyſſes. Exinde vero coeperunt proci inſtare Penelopae, vt alteris nuptiis ſe addiceret, quatuorque annos in eius domo verſati ſunt, adeo vt, cum reuerteretur Vlyſſes, natus eſſet Telemachus viginti annos; atque vltimo quidem anno procis iraſcebatur, minabatur, diſceſſum denunciabat, ſed magno capitis ſui periculo, vt dicebamus. At cur, inquitis, Penelope Laërtem non excitabat, vt daret ille operam eorum expulſioni? Quia Laërtes, ſenio atque aegritudine confectus, quod Vlyſſem credidit interiiſſe, Ithacam dereliquerat, animum deſponderat et miſeram vitam, vt Menedemus ille Terentianus, ruri agens, res omnes humanas ac regnum ipſum faſtidiebat. Praeterea plura alia in promtu ſunt argumenta, quod Homerus huiuſcemodi femineam ſiue maculam, ſiue vanitatem in Penelope non cogitauerit. Ea autem breuiter recenſebo. Sermonem ipſa-

ipſamet conferens cum Vlyſſe, quem minime agnoſcit, planeque pauperem aduenam credit, qualem ſe ſimulabat, multa mala ſibi deſtinaſſe, ait, ſiniſtrum numen, numeratque in hiſce malis procos, animumque ab eis oſtendit maxime auerſum, atque adeo eorum catulitione, Pliniano verbo dicere libet, nequaquam gaudentem. Quae enim neceſſitas ſic loquendi pauperi aduenae, niſi loqueretur ex animo? Cum proci eumdem mendicum hoſpitem peſſimis haberent deſpicatum modis, id aegre ferens apud ipſos conqueſta eſt, quod hoſpitii ſanctiſſima iura non vererentur, eaque in eius oculis, in eius aedibus frangerent. Interim tamen Eurymachum, principem locum obtinentem, interque illos officio ducis fungentem, ſuauibus verbis demulcebat, vt ſibi bene conſuleret *lib. XVIII.*

Μαλιχίοις ἐπέεσσι, νόος δὲ οἱ ἄλλα μενοίνα.

Quaſi dicat, etſi leni illo adloquio Eurymacho amantium more videretur indulgere, mente tamen tum ab illo, tum a ceteris procis abhorrebat; quod conſilium probae ac prudentis vxoris ſenſiſſe Vlyſſem, ſub mendico hoſpite latentem, notauit vates. Quae quidem omnia de Penelope narraret abſurde, ſi femineo illo morbo, quem falſo putauit Grauina, laborantem faceret. Cum procorum manes, ab Vlyſſe interfectorum, ad inferos delaberentur, Agamemnon, eorum internecionis cauſſa ſibi narrata, Vlyſſis felicitatem extollit, cui tanta virtute vxor, tamque bona mente praedita contigiſſet, praedicitque, talis feminae nomen numquam fore in mundo interiturum *lib. XXIV.* At Homerus perperam induceret Agamemnonem, tantam laudem Penelopae tribuentem, eiusque bonam mentem depraedicantem, ſi ei leuitati, quam commentus eſt Grauina, ſubeſſet. Sub initium libri XIX. Penelopem comparat vates tum Dianae, tum Cythereae vario reſpectu; illi quidem propter egregiam animi caſtimoniam, ob quam indignatur, ſi quis amatorie eam inſpiciat ac depereat; huic vero propter egregiam formam. Inepte autem cum Diana eam componeret, ſi ceterarum feminarum inſtar tot procorum amore laetaretur. Eadem

Pene-

Penelope, adferente ſibi nuncium enectorum procorum Euryclea, e lecto deſilit prae laetitia *lib. XIII.* Nonne autem ſubitus ille impetus gaudii euidenter oſtendit, illam nequaquam eorum amatorum turba delectatam eſſe, ſed potius omnes ſummo odio proſecutam? Alioquin eorum tam miſerum fatum ſiue doluiſſet, ſiue exhorruiſſet; praeſertim cum feminarum proprium ſit alienis calamitatibus facile tangi atque ingemiſcere. Nec reſpondere poterit Grauina, Penelopes laetitiam non ex procorum nece, ſed ex Vlyſſis reditu ortam. Non enim credebat, quamuis grauiter Euryclea adfirmaret, Vlyſſem eſſe reverſum, ſed aliquem Deorum ſuperbiam et ſcelera procorum morte puniiſſe. Quod vero omnium maximum eſſe cenſeo, Grauinamque praefocare, illud eſt, Penelopem nempe ſciuiſſe, procos interfectum velle vnicum eius filium, quem ferebat in oculis; id autem ſciens, ab eis peti, amarique gauderet? Credat, ſi vult, Grauina: ego quidem numquam adduci poſſim, vt credam. Prudenter vero pertimuiſſe Penelopen potentiam procorum, liquet etiam ex eo, quod poſt eorum internecionem contigit. Qui enim cognatione eos attingebant, accepto eius cladis nuncio, exercitum repente compararunt, rusque, quo cum Telemacho et coniuge apud Laërtem ſe receperat Vlyſſes, conuolarunt, vt propinquorum ſuorum mortem vleiſcerentur. *lib. XXIV.* Quod niſi interceſſiſſet Minerua ad eos componendos, incertum eſt, quem exitum illa pugna foret habitura. Solius ergo prudentiae effectus in Penelope habendus eſt, tuliſſe procos, nec eis abitum ex Vlyſſis aedibus imperaſſe. Cuius prudentiae aliud argumentum exhibuit, cum procis certamen arcus, quod in libro viceſimo primo deſcribitur, proponit, polliceturque, ſe eius nuptias inituram, qui arcum tetendiſſet et in illo certamine ceteros ſuperaſſet. Cum enim videret procorum proteruiam ad extremum deueniſſe, et cauſſa timendi ſubeſſet, ne vltima contra Telemachum hoſpitemque adgrederentur flagitia, putauit, ſe non poſſe amplius nuptias differre. Eam vero deliberationem e prudentia profluxiſſe, innuit ipſemet vates, cum narrat,

 huius-

huiusmodi conſilium Penelopae ſuppeditaſſe Mineruam. Quid vero factum eſt? Non valentibus procis arcum tendere, illum ſibi dari in manus popoſcit mendicus hoſpes: quem tradidit ei Telemachus reclamantibus procis, indigneque ferentibus, tam vilem, vt ipſi putabant, homuncionem in eamdem ſecum concertationem venire. Sed vbi virium ſtrenuitate, qua pollebat, facile arcum tetendiſſet, ſeque, poſita larua, Vlyſſem eſſe declaraſſet, ſuppetias ferentibus paucis cum Telemacho familiaribus, qui regi fidem ſeruauerant, ipſaque in primis Minerua, procos omnes de medio ſuſtulit. Quemadmodum igitur non muliebrem leuitatem, ſed dignam commendatione prudentiam prae ſe tulit, cum neceſſitate coacta, procis ſe demum indulturam, dixit, alteris nuptiis acquieſcendo: ſic eiusdem prudentiae ductu, non tot amatores habendi ſtudio ferendos procos ſtatuiſſe dicenda eſt, conſultiſſime fore rata, vt ſe ipſam, filium, resque omnes grauiori diſcrimini obiiceret, ſi tantam tamque procacem turbam veluti crabrones irritaret, atque vt diſceſſionem a ſe facerent, cogeret. Itaque ſatis mirari nequeo, haec rationum momenta non expendiſſe Grauinam, qui adeo in Graecis literis verſatus eſſe perhibetur. Si enim expendiſſet, tale profecto iudicium de Homerica Penelope ab Homero deflectens non pronunciaſſet. Liceatne hariolari? Hanccine de ſuo nouam prorſus edidit interpretationem, vt ſibi plauſum conciliaret? Nam ſcio, eam arriſiſſe non paucis, vtpote quae feminarum mores in Penelope veris coloribus expreſſerit. Horum certe vnus amicus meus candidiſſimus atque erudititiſſimus tam pleno ore eam mihi commendauit, totque Grauinam propter eam laudibus extulit, vt me impulerit ad hanc diſputationem conſcribendam, non quod inuidia illarum laudum tangerer, ſed quod viderem, ibi laudari magnique fieri, vbi Homeri mentem non erat adſecutus. Equidem noui, non deeſſe, qui Penelopem adulteram dicant, natumque ex eius adulterio Deum Panem. Sed non hic quaero, qualis Penelope fuerit; id ſolum contendo, talem non eſſe apud Homerum, qualem Grauina depinxit, qui eius mores profite-

tur

tur ex Homero exprimere. Sciunt omnes, mirificam vim eſſe poëticae facultatis ad quidlibet mortalibus perſuadendum, vt oſtendit hoc exemplum Penelopes apud Homerum (ex eorum opinione loquor, qui Penelopem volunt adulteram; ipſe enim contrariam potius ſententiam amplector), et exemplum Didonis apud Virgilium. Alter enim nobis auctor eſt, vt Penelopen, ab aliis impudicitiae inſimulatam, tamquam luculentiſſimam feminam caſtitate, fide, prudentia, ceterisque virtutibus ſuſpiciamus: alter vero facit, vt Didonem tamquam hoſpitam intemperantem improbemus, cum alii tradant pudicitiam vel morte ſeruauiſſe. Cuius rei, ſi vero ita ſe haberet, nullam aliam adferre poſſemus cauſſam, niſi quod Homero Penelopem caſtam fuiſſe libuit adfirmare, Virgilio Didonem impudicam placuit inducere, quod tamen falſum iactari puto.

Idem Grauina in eodem libro pollicetur, ſe velle explicare alia quam plurima tum Odyſſeae, tum Iliadis loca longe diuerſis principiis, quam quae ſibi Plutarchus, Heraclidesque Ponticus propoſuerunt. Ignoro, an, quod promiſit, praeſtiterit. Optandum autem, vt melioribus auſpiciis Homericarum explanationum opus adgrederetur. Vereor enim, ne, a Plutarcho et Heraclide Pontico deſciſcens, duobus de Homericae ſapientiae interpretatione viris optime meritis, in eumdem ſcopulum impegerit, vt ſcilicet nouas pro arbitrio adferendo interpretationes, et maiorum doctrinae non adquieſcendo, quod plerique eorum faciunt, qui multum ſibi tribuunt, a veritate aberrauerit; quemadmodum aberrauiſſe in hoc loco, quem de Penelope excuſſimus, rationes a me allatae apertiſſime demonſtrant.

DISSER-

DISSERTATIO XLVII.

DE TELEMACHI PROFECTIONE AD NESTOREM AC MENELAVM DE CRIMINIBVS IN EVM CONIECTIS DEQVE ODYSSEAE CHRONOLOGIA.

SYNOPSIS.

Sub Mentae ac Mentoris forma Minerua adſtat Telemacho. Eius iter ad Neſtorem et Menelaum. Reuerſuro inſidiae ſtruuntur a procis. Inſignes in hoc iuuene virtutis notae. Colloquio ſapientium ſenum ad praeclara facinora formatus eſt. Telemachus Praeſulis Cameracenſis. Cohortatio ad iuuenes, vt doctrinam ac prudentiam a ſenibus exquirant. An Telemachus reſpondens, ſe neſcire, vtrum vere filius ſit Vlyſſis, iniurius fuerit matri et ſibi. An irreuerenter et ..urius matrem compellauerit, vbi ad telam et colum remittit. Tela et colus heroicis temporibus nobiliſſimis quibuscumque feminis conueniebant. Salomonis laus virili feminae tributa. Etiam Hector ad telam et colum amandat Andromacham. Nomina patris, et matris quam veneranda effecerit ipſa natura. Non bene cum aliis permutantur a filiis. Totius Odyſſeae chronologia aduerſus anonymum cenſorem deſcribitur ac defenditur.

Inſignem Vlyſſis prudentiam, quam ad multos populos, multasque vrbes peregrinando collegerat, ac pudicitiam Penelopes, quae tam nobiles ac frequentes procos auerſata eſt, in vnius viri ſui amore ac deſiderio defixa, ſatis oſtendimus praecedentibus duabus diſputationibus, optimi auditores. De Telemacho eorum filio hodie dicturi, quomodo ad Neſtorem ac Menelaum ſe contulerit, ac per eos bona in eo indoles ad virtutem et gloriam fuerit prouecta, narrabimus, ac deinde crimina in eum coniecta, et totius Odyſſeae chronologiam expendemus.

Habito Deorum concilio cum placuiſſet Ioui, cauſſam agente Minerua, vt tandem Vlyſſes poſt decimum a Troiano bello annum rediret ad patriam, et a Calypſonis inſula liber dimitteretur, ipſa Minerua, e coelo delapſa, et Men-

Mentae, Taphiorum regis, formam induens, qui Vlyſſis domum alias aduenerat, in eaque hoſpitio exceptus fuerat, adit Telemachum, hortaturque, vt ad Neſtorem ac Menelaum iter ſuſcipiat, e quibus aliquid de patre ſuo, Vlyſſe, noſſe poterat, vtrum viueret, an non: ſiquidem ipſi quoque ſimul cum eo Troianum bellum confecerant. Conſulenti facile acquieuit optima ac praeclara indole iuvenis, animoque magis erectus eſt, vbi Deam eſſe ſenſit; repente ſiquidem ex oculis auolauit. Iam vero procos, quos hactenus per aetatem veritus erat iuuenili timore praepeditus, increpare coepit audacter, quod bona Vlyſſis impudenter abligurirent, indicensque, vt domos quisque ſuas abirent, ſe ad Neſtorem et Menelaum profectu-rum enunciauit. Sannis exceperunt proci inſolitam, nec opinatam in regio iuuene loquendi libertatem *lib. I.* At ille, ne matri, quae ab hoc ipſum itinere deterrebat, aegritudinem adferret, eiusue precibus, aut lacrimis detineretur, veſperi, bonum a Minerua iter praecatus, nauim conſcendit, deducente illum ipſa Minerua, quae rurſus ſub forma Mentoris ei adſtitit, et itineri neceſſaria omnia parauit. Hic vero obſeruare neceſſe eſt, diuerſos eſſe Mentem ac Mentorem: plerique enim interpretes falſi ſunt, dum vbique Mentorem nominant. Vtrique ſe profitebatur obſtrictum vates, quod ab vtroque beneficia accepiſſet. Quamobrem, vt gratiam ipſis referret, amborum imaginem facit adſumentem, Mentae quidem in poëmatis primordio, Mentoris vero deinde paſſim. Mentem, qui diues nauclerus ac mercator e Leucadia fuit, vt magis nobilitaret, Taphiorum regem fuiſſe confingit: at Mentor ciuis erat e primoribus Ithacae.

Vna nocte ad Pylum Telemachus deductus eſt *lib. II.* cui vna cum Mentore perhumaniter excepto narrat Neſtor, quae ad Troiam geſſerunt Graeci, quantaque inter eos gloria praecelluerit Vlyſſes, et quomodo confecto proelio, Troiaque diruta domos quisque ſuas diſceſſerint: dolet vero audiens iniuriam, quae Vlyſſis domui a procis adferebatur. Quia vero hic quoque ſe manifeſtauit Pallas, ſtatim euaneſcens, victimam idem Neſtor Deae immo-

immolat. Diem illum ac ſubſequentem noctem apud Pyli regem transegit Telemachus. Vbi poſterus dies illuxit, quemadmodum Pallas praeceperat, Neſtore ſuppeditante currum, comitemque viae, Piſiſtratum, filium, adiungente, qui ferme ipſius Telemachi erat aequalis, feſtinauit ad Menelaum, qui nuper reuerſus poterat illud enucleatius ac certius docere de patre. Si qui forte veſtrum, iuuenes, non ſatis in re geographica verſati ſint, ad huius intelligentiam loci opus eſt, vt moneantur, ex Ithaca, cum ſit inſula, profecturis ad Pylum neceſſarium eſſe nauigium, a Pylo vero ad Lacaedemonem terreſtri itinere procedi, quod Pylus et Lacaedemon in Peloponneſo contineantur.

Aduentante eius diei nocte ad oppidum Pheras deuenerunt, vbi apud Dioclem, dum ſomno ſe reficerent, diuerſati, ſummo mane iter ſuum receperunt; adeo vt veſpere Lacaedemonem tenuerint *lib. III.* Quam quidem viam probe in hac narratione definiuit vates: eſt ſiquidem in comperto, a Pylo Lacaedemonem vsque ciſio aut equo vectis iter eſſe bidui. Menelaus autem, cui gratiſſimum fuit filios virorum ſibi amiciſſimorum hoſpitio accipere, roganti Telemacho morem libenter geſſit, nauigationem ſuam ordine exponens, eaque omnia, quae de Graecorum ducibus a Proteo audiuerat, et quomodo in Ogygia inſula promiſſis et illecebris nymphae Calypſonis detineretur Vlyſſes.

Sed proci, poſtquam certiores de diſceſſu Telemachi facti ſunt, quod non putarant futurum, redeunti inſidias ſtruere meditantur. Itaque cum ſibi opportunus viſus eſſet locus inſula Aſteria, quae Ithacam, Samumque interiacet, illuc deducta naui ſtatuerunt viginti homines, qui fraudis occaſionem opperirentur. *lib. IV.* Quanto animi angore infelix adſlictaretur mater, profectionem audiens vnici filii ſui, quem ferebat in oculis, teterrimumque procorum ſcelus necem illi inferre parantium, dicere eſt ſuperuacaneum. Verum peſſima eorum conſilia diſſlante Minerua, incolumem rediiſſe Telemachum ad Ithacae agrum atque ibi patrem ſuum recognouiſſe ac recepiſſe,

piſſe, cumque illo ſceleſtos procos vltum eſſe, ſuo ſubinde loco docebimus diſſertat. LVII.

Iam vero, quam inſignes virtutis notas in Telemacho expreſſerit vates, mecum animaduertite, optimi iuuenes. Pium in Deos ac parentes vbique deſcripſit, honeſtum, iuſtum, prudentem, ſtrenuum. Ante quidem viceſimum annum nihil audet: non poterat enim per aetatem, abſente patre opemque ſibi adferente nemine, tot proceribus Cephalleniae et Acarnaniae, quae duae Ithacenſis regni partes, obluctari. At vbi conſilio adfuit Pallas, ac virtutem adflauit, praeſtantiſſima eius indoles ſtatim emicuit. Colloquiis inſuper ſapientium virorum, quales profecto erant Neſtor ac Menelaus, ad praeclara facinora adprime formatus talem deinceps ſe exhibuit, qualem decuit eſſe Vlyſſis filium. Ad Homeri exemplum Telemachum ſuum finxit Praeſul inclytus Cameracenſis, cuius typo nobiliſſimum ac regium adoleſcentem vtiliter iucundeque erudiendum ſuſcepit. Memini me alias adfirmare vobis, generoſi adoleſcentes, non poſſe iuuenem ſapientis laudem adipiſci, niſi ad audiendos ſenes libenter ſe conferat, et ab iis doctrinam et prudentiam, qua caret, diligenter exquirat. Quod vt vobis probarem, Aegyptiorum myſterium euolui, qui, Mercurii ſimulacrum effingentes, iuuenis formam formae ſenis adiungere conſueuerunt. Praeterea exemplum adferebam Epaminondae, qui Lyſidi Tarentino Pythagoreo adeo deditus fuit, vt adoleſcens triſtem et ſeuerum ſenem omnibus aequalibus ſuis in familiaritate antepoſuerit. Sed nunc luculentum etiam Telemachi exemplum in promtu eſt, quod vobis imitandum proponam. Ipſe etenim egregiam indolem protulit ſuam, et ad res praeclare gerendas paratus atque exacutus eſt, poſtquam Mentae et Mentoris, Neſtoris et Menelai ac recepti patris ſui Vlyſſis documenta, praecepta, conſilia valde amauit, cupide audiuit, diligenter animo ſeruauit. Neque enim alia de cauſſa putate, iuuenes, finxiſſe vatem, quod Mente ac Mentore delituerit Minerua, niſi vt diſcatis, ſapientiam e grandioribus natu a vobis eſſe expetendam. Ii ſiquidem, qui per aetatem in doctrina, probitate

tate ac rerum experientia praecellunt, rectam vobis viam facile commonſtrabunt, per quam euntes optimis et ſtudiorum et vitae inſtitutis vtamini, pulcherrima quaeque conſequamini, et ad veram gloriam contendatis. Quam vtile vobis erit, quam praeclarum, quam laudabile, egregii iuuenes, ſi ſapientes ſenes non ſolum, qua par eſt, veneratione proſequamini, ſed relicto ſaepe aequalium coetu, illecebriſque, ſiue ad ignauiam, ſiue ad prauas voluptates vos pertrahentium repudiatis, colloquio potius eorum et conſuetudine oblectemini, per quos bono virtutis colore mores veſtri ſenſim infitiantur! Age vero, breviter expendamus nonnulla, quae in iuuene Telemacho, cuius vobis aemulationem inculcaui, aliquibus diſplicent. Cum vobis eius ingenium deſcriberem, inter alias laudes pium in parentes vobis praedicaui. Sed quomodo, aiunt, pius in matrem dicendus ſit, qui a Mente interrogatus, vtrum Vlyſſis eſſet filius, matrem quidem reſpondit ſibi narrare, quod ex eo progenitus ſit, ceterum ſe neſcire, eo quod nemo vmquam patrem agnouerit ſuum?

> *Μήτηρ μὲν τ᾽ ἐμέ Φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε*
> *Οὐκ οἶδ᾽, οὐ γάρ πω τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.*

Sane Spondanus mirum dicit hoc Telemachi reſponſum, et quod vix credatur in pios liberos cadere poſſe. Hoc enim pacto, inquit, videtur de matris caſtitate dubitare, quae tamen per viginti annos probata eſt integra et inexpugnabilis: ſed et ſibi et ipſi facit iniuriam, et in ſpurii ſuſpicionem venit, cum patrem ſuum vere non agnoſcit. Nihilominus idem Spondanus auctoritate Euſtathii videtur extra culpam ponere Telemachum ita reſpondentem. Candida enim iuuenili ſimplicitate verum profert, quod ſcit, ſenſu optimo atque certiſſimo, adeo vt hanc Telemachi ſententiam, tamquam ipſius naturae effectum, Iuriſconſulti exiſtimauerint ac probauerint. „Mater certa „eſſe dicitur, inquit Grotius, quia inueniuntur, qui, „quaeue partui et educationi adfuerint; at de patre huius „gradus certitudo haberi non poteſt." Hinc, vt dixit Menan-

Menander, mater magis amat liberos, quam pater, ſuum enim ipſa filium certo cognoſcit, ille putat.

Η μὲν γὰρ αὐτῆς οἶδεν υἱὸν, ὁ δ᾽ οἴεται.

Homerus igitur, ad eum modum loquentem Telemachum faciens, ſignificare voluit, quod nemo per ſe ortum ſuum cognoſcit, niſi hoc a matre intelligat. Fortaſſe etiam prae dolore locutus eſt iuuenis, quaſi dicat: non poſſum mihi perſuadere, me ab Vlyſſe, nimirum a tanto et tam inclyto viro procreatum eſſe, cum tam indigna a procis patiar. Vtramuis autem harum interpretationum admiſerimus, crimen, cuius inſimulabatur, repellitur, videlicet, quod ſiue impius matrem, ſiue ſtultus ſe ipſum infamauerit.

Altera criminatio in eo verſatur, quod Telemachus matrem durius compellauerit ac ſatis irreuerenter obiurgauerit, ad telam et colum remittens. Bis enim id fecit, et cum Phemium, in conuiuio procorum de Troiano bello canentem, aegre illa audiret *lib. I.* et cum Vlyſſi, ſub mendici hoſpitis forma latenti, tradendus erat arcus ad perficiendum certamen *lib. XXI.* Sed haec plane criminatio illinc enaſcitur, vnde aliae permultae, quas refutauimus. Graecae ſiquidem linguae ingenium et antiquae conſuetudines non bene intellectae indecora multa et abſurda conuehere videntur, quae talia non ſunt. Fateor, graecam locutionem, qua vtitur Telemachus, verbotenus redditam, moleſtam eſſe legentibus, quae tamen graece peritis optima eſt, nihilque praefert, quod laedat. Itaque eorum verborum ſenſus eſt, ſatius eſſe, ne animo perturbetur, vt ad ſuperiorem aedem ſuam illa abiens opera ſua curet, dum ipſe curabat ſua. Quodſi aliquem offendunt tela et colus, ad quas matrem amandat, meminerit velim, non ſolum humiles ac plebeias, ſed nobiliſſimas quasque feminas, et vel ipſas reginas heroicis temporibus conſueuiſſe in iis operibus adſiduas eſſe, ad quae femina quaelibet a natura videtur facta. Nullo igitur acri dicterio matrem aut vellicat, aut deſpicatur Telemachus, dum ad ea opera, quae ſe condecent, ne ipſa audiret,

 aut

aut videret, quae non oportebat, iubet abſcedere. Nonne Salomonem auditis, hominum quotquot vmquam fuerunt longe ſapientiſſimum, praeclarae illi ac virili feminae, quam deſcribendam ſuſcepit, laudi tribuiſſe, quod *lanam et linum quaeſiuerit, et digiti eius adpenderint fuſum. Proverb. XXXI.* Edixi iterum ac ſaepius, non oportere nos metiri ex moribus noſtris, luxu peſſimo fere corruptis, mores veterum eo meliores, quo ſimpliciores. Ceterum Hector quoque vxorem ſuam Andromacham, quam diligebat et obſeruabat maxime, ad telam et colum ſimiliter dimittit *Iliad. lib. VI.* Ex quo clare liquet, ſermonem hunc, vtpote ſibi proprium et conuenientem, feminas nulla moleſtia aut odio tunc audiuiſſe. Penelope quidem tantum abeſt, vt dictum filii indignata acciperet, vt potius admirata ſit, animoque repoſuerit. Accedit, quod, cum matri morigerum atque obſequioſum ſe vbique praebuerit, neutiquam putandus eſt ea verba in illam contumelioſe effudiſſe. Neque hic omittendum eſt, quod ſapienter animaduertit Daceria, nimirum numquam compellari Penelopem a Telemacho nomine reginae ſed matris. Μῆτερ ἐμή. Patris ſiquidem ac matris nomina adeo veneranda effecit natura, vt cum nullo alio bene permutari poſſe videantur a filiis. Itaque non laudabiliter has compellationes quaſi humiliores praeclaro genere orti apud quaspiam gentes relinquunt popello, ipſi vero ambitioſa, putida, noxiaque vanitate decepti aliis titulis, qui naturam exuunt, adpellant parentes. Dum enim ſancta illa naturae nomina reiiciuntur, amor etiam, quem illa adflant, ſimul reiicitur, aut certe non parum refrigeſcit; adeo vt familiae quamdam magis ſocietatem extraneorum componant, quam conſanguineorum.

Tertium crimen de probroſa nece, quam ſuis ipſe manibus impudicis domus ſuae puellis Telemachus intulit, peculiari diſputatione ſuo loco diluetur. Quod vero vltimo loco pollicitus ſum exſoluam. Odyſſeae chronologiam ideo vobis exponendam cenſui, auditores, quod anonymus quidam cenſor parua diſſertatione, quam de illa edidit, inſigniter hallucinatus eſt, dum contendit duo

apud

apud vatem diaria ſibi inuicem aduerſari, quorum vnum Telemachum facit ex Ithaca ſoluentem, et ad Ithacenſem agrum a Lacaedemone redeuntem nouem diebus, alterum Vlyſſem quinque et triginta diebus ex Ogygia abſcedentem, et ad eumdem agrum aduenientem. Cum vero ex Ogygia abſceſſerit Vlyſſes poſt aliquot dies, quam Telemachus abſceſſit ex Ithaca, et ille ante duos dies, quam hic, ad agrum Ithacae reuenerit; nonne erit abſurdum, ſolis nouem diebus Telemachi iter definire, quinque vero et triginta iter Vlyſſis? At cenſor, dum ceteris acutiorem ſe voluit venditare, caecutientem, aut omnino caecum imprudens ſe prodidit. Putauit enim, manſiſſe Telemachum apud Menelaum duos dies, qui tamen manſit dies triginta. Itaque in Telemachi diario primum computandi ſunt dies duo, quorum vno Palladem domi excepit, ſub Mentae imagine ſibi comparentem, altero ad iter ſe adcinxit, tum alii tres, quos inſumſit, ex quo diſceſſit ab Ithaca vsque dum peruenerit ad Menelaum, deinde ſolidus menſis, quo apud eum manſit, poſt alii quinque dies, quorum duobus rediit ad agrum Ithacae, aliis vero tribus vna cum patre vltus eſt procos, et rus ad Laërtem ſe contulit, molientibus aduerſus eos irruptionem conſanguineis procorum. Vlyſſis autem diarium ita ſe habet. Tertio die, poſtquam Telemachus ex Ithaca diſceſſerat et Lacaedemonem venerat, Mercurius ad Calypſonem ablegatur, quae facultatem abeundi permittit Vlyſſi; a quarto die vsque ad ſeptimum conſtruitur ratis, qua diſcedat. Ab octauo vsque ad viceſimum ſeptimum Vlyſſes nauigat, facitque naufragium. Viceſimo octauo obvius fit Nauſicaae. Viceſimo nono caſus et diſcrimina, quae ſubierat, narrat Phaeacibus. Denique triceſimo ad agrum Ithacae deuenit; quo ipſo die a Pallade admonetur Telemachus, vt ad Ithacam reditum maturet; qui ſtatim diſcedens duobus diebus poſtquam venerat pater, qui eo biduo apud Eumaeum eſt diuerſatus, venit et ipſe in agrum Ithacae. Deinde aliis tribus diebus cetera vna cum Telemacho peregit Vlyſſes, quae ſupra attigimus. Quare Telemachi diarium habet quadraginta dies, dia-

rium vero Vlyſſis quinque et triginta, quia eius actio in hoc poëmate incipit quinto die poſtquam coeperat actio Telemachi. Cur vero, inquiet cenſor, ex triginta diebus, quibus commoratus eſſe dicitur apud Menelaum Telemachus, tres duntaxat recenſet vates, primum videlicet, alterum, et vltimum, alios intermedios non item? quia ſolerti lectori eos relinquit putandos. Et ſane humanitas Menelai, magnificentia eius aedium, quae ipſius Iouis Olympii eſſe videbantur, Helenae percelebrae potionis dulcedo, quam ipſamet iuueni commiſcuerat, et alia huiusmodi facile illum ſolidum menſem detinere potuerunt, etiamſi citius redire meditaretur. Praeterea Pallas, iacentem in lecto ſummo mane excitans ad reditum, temere illum argueret quaſi reditus oblitum, ſi duos tantum dies Lacaedemone moratus eſſet. Conuenienter autem apteque id facit ſolido elapſo menſe. Ceterum, vt Menelai colloquio erudiretur, generoſos conciperet ſpiritus, famam colligeret, dum proceres tam nobilis nitidaeque aulae pernoſcebat, ipſemet viciſſim ab eis pernoſcebatur, vno verbo, vt longe melior, quam abierat, ad patriam reuerteretur, neceſſe plane fuit, vt toto illo tempore, non tantum biduo Lacaedemone conſideret. Si quis igitur ratiocinando valeat rem vnam ab alia deducere, ex his omnibus, quae breuiter attigi, triginta dies apud Menelaum exegiſſe Telemachum colliget, quamquam Homerus id aperte non dixerit. Haec omnia tabulis diligentiſſime exaratis latius explicat Boiuinius iunior *Vol. 2. part. 2. Monum. Inſcript. Diſſ. vlt.* quem, ſi lubet, conſulite, vt inſcitiam atque oſcitantiam anonymi cenſoris clarius perſpiciatis ac damnetis.

DISSER-

DISSERTATIO XLVIII.

DE EQVO TROIANO DE HELENA ALIENARVM VOCVM IMITATRICE ET DE NEPENTHE.

SYNOPSIS.

Heleni iuſſu ab Epeo equus Palladi ſacer aedificatus. Dyctis Cretenſis hiſtoriam de illo equo ad purum redegit. Durateus dictus ἀπὸ τῶν δȣράτων. Pauſanias tradit, fuiſſe aeneum. Quid eſſet porcus Troianus. Helena ad viſendum equum deducitur. Voces ſingularum vxorum ducum intus latitantium imitatur. Vlyſſes retinet duces, ne egrediantur, et os Anticli reſpondere volentis comprimit. Donum voces alienas imitandi a Venere Helenae collatum, quae ob id adpellata eſt Echo. De quodam, qui felina voce ludicros verſus canebat. De Millo, publico Florentiae tubicine, vniuerſa imitatione callidiſſimo. De Ioanne Schicchio, perſonam demortui hominis agente, perinde quaſi ille adhuc in viuis ageret. Perperam vocauit Spondanus ridiculam vocum ſimulationem, quam Homerus adfinxit Helenae. Quomodo Helena voluerit illo dolores Graecorum in diſcrimen adducere. Galenus ait, Nepenthes fuiſſe bugloſſum. Alii Helenium. Quid ſignificet Nepenthes, Alii Nepenthes ipſum vinum fuiſſe contendunt. Alii eloquentiam, alii hiſtoriam, alii muſicen, alii alia. Helenae crater in adagium abiit. Opium, aut quid aliud narcoticum pharmacum illud fuiſſe videtur. Hyperbolice eius virtutem deſcripſit Homerus. Vox φάρμακον duplicem habet ſignificationem.

Telemachum, filium Vlyſſis, profectum eſſe Pylum ad Neſtorem, ſi quid forte de patre abſente ſibi referret, deinde Spartam ad Menelaum, conſilio Mentae, ſub quo latebat Minerua, vtrumque iter ſuggerentis, praecedenti ſermone ſatis explicuimus. Cum igitur bene multa narraſſet ei Menelaus, de equo etiam Troiano mentionem fecit, deque Helena vocem ſingularum vxorum eorum ducum, qui equo incluſi erant, foris exprimente; exinde vero potum quemdam memorat vates, cui nomen Nepenthes, quo Helena dolentem flentemque Telemachum ſolata eſt. Itaque cum tria haec illuſtrando iucundam

vberemque ſperem me vobis hodie praebiturum fore eruditionis ſegetem, optimi adoleſcentes, peto vt me dicentem attente benigneque audiatis.

Complures igitur Vlyſſis laudes et praeclara facinora in Troiano bello praeſtita Telemacho iuueni Menelaus recenſuit, inter quae illud valde euehebat, quod Vlyſſes fecit in equo, in quo optimi quique Graecorum incluſi erant. Quale vero id ſit, mox dicemus: prius enim de equo breuiter diſſerendum.

Quid eo apud veteres celebrius? Fama eſt, vatis Heleni ſuaſu ſub decennalis belli finem aedificatum eſſe ab Epeo, ſimulantibus Graecis ſe illum Mineruae ſacrum in campo Troiae reliquiſſe, vt in eius templo, quod in vrbe erat, collocaretur. Cumque eſſet equus intra moenia admiſſus, nocte intempeſta ex eius vtero erupiſſe Graecos, et Troianis nec opinantibus, vino et ſomno obrutis, caedem intuliſſe. Fabuloſam narrationem hiſtorice explicans, et redigens ad purum Dictys Cretenſis *lib. V.* ſiue alius neſcio quis ſub eo nomine latitans, Graecos ait, diſceſſum ſimulantes, ad Sigaeum receſſiſſe, ibi noctem opperientes; qua adueniente, datoque ſigno ab Sinone clam poſito, ad Troiam multo ſilentio nauigaſſe, barbariſque pacis ſpecie deceptis, ferro et igne Troiam euertiſſe; antea tamen in vrbe admiſſo equo Mineruae dicato, non quidem militibus pleno, ſed inani vacuoque. Quae ſi vera habeantur, videntur et Homerus et Virgilius, legentium oblectamento inſeruientes, hiſtoriae ſimplicitati leporem fabulae ſuperieciſſe, dum ille in equi vtero Graecorum proceres delituiſſe, hic vero Sinonem tam callidis machinationibus Troianis fucum feciſſe confingit. Vtcumque res habeat, equus ille *Durateus* eſt adpellatus, vt conſtat ex Lucretio *lib. I.*

Nec clam Durateus Troiai Pergama partu
Infla nmaſſet equus nocturno Graiugenarum.

Dictus eſt etiam *Durius* et *Duraeus* ἀπὸ τῶν δουράτων, hoc eſt, lignis, ſeu trabibus, quibus erat compoſitus, vt cecinit Maro:

— *ſecta.*

— — *ſectaque intexunt abiete coſtas.*

Pauſanias tamen *lib. I.* in Athenienſium arce equum non ligneum, ſed aeneum, poſitum dicit, illumque machinam fuiſſe bellicam ab Epeo factam ad Troiae muros deiiciendos. Sed ſi hic equus machina bellica fuit, mirum eſt, nullam huiusmodi machinarum vspiam ab Homero nominari. Vel igitur machina bellica equus non fuit, vel, ſi fuit, tunc primum ab Epeo excogitata eſt. Neque ſilentio praetereundum, abiiſſe in prouerbium Durateum equum de clandeſtinis inſidiis. Huius equi ſimilitudine nominatum accepimus porcum Troianum, quod plenus eſſet aliis animalibus intus incluſis, vt equus ille armatis, quem porcum Cincius in ſuaſione legis Fanniae queritur inferri menſis, teſte Macrobio *Saturnal. lib. III. cap. 13.*

Iam vero dicendum, quid in illo equo incluſus tanta laude dignum, quantam praedicabat Menelaus, egerit Vlyſſes. Cum prope Troiae muros ſtaret equus, a Numine neſcio quo Helena ad eum viſendum deducta eſt, ſequente Deiphobo. Cum autem Troianorum non pauci Graecorum inſidias in eo abditas ſuſpicarentur ac perſentiſcerent, maxime vero Laocoon, quem clamantem inducit Virgilius:

— — — *equo ne credite Teucri,*
Quidquid id eſt, timeo Danaos et dona ferentes;

parum abfuit, quin inſidias illas Helenae vafrities detegeret. Poſtquam enim equum circumſteriſſet, manuque ter attrectaſſet, vocem adſimilans ſingularum vxorum fortiſſimorum ducum, intus latitantium, nominatim vnumquemque compellabat. Profecto eam exaudientes Diomedes et Menelaus vna cum Vlyſſe in medio conſiſtentes valde excitabantur, vt egrederentur potius, quam intus remanerent, niſi Vlyſſes ſic animatos retinuiſſet. Dum igitur Vlyſſis opera tum ipſi, tum ceteri quieſcerent, Anticlus ſolus Helenae reſpondere flagrantiſſime cupiebat, ſed idem Vlyſſes robuſtis manibus os eius compreſſit, et tamdiu

diu compreſſum retinuit, donec inde Pallas Helenam abduxit. Nonne ergo iure optimo mentem et conſilium Vlyſſis Menelaus laudaret, numquamque vidiſſe alium oculis ſuis adſereret, qualis prudentia et ſagacitate Vlyſſes fuerat?

Sed grandis de Helena difficultas hic enodanda occurrit, quomodo ſcilicet voces ſingularum vxorum Graecorum ducum Helena exprimere tum ſciuerit, tum voluerit. Profecto quod ſciuerit, nemini erit incredibile reputanti id, quod vulgo acceptum de ea ferebatur, nimirum Venerem, vbi Helenam locauit Menelao, hoc illi munus contuliſſe eo fine, vt, ſi forte aliam feminam vir deperiret, poſſet vocem eius feminae effingendo reum criminis, quin tergiuerſaretur, euincere, et in flagranti, vt aiunt, culpa deprehendere atque ob eam rem factum eſſe, vt Helena adpellaretur Echo. Ceterum non deſunt multorum exempla, quibus haec adfuit facultas, vt verſatiles eſſent ad vocem cuiuscumque imitandam non modo hominis, ſed etiam pecudis. Equidem noui quemdam in viuis, vt puto, adhuc agentem, qui tam perfecte aliorum voces exprimere valebat, vt audientes facile falleret; alium item, qui felina voce ludicros verſus interdum caneret, maxima eorum, qui aderant, voluptate ac ſtupore adfirmantium, felem, ſi forte canere et loqui poſſet, non alio ſane modo id fore facturum. Quid de tubicine illo noſtrae vrbis, cui nomen Millus? Is ſeculo mox transacto viuens, novus veluti Proteus erat imitatione ita callidus et verſipellis, vt non modo aliorum voces optime ementiretur, ſed oris conformationem totiusque corporis habitum, geſtum, inceſſum exprimeret, ac paene membrorum ſtatum et gradum alium indueret. Inter alia, quae de eo narrantur, ludicra accepi olim ab ingenuo ſene ac veridico, Magnum Ducem Ferdinandum ſecundum eo vſum eſſe, vt Regiae coniugi feſtiuo ioco illuderet. Cum enim quodam die a prandio ſurgens Magnus Dux dictitaſſet, ſe velle prima aduentantis noctis parte laetam puellarum et iuuenum choream in ſecreto aedium cubiculo celebrare, et illa iocoſe dictum crederet, Millum occulte in illud coniecit, poſt-

poſtquam, quid agere deberet, mandaſſet. Stato noctis tempore auguſtam arceſſit vxorem, Millo intus pulſante citharam, ſonitum inuicem ſaltantium pedum ciente, vocesque ſingente puellarum ac iuuenum laſciuientium, tanta arte ac dexteritate verique ſimilitudine, vt nobiliſſima femina plebeiam exiſtimans illic vere agi choream, indecorum maieſtati loci factum indignaretur. At Magnus Dux recluſo oſtio, oſtenſoque illo homuncione, qui vnus omnia praeſtabat, iram vxoris vertit in riſum, quae tamen rem magnopere admirata vix fidem oculis habuit ſuis. Succurrit aliud exemplum calliditatis huiuſce, quod memorat Dantes in Ioanne Schicchio *30 Cantu Inf.* cui mira fuit cuiuscumque vocis et loquelae ſimilitudine ad fallendum fides: ipſe namque Simonem de Donatis heſterno die demortuum, et ab eius conſanguineo clanculum domi celatum, tamquam in lecto adhuc decumbentem, graui morbo correptum, mortique proximum ſic vere expreſſit, vt fucum omnibus fecerit, teſtamentumque pro eo condiderit, quo ampliſſimam conſanguineus ille hereditatem nactus eſt, quae ſibi, techna illa non intercedente, nullatenus obueniebat. Quibus exemplis adducti nequaquam abſurdum putabitis, auditores, ſciuiſſe Helenam, amoto etiam Veneris munere, quo erat inſtructa, complurium ſingillatim feminarum voces probe fingere, adeo vt viri, qui in equo latebant, improuiſa atque inopina auditione illa perculſi deciperentur, vxores ſuas foris adeſſe rati. Si haec aliaque ſimilia diligenter animaduertiſſet Spondanus, non vocaſſet ridiculam variam illam vocum ſimulationem, quae Helenae ab Homero adfingitur, neque dixiſſet alia ratione admitti non poſſe, niſi quod licuerit hoc poëtae, vt et infinita alia. Non is eſt Homerus, o bone Spondane, qui abſurda licenter obtrudat: nil enim, vt inquit Horatius, molitur inepte. Sed eſto ſciuerit: quomodo autem credatur voluiſſe Helena hunc dolum maxime exitialem Graecis ſuis ſtruere, ad quos ſuumque Menelaum redire cupiebat, victoriamque ab illis ſtare? Hanc difficultatem de medio tollit vates, cum ait, diuina vi illuc deductam, vt res

Graecorum in diſcrimen venirent, a quo tamen Vlyſſis prudentia deinde ſeruarentur.

Iam vero dolenti Telemacho de patre ſiue amiſſo, ſiue abſente annos viginti, non mirum eſt, ſi mentio, quam de eo facere Menelaus inſtituit, lacrymas ſtatim excuſſit. Vt igitur conquieſceret luctus animusque adoleſcentis firmaretur ad reliqua ſiccis oculis tranquilloque adfectu exaudienda, poculum prudens Helena propinavit, in quod pharmacum iniecit, *Nepenthes* a poëta nuncupatum, moeroris malorumque obliuionem inducens. Si quis enim illud in cratere commixtum deglutierit, lacrymas eo die numquam fundet, non ſi mater et pater ſibi interierint, eorumque fratrem aut filium coram interfectos viderit. Haec de Nepenthe narrat Homerus, nosque hac tertia, quae ſupereſt, diſputationis parte explicabimus. Quoniam vero de hoc Nepenthe Diodorus Siculus, Plinius, Theophraſtus, Galenus, Plutarchus, Athenaeus, Theophylactus, Clemens Alexandrinus, aliique adfatim diſſeruerunt, quae putem ad vos erudiendos, optimi iuuenes, maxime conducere, ex eis delibabo. Herbam quamdam medicam fuiſſe Nepenthes, plures veterum ſunt arbitrati: Galenus vero bugloſſum; haec ſiquidem fertur vino iniecta hilaritatem inducere, animique voluptatem augere, quare alio etiam nomine, vt refert Plinius, dicta eſt euphroſynum, eo quod per eam ſanguis clarior fiat, atque expurgatior, confoueatur cor, et hepar, atque hinc cooriatur laetitia. Hac opinione permotos nonnullos non ſolum ad exemplum Homericae Helenae bugloſſo vinum permiſcere conſueſſe, ſed et verbenacarum, et adiantorum adſpergine pauimenta irrorare, teſtis eſt Plutarchus, quaſi haec virtute quadam praedita eſſent conciliandi laetitiam conuiuis atque hilaritatem. Alii herbam quamdam Helenium, ab Helena ſic dictam, malunt, deſignari. Pharmacum vero illud, ſiue νηπενθὲς, ſiue ἀπενθὲς, ſiue ἀπένθετον eſt adpellatum, quia rem ſignificat, vt explicat Euſtathius, non ſolum luctus expertem, ſed etiam a luctu liberantem. Πένθος enim valet *luctus.* Athenaeus autem πανακὲς φάρμακον dixit, omni ſcilicet

morbo

morbo ſalutare. Sunt etiam, qui contendant, nomine huius pharmaci vinum ipſum eſſe intelligendum, quod cor hominis exhilaret, luctumque ſedet: hoc enim ſenſu οἶνον εὔφρονα dixit Homerus et Bacchum χάρμα βροτοῖσιν, et Alcaeus οἶνον λαθικήδεα, et Horatius vinum generoſum *amara curarum eluere efficax.* Neque hic gradum ſiſtit interpretum luxuries in tam varias abeuntium ſententias; ſed plures inſuper allegorias comminiſcuntur, multosque ſuaues ludos ludunt loci huius explanationem hariolantes. Plutarchus enim, et ex eo Macrobius, eloquentiam, ſiue orationem iucundam in Helenae cratere, qui prouerbio locum fecit, vt notant Rhodiginus et Iunius in adagiis, recognoſcunt. Alterius verba, qui tamquam Echo vocem prioris reddidit, quoniam dilucida ſunt atque elegantia, et Plutarchi ſententiam paulo latius exponunt, placet adferre. „Si Homeri prudentiam, inquit, inſcrute-„ris altius, delenimentum illud, quod Helena vino mi-„ſcuit, non herba fuit, non ex India ſuccus, ſed narran-„di opportunitas, quae hoſpitem, moeroris oblitum, flexit „ad gaudium. Vlyſſis enim praeclara facinora filio prae-„ſente narrabat. Ergo paternam gloriam et ſingula for-„tia facta dicendo animum filii fecit alacriorem, et ita „dicta eſt contra moerorem vino remedium miſcuiſſe." Alii vero ad hiſtoriam, alii ad philoſophiam, alii ad muſicen, alii ad virtutem, alii denique ad pulcritudinem pharmaci ab Helena vſurpati ſignificationem detorquent. Si meam in tam magna diuerſarum opinionum caterua ſententiam requiritis, auditores, profecto merum purumque vinum, quod putauit Daceria, Helenam propinaſſe nullatenus credam: nam pharmacum illud, qualecumque fuerit, ab ea in vinum eſſe infuſum, nimis luculenter ait vates. Quamobrem Plinius *lib. XXV.* „Homerus, in-„quit, primus doctrinarum et antiquitatis parens, gloriam „herbarum Aegypto tribuit, herbasque Aegyptias a regis „vxore traditas fuiſſe Helenae plurimas narrat, ac nobile „illud nepenthes obliuionem triſtitiae inferens, et ab He-„lena vtique omnibus mortalibus propinandum." Pace item Plutarchi ac Macrobii dixerim, incongruenter et frigide

gide de eloquentia et narrandi iucunditate allegoricus ſenſus ille videtur confingi. Nam licet diſerta et iucunda narratio animum mirum in modum deliniat, et moerorem diſcutiat, nihilominus contrarium in Telemacho gignebat effectum: nam patris mentio, eiusque laudum narratio, quem dolebat ſibi non reſtitui, id ipſum erat, quod ad lacrymandum impellebat, grauique adficiebat triſtitia, ad quam depellendam pharmacum, vino adiunctum, adhibet Helena. Talis igitur narratio doloris remedium Telemacho eſſe non potuit. Accedit, quod non Helena officio narrandi functa eſt, ſed Menelaus: quare abſurde dixiſſet Homerus, illam admiſcuiſſe vino pharmacum, ſi pro pharmaco narrationem intellexiſſet. De muſica ſimiliter, hiſtoria, aliisque interpretum figmentis idem ſentiendum: ea ſcilicet omnia inepta eſſe, coacteque elicita, ad Homeri ſententiam ſincere exponendam, quae aliquod verum, non allegoricum pharmacum fuiſſe nepenthes manifeſte ſuadet. Sed neque Galeni bugloſſum facile admittimus: non enim tantam ipſi ineſſe virtutem credimus, vt repente moerorem conſopiat, animumque exhilaret. Quid igitur putem ad aegrimoniam ſtatim ex animo pellendam vino ab Helena infuſum adeo valuiſſe? Aut opium, auditores, aut quid inſtar opii, aut mandragorae ſoporiferum et, vt vocant, narcoticum medicamentum, ita tamen temperatum, vt non ſomnum confeſtim cieret, ſed nigrum illum humorem in ſanguine tumultuantem, curisque animum conficientem, quem μελαγχολίαν dicunt, compeſceret ac deliniret, poſt vero aliquod temporis interuallum altum etiam ſaporem arceſſeret, qui moerorem et dolorem aboleret, et calamitatis paternae obliuionem faceret. Turcas ſane, Perſas aliisque orientis adcolas opio tamquam praeſentiſſimo remedio iacenti adflictoque animo mederi notius eſt, quam vt narrari a me indigeat. Epoto igitur poculo, antequam cogeret Telemachum caput deponere et obdormiſcere, licuit Menelao medio illo tempore ea, quae de patre Vlyſſe norat, exhilarato iuueni recenſere: virtus enim pharmaci efficiebat, vt ſine lacrymis luctuque narrationem illam audiret.

diret. Equidem arbitrarer, ita hunc locum de nepenthe multo probabilius ac verius exponi poſſe, niſi tamen quis veſtrum repugnet, erudiſſimi auditores, aliamque potius iudicet amplectendam eſſe interpretationem. Poſtremo dicere non omittam, hyperbolice locutum eſſe poëtam, dum de mira atque incredibili huius pharmaci virtute atque efficacia diſſerens ad conſopiendum moerorem adiecit, quod ille, qui potauerit, neque patris, neque matris, nec cariſſimi cuiusque conſanguinei mortem eo die ſit defleturus, etiamſi oculis ſuis internecioni crudeliter traditos viderit. Sicut enim amor, ita et dolor, vt bene animaduertit Duportus, nullis eſt medicabilis herbis, eo videlicet effectu, addiderim ego, vt prorſus ex animo tollatur: nam mitigari ac leuari poſſe ex iis, quae hactenus diſputauimus, clare liquet. Vt igitur Homerus maximam ac validiſſimam fuiſſe virtutem illius pharmaci ad leniendum moerorem doceret, ea ſermonis exſuperantia non ſine poëtico lepore vſus eſt.

Anſam mihi praebet hic locus, vt duplicem, quam habet vox *pharmacum* ſignificationem vobis exponam, adoleſcentes, atque inde meam cuiusdam Aeſopicae fabellae interpretationem caſtigem. Valet igitur ea vox *remedium* et *venenum*. Cum illam pro *remedio* vſurpat Homerus, epithetum ſolet addere ἤπιον *mite*, aut ὀδυνήφατον *dolorem leniens*, aut μητιόεν *multo conſilio inuentum*, ſiue *paratum*. Vbi vero accipit pro veneno, vocat ἀνδροφόνον *mortem adferens*, θυμοφθόρον *vitam corrumpens*, λυγρὸν, οὐλόμενον *triſte*, *pernicioſum*. Vtrumque autem ſenſum vocis illius clarius oſtendit, dum Helenam narrat medicinae ſcientiam a Polydama, Thonis vxore, in Aegypto recepiſſe: illic enim a tellure produci tradit

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.
Pharmaca multa quidem bona et exitialia multa.

Age vero fabulam, cui titulus *Mercurius*, latine verſam recitemus eo ſenſu, quo vertimus olim Etruſce verſiculis Anacreonticis. Iupiter Mercurio praecepit, vt artificibus omnibus mendacii medicamentum infunderet.

Hic

Hic eo trito, et ad menſuram facto, aequaliter ſingulis diſtribuit. Cum autem relicto ſutore multum ſupereſſet medicamenti, totum ei acceptum mortarium inſudit. Atque hinc contigit, vt artifices omnes mentiantur, maxime vero omnium ſutores. Nos igitur vocem φάρμακον interpretati ſumus bonum ac ſalubre medicamentum, quod putaremus a Mercurio praeberi artificibus, tamquam mendaciorum antidotum, ne ſcilicet obeſſent ſibi mendacia, quae ſaepius ad decipiendos emtores effundunt; quia vero ſutores hoc antidoto abundarent, idcirco plus caeteris mentirentur. Quam interpretationem arriſiſſe deinde comperimus aliis quoque Aeſopi interpretibus. Nihilominus rem attentius reputantes ex acuta animaduerſione, quam nobiscum amice communicauit eruditiſſimus vir Ioannes Lamius, frigidam illam interpretationem ducimus ac minus verum. Contra vero ſi *φάρμακον venenum* interpretemur, rectius ſibi conſtare fabulae ſententiam liquebit, rectiusque procedere narrationem. Ideo namque mentiuntur artifices, quia huiusmodi veneno a Mercurio, mendaciorum Deo, Iouis iuſſu, quod plane corruptiſſimae ethnicorum theologiae non repugnat, imbuti ſunt, cuius vi ad mentiendum compellantur. Quamobrem priorem illam interpretationem huic alteri, vtpote meliori ac veriori, poſthabendam cenſemus, et publico hoc teſtimonio vltro fatemur. Furioſum eſt enim, vbi opinionem tuam minus veram prae alia cognoueris, retinere eam velle, ac pugnaciſſime defendere. Equidem ſcio, etiam apud Latinos vocem *medicamentum* in bonam et malam partem accipi poſſe, teſte Nonio *cap. 4. n. 297.* Quare illud *Sap. I, 14. Et non eſt in illis medicamentum exterminii*, non remedium, ſed venenum mortis ſignificat, *φάρμακον ὀλέθρου.* Sed hoc nihil vernaculae meae interpretationi ſuffragatur, qua vocem φάρμακον et bonum medicamentum reddidi, et eo ſenſu reddendam eſſe deceptus putaui.

DISSER-

DISSERTATIO XLIX.

DE VLYSSIS AB INSVLA CALYPSVS DISCESSV, NAVFRAGIO ET AD PHAEACAS ADPVLSV.

SYNOPSIS.

In Vlyſſe exemplum hominis patriam vehementiſſime diligentis. Calypſo dicta ἀπὸ τοῦ καλύπτειν. Inſula Calypſus ab Ogyge, Thebanorum rege, adpellata eſt Ogygia. Mercurii virga. Calypſo meretrix. In Maſſiliae litore meretrices in ſpecubus habitant. Calypſus aedium deſcriptio, Latinis carminibus a Raphaële Volaterrano verſa. Quid in ea verſione Volaterranus peccauerit. Quatuor dierum ſpatio nauiculam, qua ab inſula diſcederet, exſtruxit Vlyſſes. Id nec abſurdum, nec indecorum, nec incredibile. Petrus Magnus, Ruthenorum Imperator, artem fabrefaciendi ligna nauesque in Batauia addiſcere voluit. Phereclus, quod inſignis erat faber lignarius, praeclariſſimis viris accenſetur ab Homero. Vlyſſes potuit ſe ſolo nauim in longa illa nauigatione gubernare et a ſomno abſtinere. Mirabile exemplum mononautae ab Euſtathio narratum. Leucotheae vitta Vlyſſi tradita. Vlyſſis induſtria, in Phaeacidis littus eiecti, ne noctis frigore interiret. Nauſicaa ad flumen venit, veſtes lotura, a qua ſeruatus Vlyſſes. Phaeacibus omnia, quae ſibi contigerant, narrat.

Quamquam totis ſeptem annis Calypſo nympha omnibus artibus ac lenociniis curauit Vlyſſem in antro ſuo apud ſe detinere; numquam tamen ab eo valuit extorquere, vt patriae obliuiſceretur, adeo vt Vlyſſes exemplum praeclariſſimum ſit hominis, patriam ardentiſſime diligentis, illamque bonis omnibus praeferentis. Tanti enim reditum ad patriam ſuam faciebat, tam vehementer optabat, vt mallet eam reuiſere, quam immortalitate donari. Quodſi abnuerent Dii, fumum ſaltem e ſuis proſilientem aedibus auebat videre; nec pigebat, dum fieret voti compos, amittendae vitae ſubire periculum. Quam tanti viri erga patriam caritatem valde admiratur Cicero, commendat, extollit.

Quod

Quod autem nympham illam poëta vocauerit Calypſonem, myſterio non vacat. Videtur enim nomen hoc illi indidiſſe a verbo καλύπτειν, hoc eſt, *abſcondere*. Vlyſſes ſiquidem diu apud eum abſconſus latuit. Inſulam, in qua degebat Dea, Ogygiam dictam aiunt ab Ogyge, Thebanorum rege. Nec mirum, ſi alio eam tranſtulit Homerus, fecitque inſulam Atlanticam. Iure enim poëtico vſus, quod etiam alibi ſaepe illum feciſſe animaduertimus, ea voluit licentia mirabiliorem facere narrationem. Ceterum ea inſula Gaulus eſt, quae, ne cum Caude, ſiue Gaude, de qua in actis apoſtolorum ſermo eſt, confundatur, cauendum: haec enim eſt prope Cretam, illa prope Melitam. Poſtquam igitur in concilio Deorum, Vlyſſis cauſſam agente Minerua, placuit Ioui, vt ipſa ad excitandum Telemachum iret, rurſus poſt quinque dies de Vlyſſis reditu conſultantibus Diis, ſtatuit idem Iupiter ablegandum eſſe Mercurium ad nympham Calypſonem, vt eius verbis nunciaret Deae, oportere tandem detento Vlyſſi permitti abeundi facultatem *lib. V*. Vbi vero ad iter ſe parantem Mercurium vates deſcribit, refert inter alia, quod virgam acceperit, εἵλετο δὲ ῥάβδον. Homeri verſiculos, quos breuitatis ſtudio praetermitto, paulo latius ad hunc modum explicauit Maro.

Tum virgam capit; hac animas ille euocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit;
Dat ſomnos, adimitque, et lumina morte reſignat.

Nec video, cur adeo laborauerint nonnulli in huius virgae virtute interpretanda. Nonne animarum dux erat Mercurius? nonne in eas imperium exercebat? nonne id aperte innuunt oſtenduntque Homerus et Virgilius? Quid vltra inquirendum? Niſi quis forte velit claram lucem eſſe ſolis probare, tempusque in ſuperuacaneis obſeruationibus incaſſum abſumere.

Iam vero ad ſe nos rapiunt Calypſus aedes, ab Homero elegantiſſime deſcriptae. Sed antequam deſcriptionem adfero, animaduertendum eſt, cur eas in profunda ſpelunca collocet. Crediderim, id feciſſe, quia nympha

vicina

vicina mari loca incoluerit, artemque meretriciam exercuerit, ad eum plane modum, quo mihi doctus vir narrauit, ſe, dum peregre eſſet, quasdam ſpecus in Maſſiliae litore exſtantes vidiſſe, in quibus meretrices degerent, quae ſpecus procul adſpectantibus in mari ſitae eſſe facile videantur. Quidni putemus, tale aliquid fuiſſe Calypſonis ſpecum, quam Deam fecit, et in Ogygia inſula vates locauit, vt poëticum decus augeret? Homericam earum aedium deſcriptionem latinis carminibus interpretari meditabamur. Sed cum forte in Raphaëlis Volaterrani interpretationem inciderimus, a labore abſtinuimus, eamque vobis recitandam duximus, quae ſic habet:

Exſtat Maceſſa in medio breuis inſula ponto.
Huc vbi, tellurem retinens, peruenit ab alto,
Speluncam ingreditur nymphae fera tecta Calypſus.
Hic illa in diris accendens ſedibus ignem
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Diuinosque modos edit modulamine vocis,
Pectine dum telam praeſtantem perficit aureo.
Speluncam virides circumdant vndique ſiluae,
Alnusque et chlethrae, praeſtans et odore cupreſſus,
Hoc et aues tractu vernant, lateque vagantur
Aequoreae, quibus et ponti ſunt humida curae,
Bubones diri, accipitres, et garrula cornix.
Parte alia circum vitis protenditur ingens
Perpetuoque virens, magnisque onerata racemis.
Quattuor et fontes ſurgunt ſalientibus vndis
Inter ſe ſparſim, atque aduerſa fronte propinqui.
Quin apio et viola vernantia prata vireſcunt.
Quem ſi forte locum veniens adſpexerit vllus
Vel Deus, inſtabit mirans, animoque triumphans.

Quamquam vero non inconcinna eſt huiusmodi interpretatio, non tamen Homericum leporem exprimere videtur, propterea quod graeca venuſtas atque elegantia alia lingua ſe referri non ſinit, quemadmodum poma feliciſſimae cuiuspiam regionis longe optima ac pulcherrima ſub alieno coelo ſterileſcunt et flaccent. Praeterea perperam, vt puto, diras ac feras Calypſus aedes dixit Volaterranus,

 cum

cum nullatenus tales Homerus dixerit. Etſi enim dirae eſſent Vlyſſi, quod inuitum, vtpote patriae amore flagrantem, retinerent, id tamen vates hoc loco dicere prudenter cauit: nam depingendas ſuſceperat omni amoenitate florentes, ipſisque Diis, ſi ad eas accederent, ſtuporem et voluptatem adferentes; quamobrem fuiſſet abſonum diritatis ipſis notam inurere. Poſtquam igitur Mercurius ſpeluncam ingreſſus iucundiſſimo aedium illarum ſpectaculo oblectatus eſſet, et a Dea omnibus beneuolentiae ſignificationibus exceptus mandata, quae deferebat, expoſuiſſet, volens illa nolenti animo ſe Iouis voluntati obſecuturam reſpondit. Sed quomodo dimitti queat Vlyſſes et ad patriam ſuam remeare, nulla ſibi ſuppetente rate, quandoquidem quotquot naues habebat, in vltionem comeſtionis boum, ſolis a ſociis perpetratae, de qua ſuo loco agemus, teterrimum naufragium euerterat, contriuerat, abſorbuerat? Quomodo id factum ſit, accipite.

Poſt Mercurii diſceſſum arceſſit illum Calypſo in maris litore ſedentem, multisque lacrymis aerumnas ſuas lamentantem, ſignificatque, ſe non amplius quin diſcederet vetituram, nec ſuis in aedibus inuitum detenturam; abiret, quo vellet, nauem profectioni pararet, caetera ſe praebituram. Deae dictis primum Vlyſſes obſtupuit, ſibique ab ea illudi ratus eſt; ſed deinde habuit pollicenti fidem, eo quod illa promiſſionem ſuam iureiurando ſanxerit, et ad nauiculam aedificandam ſe ſtatim adcinxit, ſpatioque dierum quatuor exſtruxit abſoluitque. Nonne vero, inquiet aliquis, abſurdum, indecorum, incredibile habeatur, quod de Vlyſſe, ratem conſtruente, Homerus narrat? Abſurdum: vnde enim artem illam calleret? Indecorum: nam virum regni ſceptro pollentem ſordidae artis exercitatio dedecuiſſe videtur. Incredibile: quatuor ſiquidem diebus et arbores cecidiſſe, et diſſecuiſſe, et ratem fabrefeciſſe perhibetur. Ne igitur tria haec fucum faciant adoleſcentibus antiquitatis rudibus, breuiter refellam. Πολυμήχανον paſſim Homerus adpellat Vlyſſem quod non ſolum verſipellem ſignificat vafrumque, ſed multa

multa etiam ſcientem, quae labore manuum peragantur. Quid igitur mirum, ſi artem fabrefaciendi ligna calleret, cum praeſertim adeo nauigationi conducat? Memoria repetite, auditores, praeclariſſimum Ruthenorum Imperatorem, Petrum cognomine magnum. Hic cum in Batavia verſaretur (nam mores hominum multorum vidit et vrbes, Vlyſſis exemplo) huiusmodi artem addiſcere, et in ea ſolertiſſime exerceri non minus glorioſum, quam vtile ſibi putauit. Potuit igitur hic ſapientiſſimus princeps, recentiſſimo ſeculo luxu ſuperbiaque diffluente, ſtudium eius artis ſibi turpe non ducere; Vlyſſi vero turpe fuerit atque indecorum, qui triginta ferme abhinc ſeculis vixit, quibus luxus ac ſuperbia morum ſimplicitatem nondum corruperat? Iliados libro quinto inclytis belli gloria viris, ipſisque Heroibus accenſere Phereclum, qui inſignis erat faber lignarius, non dubitauit vates, eique illuſtre nomen tribuere, et quo genere ortus eſſet referre. Nihil ſiquidem ſordidum atque inglorium ſubeſſe vtilibus artibus arbitrabantur veteres, ſolique otio imperitiaeque rerum, vitae conducibilium, turpitudinis notam adſpergebant. Nec fidem ſuperat opus quarto die abſolutum. Hiſtoria, vt animaduertit Daceria, exempla nobis ſuppeditat rerum longe difficiliorum, ad quas breui tempore perficiendas per ſe ſolos omni prorſus auxilio deſtitutos, multos impulit neceſſitas. Quod ſi quis ex recentiorum artificum ignauia inertiaque veterum ſolertiam metiri volet, errabit quam maxime: in hac ſiquidem veteres recentioribus longe mirumque in modum praeſtitiſſe certum eſt. Tam vero ſubtiliter, tantaque vocum proprietate artisque peritia deſcriptionem hanc concinnatam dedit vates, vt nullus in ea arte exercitatiſſimus homo ratem melius potuerit exſtruere, quam exſtruentem inducit Vlyſſem. Cum autem conſtructa nauis egeret velo, lintea, quibus conficeret, dedit Calypſo, ſimulque veſtes, cibum, potumque, nauigationis viatica, benigne praebuit.

Quinto igitur die poſtquam nauim exſtruere coepit, ſoluit a litore, ac ſiniſtrorſum in mare tendens, vt Dea monuerat, totis ſeptemdecim diebus proſpera vſus eſt na-

vigatione: nam ſecundum ferentemque ventum Calypſo immiſerat. Sed ecce gemina difficultas negotium iterum faceſſit lectori, quomodo poſſet Vlyſſes ratem tam diu gubernare ſolus, et a ſomno toto illo tempore abſtinere? id enim de illo adfirmauit poëta. Nequaquam abhorret a ſimilitudine huiusmodi miraculum, auditores, et omnino conſimile ex vera hiſtoria refert Euſtathius. Vir quidam e Pamphylia a piratis captus, et in captiuorum ordinem coactus, Tanim Aegypti abductus fuit, atque ibi complures annos commoratus. Sed aliquando patriae amore vehementer accenſus, vt voti fieret compos, piſcatoriae artis ſe finxit peritum. Itaque herus nauiculam ad piſcandum tradidit. Cumque in ea re vtiliſſime hero deſeruiret, integra illi permiſſa eſt facultas, vt in ſolo piſcatu ſe exerceret. Tum ille comparato velo, aliisque tam longo itineri neceſſariis, tranquillitatem ſecundumque ventum nactus, remum agere et nauiculam regere ſolus incepit, et, immenſum illum pelagi tractum emenſus feliciter, domum ſuam reuerſus eſt. Ob facinus tam inſigne nomen illi permutatum: nam deinceps Mononautes adpellatus eſt, nauta ſcilicet ſolitarius. Quod cognomentum ad perennem rei memoriam mox tranſiit in familiam, quae adhuc Euſtathii aetate ſupererat, et Mononautae vocabatur. Quid amplius poſtulandum ad veriſimilitudinem Homericae narrationis comprobandam? Quantum vero ad ſomni abſtinentiam auctoritas Lycophronis ſuffragatur! Nauticem ſiquidem ἄυπνον τέχνην artem inſomnem nuncupauit: quod tamen ita accipi velim, vt non credamus prorſus inſomnem illos dies Vlyſſem perduraſſe, ſed eorum pleroſque, ceteris vero identidem leuiſſimum ac breuiſſimum delibaſſe ſomnum, adeo vt ſermonis exceſſu vſus ſane vltra fidem, ſed non vltra modum, numquam ſomnum oculis ſuis illum vidiſſe dierum illorum ſpatio, poëta dixerit. Iam vero decimo octauo die nauiganti Phaeacum montes adparuerunt, apud quos fatale illi erat laborum exitum inuenire, atque inde ad patriam ſuam remitti incolumem.

Sed,

Sed, heu! reuertens ex Aethiopia Neptunus e Solymorum montibus Phaeacidi propinquantem adſpexit, et nondum expleto odio, quo eum iam dudum maxime, ob caecitatem filio ſuo Polyphemo illatam, inſectabatur, quandoquidem interficere non licebat, noua ſaltem aerumna diuexatum voluit. Saeuam igitur tempeſtatem immiſit, cum qua diu colluctatus Vlyſſes, confracta rate et defectis viribus, parum aberat, quin fluctibus obrueretur. Sed adfuit opportune Leucothea, marina Dea, quae vittam tradidit, qua praecinctus, poſitis, quae eum degrauabant, veſtibus, aduerſus procellam adhuc valeret. Quae Leucothea fuit olim Cadmi filia, et Athamanti, Thebanorum regi, nupſit, a quo male habita in mare ſe demerſit, et in aequoream nympham eſt commutata. Quam bene igitur confingit Homerus Deam hanc, quae aliquando mortalis fuerit, mortali viro ſuppetias ferre, viro autem, qui Athamanto diſſimillimus bonum vbique coniugem ſe praebuit, ſuamque Penelopem in oculis atque animo tot annos abſens indeſinenter ferebat. Optimum poëtae iudicium in eo etiam ſe prodit, quod ideo Vlyſſi ſuccurrentem Deam inducit, ne incredibile videatur, potuiſſe illum ſupra vires laborantem, amiſſa rate, tantam procellae vim ferre ac ſuperare. Ceterum vittam Leucotheae amuletum quoddam fuiſſe, non obſcure Homerus innuit, quo ſua aetate aduerſus maris iras vterentur homines: homines quippe ſemper id fuerunt, quod ſunt, in ſuperſtitionem videlicet prono animo euntes; ne vero id exiliter nudeque doceret, ad poëticum ornatum ſub Leucotheae fabula inuoluere maluit. Verum Neptuni rabie tandem aliquando exſaturata, ad oſtium fluuii, qui Phaeacidem alluit, eiectus et in eius ripam elapſus, naribus atque ore multam aquam egerens, ſine ſpiritu ac voce ſemianimis iacuit. Vbi vero recepit animum, vittam, quam ſibi tradiderat Leucothea, ſoluit, et, quemadmodum illa praeceperat, remiſit in mare: mox terram exoſculatus in iunco recubuit. Deinde vero, cum nulli adparerent vicini incolae, optimo conſilio in proximam ſylvam, ne frigore intempeſtae noctis, quae iam impendebat,

bat, obrigeſceret, ingredi ſtatuit. Atque ibi ſub duobus arborum prope conſitarum ramis, vno ex olea, altero ex oleaſtro, qui ſimul adhaerentes, quaſi caſulam, praebebant, compoſito aridorum foliorum aceruo, et in eo, tamquam in molli culcitra, reclinatus adgeſtis foliis ſe operuit ac circumſepſit. Qua arte ſaluti ſuae mire proſpexit, non ſecus atque, ait vates aptiſſima ſimilitudine, ſi quis titionem in agro extremo, qui vicinis accolis caret, ſub cinere abſcondat, ſemen ignis ſeruaturus, quo, cum opus fuerit, ad vitae neceſſitates vtatur. Minerua vero, conſilium videlicet ac prudentia, qua nullo non tempore, quauis preſſus anguſtia maxime voluit, Minerva, inquam, quae numquam ſuum deſeruit Vlyſſem, vt demum a laboribus miſer ille conquieſceret, dulcem eius oculis ſoporem offudit. Cumque longum dormiſſet, ſequenti die, dum Nauſicaa, regis Alcinoi filia, quae ad flumen eiusdem Mineruae impulſu veſtes lotura, iuxta morem eius aetatis acceſſerat, pila luderet cum ſociis puellis, ederetque clamorem, eo clamore excitatus eſt Vlyſſes. Diu anceps verſabat animo, quid ſibi eſſet agendum: horrebat namque, nudo corpore ſe puellis in conſpectum dare. Neceſſitate demum compulſus, animoque praefidens, exciſo ramo verendarum partium pudorem, celans, ad regiam puellam ſupplex acceſſit, opem implorauit, retulit: veſtibus ſiquidem ciboque ab ea donatus eſt, et iter ad patrem edoctus, ſiquidem ipſa modeſtiae lege, cum virgo eſſet viro matura, ad vrbem aedesque patrias peregrinum hominem ducere impediebatur. Reginae prius ſe ſiſtens ex Nauſicaae praecepto, facile eius patrocinium, calamitatum ſuarum commemoratione ſibi conciliauit. Nec minori beneuolentia proſecutus eſt eum rex, breuique omnibus aulae vrbisque proceribus carus, quamuis non niſi ſero et poſt plures dies, quis eſſet, reuelauerit, petente rege omnium, quae ſibi acciderant, infortuniorum catenatam ſeriem pulcherrimis narrationibus in frequentiſſimo conuiuii coetu explicauit. Quae omnia nos octo, quae hanc conſequentur, diſſertationibus illuſtranda ſuſcipiemus, difficiles quaeſtiones enodantes

tes et abſtruſos paſſim ſinus aperientes. Sed Homerus mira arte ſtatim in medias res, non ſecus ac notas, auditorem rapit, vt bene Horatius obſeruauit: Vlyſſis namque poëma a Calypſus inſula exorditur; cum vero inde profectus ad Phaeacas deueniſſet, apud eos inducit narrantem, quotquot ſibi ante contigerant.

DISSERTATIO L.

DE CICONIBVS ET LOTOPHAGIS.

SYNOPSIS.

Dulciſſime vanum Homerum dixit Auguſtinus. Homerica omnia mirifice delectant, maxime vero fabuloſae narrationes multo lepidiſſimae. Iure belli Ciconas Vlyſſes adortus eſt, quod foedus cum Troianis iunxerant. Ridicula Zoili cenſura refellitur. Flumen Ciconum res demerſas in lapides vertit. Similis fons in inſula Manilla, itemque aliud flumen in regno Peguano. Fontes Rapolani in agro Senenſi, et aquae vena prope villam Caſtelli Mediceorum principum nuper detecta eadem virtute praedita. Huius portenti ratio phyſica. Manes corporum, quae in externo ſolo relinquebantur inſepulta, ter vocati. Lotophagorum ſedes inſula Meninx prope Africam. Potus ab aduenis comeſta reditus obliuionem inducebat. Fructus eſt cuiusdam arboris ex Athenaeo. Adagium, Lotum guſtauit. *Strabo autem herbam dicit, quae vna cum radice pro cibo potuque Lotophagis deſeruiebat. Interpretatio Loti allegorica ex Eraſmo. Arbor aquae in inſula Manilla, et arundines Vaxuci. Quomodo ex his plantis aqua effluat. In loco Homericorum poëmatum dulcedo exhibetur. Homerus principia ſuae poëſeos accepit ex hiſtoria, ac deinde fabularum commentis exornauit.*

Non inficete adpellabat Homerum Auguſtinus dulciſſime vanum, id quod alibi etiam obſeruauimus. Quo verbo Odyſſeae poëma maxime innuere viſus eſt, quod in eo fabuloſas narrationes tanto inſtruat lepore, tanta con-

diat ſuauitate, vt mirum in modum iucundiſſimo voluptatis ſenſu lectorem adficiat. Quod de venuſtiſſima femina in Plauti Epidico legitur, videlicet vsque ab vnguiculo ad capillum ſummum fuiſſe feſtiuiſſimam, idem plane de Homero veriſſime dicas, nihil in eo eſſe, quod non magnopere alliciat, mirificisque blandimentis capiat, nihil, quod non maxime placeat, nihil, quod non ſuis expletum numeris, cumulateque perfectum exhibeatur. Nihilominus tanta ineſt dulcedo, lepor, ſuauitas, nouitas in fabellis, quas feſtiue comminiſcitur, lepidiſſimeque exponit, vt magis forſitan, quam cetera omnia, lectorem ad ſe pertrahant, demulceant, irretiant. Itaque hanc Homericae pulcritudinis partem, fabuloſam ſcilicet errorum Vlyſſeorum narrationem, interpretandam ſuſcipimus, auditores, ſperamusque, non parum iucundiſſimae voluptatis, ſimulque ſolidae eruditionis adoleſcentibus fore allaturam. Etſi enim dulciſſime vanum Auguſtinus dixerit Homerum, non inde tamen inferre debetis, omnia prorſus in hac narratione ab eo confingi, ſed ſub dulci fabuloſo cortice bonum veritatis nucleum latitare. Cum igitur Vlyſſes, errores ſuos Phaeacibus recenſens, ſe adueniſſe perhibeat ad Ciconas, Lotophagos, Cyclopem Polyphemum, Laeſtrigonas, Aeolum, Circen, Cimmerios, ſiue Inferos, Sirenas, Scyllam, Charybdimque, boues Solis, inſulamque Calypſonis, de qua ſuperiori ſermone diſſeruimus, placet ſingula expendere atque enucleare. Sed, quia longum eſſet vno ſermone omnia complecti, breuiter hodie de ſolis Ciconibus Lotophagisque dicemus, ceteris ad alias diſputationes reſeruatis. Faciam vero, ne putetis, auditores, cramben ab aliis coctam me vobis odioſe recoquere: rerum ſiquidem delectu atque ordine, ac non paucis, quas de meo proferam, animaduerſionibus nouitatem conciliabo catenatis hiſce diſputationibus, quas hodie adgredior.

Vlyſſes igitur, cum deleta Troia ſuis nauibus domum repeteret, primum a ventis delatus eſt ad Ciconas in Thraciam, eorumque vrbem, quae Iſmarus, de quo hic loquitur Homerus, fuiſſe creditur. Facta autem irruptione in Cico-

Ciconas nec opinantes magnam inde praedam abegit, quam ex aequo militibus diſtribuit. Prudenti conſilio ſocios hortabatur Vlyſſes, vt ex templo ſoluerent fugerentque: at illi ſtulte nón paruerunt, ſed in litore multis mactatis ouibus, multoque hauſto mero cutem bene curàrunt. Quamobrem Cicones ſumtis armis, viciniſque ad ferendam opem conuocatis, naues repente circumſiſtere, atque aerearum haſtarum quaſi nimbos coniicere. Quibus, numero licet longe ſuperioribus, Vlyſſes ſociique ad meridiem vsque impigre obſtiterunt. Sed, vbi ad veſperam dies vergebat, irruentes Cicones ſuperauerunt Achaeos: quare ſex e ſingulis nauibus perierunt, reliqui ſibi fuga conſuluerunt. Hic plane primus Vlyſſis poſt Troianum bellum ad patriam remeantis labor. Quae hic narrantur, aperta omnia ac perſpicua, vixque vlla indigere explanatione videntur. Nihilominus occurrunt aliqua breuiter excutienda.

Primum enim expendendum eſt, iurene, an iniuria Vlyſſes inuaſerit Ciconas, ad quos ingruente procella adpulit. Iuſte id eum facere potuiſſe aio: nam in narratione copiarum vtriusque partis ad calcem ſecundi libri Iliados recenſitarum inter alios duces, qui ſuppetias tulerunt Troianis, habetur Euphemus Troezeni filius, qui praeerat bellicoſis Ciconibus. Iure ergo belli licuit Vlyſſi adhuc hoſti hoſtes adgredi, ac depraedari.

Deinde refellam, oportet, antiquam Zoili cenſuram. Non enim dentes, cum edentulus eſſet, acuebat, ſed aut linguam vibrabat virulentam, aut meras, quemadmodum in hoc loco, garriebat nugas. Qui enim, aiebat, fieri potuit, vt de qualibet naui ſex aequaliter homines interirent, neque aliqua earum ſiue plures, ſiue pauciores amitteret? Vah, inquit, diſtributionem ridicule aequalem! Verum, o hominum ſtultiſſime, cenſorumque lues! non Homeri diſtributio, ſed tua cenſura ridicula eſt. Vlyſſes duodecim habuit naues; in pugna amiſit duos et ſeptuaginta ſociorum, adeo vt non quidem aequalis fuerit iactura ſingularum nauium, ſed ſi ſolidum numerum illum ſumas, et in ſingulas naues partiaris, ſex aequaliter in vnaquaque

deſideratos eſſe liquebit. Haec Homeri mens, ſi aut potuiſſes, aut voluiſſes, imprudens atque imperite cenſor, intelligere. Quoniam vero de Ciconibus ſermo eſt, ſilentio non praetereundum puto miraculum, quod penes eos fieri, auctores ſunt Ouidius et Plinius. Prior enim decimo quinto Metamorphoſeon ſcribit, flumen illic exſtitiſſe, cuius vnda potata viſcera duraret, et, quidquid attingeret, in lapidem verteret:

Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.

Alter vero ait: *In Ciconum flumine et in Piceno lacu Velino lignum deiectum lapideo cortice obducitur.* Id fortaſſe rerum phyſicarum parum peritis videatur fabuloſum: ſed non ita res habet. Reuera enim multis in locis aquae ſunt, quibus res demerſae lapideſcunt, vt de Luconia, ſiue Manilla, vna ex inſulis Philippinis in Aſia refert Salmon, fontem videlicet ibi eſſe, qui lapideam naturam rebus immerſis inducit; idemque habet de amne Aua in regno eiusdem nominis, quod etiam Peguanum dicitur, et in Aſia ſimiliter ſitum eſt. Sed quousque teſtimonia adeo longinquarum regionum perſequor? Apud nos huiusmodi miracula ſpectantur. In ditione ſiquidem Senenſi fontes ſunt Rapolani, quos dicunt, vbi res demerſae lapideſcunt. Atque egomet vidi ramum Ruiſci in muſeo doctiſſimi viri, amici mei, lapidem factum in hiſce fontibus. Sed et in pago vrbi noſtrae proximo, ac nobiliſſima villa Magni Etruriae Ducis celeberrimo, cui nomen Caſtellum, aquae vena nuper detecta eſt, quae virtute conſimili in lapidem vertendi res demerſas praedita eſt, quarum nonnullas ſeruat apud ſe villae cuſtos, vir longe optimus, qui eas mihi perhumaniter oſtendit, cum ad eum vnius dieculae ſpatio ruſticaturus diuertiſſem. Quamquam autem meum non ſit, huiuſce prodigii cauſſam expiſcari, raptim tamen indicabo, quomodo id peragi a natura putem. Conſtat, huiusmodi aquas multo ſale, nitro, alumine, vitriolo ac bitumine ſcatere. Itaque crediderim, ea omnia velut fermento quodam humidas

das molleſque particulas, quae rebus demerſis inſunt, paulatim depellere, atque ita lapideam formam, quae deinde adparet, inducere.

Tandem in hoc facto Ciconum narrat Vlyſſes, ſe inde abeuntem magna voce ter vocaſſe quemlibet ſociorum, qui abſumti fuerant. Quod officium erga Deiphobi manes Aeneas quoque exſecutus eſſe dicitur apud Virgilium:

Tunc egomet tumulum Rhoeteo in littore inanem
Conſtitui, et magna manes ter voce vocaui.

Cum eſſet ethnicis facultas tumulandi corpora ſuorum in externo ſolo exſtincta, partes ſuas implere cenſuerunt, ter manes eorum inclamando, perinde quaſi teſtari vellent, ſibi culpam non imputandam, quod non eos reducerent in patriam; ſe enim paratos eſſe, ſi ſubſequantur. Atque hunc quidem ritum praecipiebat religio, ne pietati in ſuos vllatenus defuiſſe viderentur.

Soluentes igitur a Ciconibus Vlyſſis naues procella altera adorta eſt, quae per nouem dies pelago iactatas decimo tandem ad Lotophagorum ſedes adegit. Cum in terram aquatum deſcendiſſent, duos viros, quibus tertius additus eſt praeco, qui idem erat, ac fecialis Romanus, ad explorandum miſit Vlyſſes, quinam mortales eſſent, qui in ea terra degerent. Illi vero ſtatim abeuntes cum Lotophagis hominibus commixti ſunt, quibus ii nullam aliam perniciem inferendo nocuerunt; Lotum tantummodo ad guſtandum praebuerunt. Cum autem guſtaſſent et comediſſent, non amplius ſibi curae fuit, vt reſponſum ad Vlyſſem referrent, ſed cum Lotophagis illis Lotum ſemper et ipſi comeſturi verſari malebant, omnino reditus obliti. At Vlyſſes, aliis ſecum adſumtis, ad eos inquirendos accurrens, re comperta flentes per vim ad naues reduxit, ac ſub carinarum iugo religauit; reliquis omnibus nulla mora naues conſcendere iuſſis, ne forte ipſi pariter Lotum deguſtantes reditus obliuiſcerentur. Hanc Lotophagorum terram inſulam eſſe perhibent prope minorem Syriam non longe ab Africa orta, a qua non niſi ſpatio

ſpatio trecentorum quinquaginta paſſuum diuulſa eſt, Meninx olim adpellata et apud Arabes Girba. Plinius vero tradit, ab Eratoſthene vocari Lotophagitidem, cumque ea maria non ita multas inſulas complectantur, hanc eſſe ceterarum clariſſimam. Cum vero multae Loti ſpecies eſſe tradantur, putarunt nonnulli, hanc, cuius meminit Homerus, ipſam eſſe Lotum Lybicam, de qua ſcripſit Herodotus Polybiusque Megapolitanus apud Athenaeum *lib. XIV. cap. 18.* his verbis: *Eſt autem* Lotus *arbor minime procera, aſpera, non tamen aculeata, folio Rhamni paulo latiore et craſſiore, fructu per initia colore et magnitudine ſimili perfectis baccis myrti, dum augeſcit coloris phaenicei, oleae magnitudine, rotundo nucleo admodum puſillo. Maturus is colligitur et cum alica tuſus in ſeruorum famulorumque cibum in vaſa conculcatur ac ſtipatur; ingenuorum autem eduliis detracto nucleo eodem modo reponitur, ac pro cibo eſt, guſtu caricis et palmulis non diſſimili, odore tamen ſuaui. Fit et ex eo in aqua macerato et trito vinum ſaporis grati et iucundi, qualis eſt optimi mulſi. Merum id nulla admixta aqua bibunt, ſed vltra decimum diem non perdurat. Quamobrem paullatim ad vſum tam breuis temporis conficiunt.* Itaque cum haec habeat Athenaeus, viſus eſt plerisque Homerus nimis loti facultatem exaggerare dicendo, ita vt, quod de ea narrat, ſit ad fabulas prorſus reiiciendum. Equidem fateor, aliquantum in eius dicto amplificationis ineſſe. Sed quis ignorat id ſibi poëtico iure licuiſſe? Suauiſſimam huius fructus dulcedinem ſaporemque praeſtantiſſimum ipſum etiam Athenaei teſtimonium confirmat. Cum igitur eius guſtus aduenas illiceret, vt ibi permanerent, modumne exceſſiſſe amplificando putemus, ſi poëta dixerit, quod patriae etiam obliuionem faceret? Quidquid autem de hac re ſit, in adagium abiiſſe verbum illud, *Lotum guſtauit*, neminem latet: in eum ſiquidem iactatur, qui diutius in peregrinis regionibus haeret, veluti reditus in patriam oblitus. Nec inconcinne illud dixeris, ait Eraſmus, in eos, qui ſimul atque inhoneſtam voluptatem deguſtarunt, ad priſtina ſtudia reuocari non poſſunt. Quamquam vero allata Athe-

naei

naei auctoritas fructum eſſe Lotum apertiſſime ſtatuat, Strabo tamen *lib. III.* aliter ſentire viſus eſt, videlicet non fructum eſſe Lotum, ſed herbam quampiam, qua vna cum radice veſcantur Lotophagi, qui Meningem incolunt, quos ipſiſſimos eſſe Lotophagos Homeri docet ibidem. Ait autem, populos illos, vbi Lotum comederint, nihil egere potu, quem neque ob aquae penuriam habere poſſent. Mecum autem animo reputanti, quonam modo res tam mira ac paene incredibilis fieri poſſit, vt huiusmodi Lotus, quam refert hic auctor ab Athenaeo diſſentiens, ſi tamen vera ſunt, quae narrat, cibum incolis praebeat, ſimulque potus neceſſitatem depellat, alia ſimilis narratio ſuccurrit, quam apud ſaepe memoratum Salmonem legi, videlicet in inſula Manilla, quam ſupra nominauimus, arborem quamdam eſſe, quae vocatur *arbor aquae:* ſi enim truncus perforetur, ſtatim aqua erumpit; item quasdam eſſe arundines, quas vocant Vaxucos, ex quibus diffiſis ſimiliter habetur aqua; ſic prouidentiam ſuam in iis locis teſtante naturae auctore, dum aquarum penuriae tam inſolito prodigio in humanos voluit vſus ſubvenire. Nulla vero alia ratio, qua explicem hoc naturae miraculum, mihi ſuppetit, niſi quod radices eius arboris, earumque arundinum ſpongioſae valde ſint ac bibulae, adeo vt facile attrahant humorem illum, qui terrae ſubeſt, etſi arida atque arenoſa ea ſit; nam plus minus etiam in locis torridis terra ſubter extimam cruſtam aquoſa eſt. Cum igitur ſimiles plantae peculiari quapiam virtute praeditae ſint ad humorem ſub terra latentem auidiſſime exſugendum, qui deinde per earum venas, quaſi per quosdam canaliculos affatim profluat, non mirum, ſi vulneratae aquam praebeant, non ſecus ac ſanguis e corpore animalis proſilit diſſecta vena. Sic igitur res fortaſſe ſe habeat etiam in Loto, eiusque radice, ſi vere, vt perhibet Strabo, ſitis ardorem in incolis reſtinguat. Valde ſiquidem humida ſit, oportet, vt ex ea vel humor effluat, vel exprimatur ea copia, quae ad leuandam ſitim ſufficere poſſit.

Iam

Iam vero, dum orationis vela contraho, duo mihi adnotanda ſuperſunt. Vnum eſt, quod in hoc Loto tam admirabili ac portentoſa, ſeu fructum iuxta Athenaeum dicamus, ſiue olus iuxta Strabonem, ipſam Homeri poëſin recognoſcere veriſſime poſſumus. Tam bonum ſiquidem, tam dulce, tam iucundum, tam ſuaue pabulum menti praebet, ſi quis graecae linguae peritus ad eam guſtandam acceſſerit, vt non amplius inde poſſit auelli, Homericamque lectionem ceteris libris omnibus longe praeferat, vtpote qui ex vno Homero delicias omnes, omnemque voluptatem indeſinenter hauriat. Neque credite, auditores, hoc ex amore iudicium eſſe, ſed ex iudicio amorem.

Alterum vero eſt, quod multum fallitur, ſi quis putat meras eſſe fabulas atque inane otioſorum delenimentum; quaecumque vltra fidem ab eo deſcribi videntur, quaeque ſpecioſa miracula aptiſſime adpellauit Horatius in arte: nam, quod initio diſputationis notauimus, id rurſus Homeri lectoribus inculcari oportere exiſtimamus. Non Homericae ſapientiae eſt, fabularum monſtra proferre, quae a nullo vero dependeant, vt recte notauit Strabo *lib. I.* Eum enim vellet lectores ſuos docere, putauit, voluptate eſſe alliciendos, quae inſtar medicamenti animos diſponit et diſcendi amorem ingenerat. Quamobrem accepit quidem principia ſuae poëſeos ex hiſtoria; at deinde pulcherrimis fabularum commentis exornauit.

DISSERTATIO LI.

DE POLYPHEMO ALIISQVE CYCLOPIBVS.

SYNOPSIS.

Quae finguntur a poëtis, numquam a veriſimilitudine abeſſe debent. Cyclopum natio in Sicilia. Ab vno oculo in media fronte ſic adpel-

adpellati. Oculus allegorice ſpeculam ſignificat. Complura hominum monſtra vno tantum oculo, inſtar Cyclopum. Cyclopum vita. Tres vitae gradus antiquis temporibus conſtituit Varro. Siciliae fertilitas. Polyphemus ſex e ſociis Vlyſſis vorauit. Anthropaphagi non ſunt fabuloſi. Polyphemi deſcriptio. Cur illum Vlyſſes excaecauerit, non autem necauerit. Ioannis Spondani interpretatio refellitur, et alia verior adfertur. Vino Maronco Vlyſſes ebrium reddidit Polyphemum. Quomodo ab excoecato monſtro Vlyſſes cauerit. Vaſtiſſimae ſpeluncae in Syria. Aliqua fortaſſe ſimilis etiam in Sicilia. Quomodo egreſſus ex antro Vlyſſes cum ſociis Cyclopem fefellerit. Arietes permagni in Sicilia. Vlyſſes dicit, Cyclopi nomen eſſe οὖτις Nemo. *Ludicra laudatio* Nihili.

Docet Horatius in arte, quidquid a poëtis fingatur, cum veriſimilitudine eſſe fingendum:

Ficta voluptatis cauſſa ſint proxima veris.

Quamuis enim in prouerbium abierit, pictoribus atque poëtis aequam fuiſſe ſemper poteſtatem audendi quidlibet, id tamen ita accipiendum eſt, vt ſimilitudinem veri ficta numquam transſiliant. Quae cum ita ſint, quid de Polyphemo et Cyclopibus ſentiendum, de quibus plura finxiſſe videtur Homerus vltra quam veriſimile eſt? Placet igitur hanc rem hodierno ſermone diſcutere, videreque, an vereſimilitudinem iis adſtruere poſſimus, quae aliis non veriſimilia videntur. Fauete igitur, auditores: iucundas enim cognitiones vobis adfert noſtra haec diſputatio.

Primum omnium obſeruandum occurrit, quod vates in Sicilia Cyclopas conſtituit, ad quos relictis Lotophagis Vlyſſem maris erroribus iactatum cum ſociis adpuliſſe narrat. Hos autem Cyclopas omnes gigantes fuiſſe tradit, vno tantum rotundo oculo in fronte praeditos, vnde et nomen ſortiti. At haec duo quibusdam licet miraculis poëtico iure in maius manifeſte prouehat et inſigniter exaugeat, fundamento tamen non carent hiſtoricae veritatis. Complures enim fuiſſe olim in Sicilia gigantes, oſſa et cadauera variis in locis ibidem reperta luculenter oſtendunt,

eosque

nosque de hac re ſatis ſuperque peculiari diſputatione XVIII. diſſeruimus. Conſonat Virgilius, qui Cyclopas et ipſe in Sicilia ſtatuit *Aeneid. lib. VIII.*

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro
Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon.

Item Typhonem ſub Prochyta tumulatum deſcribit *lib. IX.*

Tum ſonitu Prochyta alta tremit, ſaeuumque cubile
Inarme, Iouis imperiis impoſta Typhoeo.

Quod vero vnum habeant rotundum oculum in fronte, allegoricum plane putamus, eoque figuratam eſſe ſpeculam, e qua adſidue circumſpectabant, vt bonam arriperent opportunitatem finitimos inuadendi, praedasque ex illis agendi. Accedit etiam, multa hominum monſtra ſubinde exſtitiſſe vnico in media fronte oculo, quod plures ſcriptores non contemnendi apud Aldrouandum teſtatum reliquerunt. Tradit quoque, vnumquemque Cyclopum ſeorſum ab aliis viuere, et tamquam regem dominumque ſupremum in familiam ſuam, vxorem, filiosque obtinere poteſtatem. Quae certe prima hominum vita fuit poſt generalem illam orbis terrarum eluuionem; cuius vitae veſtigia aliqua in nonnullis graecis vrbibus ad multum tempus remanſerunt, vt ex *lib. X. moralium* Ariſtotelis liquet: ζῇ ἕκαστος ὡς βούλεται κυκλωπικῶς θεμιστεύων παίδων, ἠδ' ἀλόχου, hoc eſt, viuit vnusquisque quemadmodum vult cyclopice in filios atque vxorem. Tres autem gradus humanae vitae antiquis temporibus conſtituit Varro. Primum naturalem, cum viuerent homines ex iis, quae inuiolata vltro terra pareret. Ex hac vita ad alteram deſcenderunt, videlicet paſtoritiam, qua non ſolum ex arboribus ac virgultis victum peterent, glandem, arbutum, mora, poma, ſed etiam ex animalibus, lac, caſeum, lanam, et, quae poſſent, ſilueſtria deprehenderent ac concluderent, vt miteſcerent. Tertio denique gradu a vita paſtorali ad agriculturam tranſierunt. Poſt hos vero gradus numero hominum adaucto ciuilis vita inducta

inducta eſt. Cum igitur antiquiſſimos Cyclopas ſtatuat Homerus, non mirum, ſi primam et ſecundam viuendi formam illis attribuat. Tanta enim fertilitas erat Siciliae, vt ſponte ſuis incolis victum exhiberet; cuius fertilitatis adhuc argumenta ſuperſunt multa in illa regione. Cum per otium proximis hiſce diebus Salmonem, ſcriptorem Anglum, legerem, qui praeſentem totius orbis terrarum ſtatum multis voluminibus narrandum ſuſcepit, in Orientis inſulis, quae Philippinae adpellantur, hominum genus offendi in ſiluis ac montibus degentium, qui Cyclopico paene ritu iis veſcuntur, quae ſponte ſua ſolum gignit fertiliſſimum; in quinque autem inſulis prope Luconiam, ſiue Manillam, quae Philippinarum eſt praecipua ac veluti caput, vnamquamque familiam ſingulatim regi perhibet ab eo, qui in ea ſit princeps, ac nemini praeterea ſiue duci, ſiue regi publico ſubiici. Quare ſatis hinc liquere puto ea, quae ab Homero de Cyclopibus expoſita hactenus recenſuimus, nequaquam praeter veri ſimilitudinem eſſe narrata.

Mira autem multo magis, omnemque fidem ſuperantia videbuntur, quae de Polyphemo, Cyclopum omnium teterrimo habet, ad cuius antrum malo fato deuenit Vlyſſes: Sex enim ex eius ſociis crudeliſſime deuorauit. Sed vt primum hoc, quod videtur abſurdum, atque aſperum, contemplemus, notandum eſt, nequaquam eſſe fabuloſos graece dictos anthropophagos, videlicet barbaros quosdam, qui humanis carnibus veſcuntur. Sunt aliqui, qui morem hunc non longe a mundi eluuione coeptum tradant, aiantque, gigantes iam tum humanis carnibus paſtos eſſe, terramque Chanaan habitatam fuiſſe a gigantibus, qui haberent in deliciis humanis cadaueribus veſci. Scythas et Sauromatas carnes humanas comedere ſolitos, vulgatius eſt, quam vt narrari oporteat. Liuius perhibet, conſueuiſſe Hannibalem in cibum praebere humanas carnes ſuis militibus, vt faceret ferociores. Pars auſtralis Africae incolitur plerumque ab iſtis anthropophagis. Veſpuccius narrat, ſe vidiſſe nudos homines feminasque nullo horrore humanas carnes comedere, adeo vt filius voraret

corpus ſui patris, ſibique glorioſum quisque duceret, ſi maiorem hominum numerum deuoraſſet. Caribes et Cannibales, populi Americae, hac ferocitate alios etiam ſuperaſſe feruntur. Anne igitur ſit abſurdum, ſi monſtrum tam immane atque horribile, quale deſcribit Homerus, ſex e ſociis Vlyſſis comederit?

Sed iuuat monſtrum hoc audire deſcriptum. Hoc autem loco non recitabo Homeri verſus, ſed Virgilii, quod plane idem erit: nam eos paene ex Homero, quemadmodum alios quamplurimos, exſcripſit, et in ſuum poëma ingenioſe tranſtulit. Id autem commodius quoque erit omnium captui, ſi qui ſint graeci ſermonis ignari. Sic ergo Polyphemum hunc iam excaecatum ab Vlyſſe deſcribit Achaemenides *Aeneid. lib. III.*

Vix ea fatus erat, ſummo cum monte videmus
Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole mouentem
Paſtorem Polyphemum, et litora nota petentem,
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum,
Trunca manum pinus regit, et veſtigia firmat.

Cum vero ſocios deuoraret, ſic graphice viuisque coloribus illum deſcribit:

Vidi egomet duo de numero cum corpora noſtro
Prenſa manu magna medio reſupinus in antro
Frangeret ad ſaxum, ſanieque adſperſa natarent
Limina, vidi atro cum membra fluentia tabo
Manderet, et trepidi tremerent ſub dentibus artus.

Huic Polyphemo voracitate atque ingluuie aliquatenus ſimilem Herodorum quemdam Megarenſem tubicinem, quem memorat Iulius Pollux, non incongrue fortaſſe dixerim. Is duabus ſimul maximis tubis inflatis horrendum adeo edebat clangorem, vt iuxta eum conſiſtere nemo poſſet. Nec mirum: ſtatura enim fuit procera, quatuor nempe cubitorum, et corpore robuſtiſſimo, adeo vt ſenos panis choenices in dies ſingulos, carnis viginti pondo eſitauerit, vini congios binos ebiberit; et Herculis inſtar, leonina pelle amiciebatur, ſuper vrſinam cubabat.

Nota-

Notabile porro eſt, quod de ipſo non Pollux modo, ſed Athenaeus narrat, Demetrium illum, qui ab expugnandis vrbibus Poliorcetae cognomen inuenit, cum Argos oppugnaret, ingentemque quamdam machinam, quam a ſe inuentam Helepolin vocitauit, moenibus admouere, quamquam maximo conatu militum, non poſſet, Herodorum hunc acciuiſſe, qui continuo duabus illis ſuis giganteis arreptis tubis, cum eas vno ſpiritu animaſſet, tantum vigoris atque alacritatis vrgentibus machinam inſpiraſſe, vt, quo volebant, eam propulerint. Hanc narrationem ex aureo tractatu de praeſtantia veteris muſicae Ioannis Baptiſtae Donii, hoc eodem munere, quo ego, transacto ſeculo functi, vobis recitaui, adoleſcentes, quia putaui, abs re non abludere, neque eſſe iniucundam, aut illepidam, vt a vobis exaudiretur.

Iam vero Polyphemum repetens video, tres adhuc remanere difficultates, quae crucem figant in Homeri lectione tironibus. Cur enim monſtrum illud excaecauerit Vlyſſes, cum potius necare poſſet? Quomodo illo excaecato ab eius ira et furore ſe deinde reliquosque ſocios in antro defendere valuit? Quomodo tandem potuit ab vno ariete haerens ſub eius pectore antro exportari? Haec enim omnia in hoc Vlyſſis periculo ſiue narrat, ſiue confingit Homerus. Breuiter igitur, quae mihi ſuppetunt ad implexas haſce difficultatum ambages expediendas exponam.

Ioannes quidem Spondanus oculum Cyclopi eruendi conſilium probat, putatque Vlyſſem grauius vltum eſſe excidium ſex ſociorum, Polyphemum excaecando, quam ſi illum interficeret. Illo ſiquidem pacto acerba illi vita eſt reddita, lucis adſpectu priuato, ita vt innumeras mortes in vna vita pateretur. Sane, inquit, hanc conſilii Vlyſſei cauſſam eſſe auſim contendere, licet ab ipſo poëta non exprimatur. At ego huius interpretis pace huic opinioni non ſubſcribo: nam ſolertius in Vlyſſe, Cyclopem excaecante, conſilium animaduerto, ipſumque poëtam tale conſilium explicaſſe adfirmo. Cum enim Polyphemus ſaxum tam immenſae molis oſtio ſpeluncae ad-

 mouerit,

mouerit, vt non illud repagulum, inquit vates, duo et viginti validi currus, quaternis rotis inſtructi, a ſolo dimouere poſſent, ſi illum interfeciſſet Vlyſſes, concluſus cum ſociis, nulla egreſſus ſpe illic remanſiſſet, ſaeuaque morte periiſſet. Oportebat igitur exſpectare, ſi forte caecatum monſtrum repelleret ab oſtio petram, vt ipſe cum ſociis aliqua techna, quam vaferrime commentus eſt, vt mox videbimus, incolumis egrederetur, et ſaeuitiam monſtri eluderet, reliquos ſocios, ipſumque poſtremo Vlyſſem, ſicuti minatus erat, deuorare parantis. Itaque miror, Spondanum hoc non obſeruaſſe: nam poëta ipſe adnotat. Callide ergo admodum excaecauit Polyphemum Vlyſſes; quod factum ad hunc modum elegantiſſime ex ipſo Homero deſcripſit Maro:

> *Nam ſimul expletis dapibus, vinoque ſepultus*
> *Ceruicem inflexam poſuit, iacuitque, per antrum*
> *Immenſum ſaniem eructans, ac fruſta cruento*
> *Per ſomnum commiſta mero, nos magna-precati*
> *Numina, ſortitique vices tunc vndique circum*
> *Fundimur, et telo lumen terebramus acuto*
> *Ingens, quod torua ſolum ſub fronte latebat*
> *Argolici clypei, aut Phoebeae lampadis inſtar.*

Vbi obiter obſeruandum Maroneo, potentiſſimo vino, ebrium, ſomnoque grauatum non difficile Vlyſſi excaecare illum fuiſſe: illa enim ebrietas non ſinebat ſtatim expergiſci; experrectus eſt autem dolorum vi, ſed malo caecitatis iam illato.

At non potuit tantum monſtrum Vlyſſem ſociosque ſuperſtites quaeritando per antrum inſectari, et vorando vlciſci? quomodo ab eo cauerunt? Quia antrum erat immenſum, potuerunt taciti latitare, et ſubinde huc atque illuc fugitantes longe a Polyphemo fieri, quem videbant, quo ſe ferret. Tradit Strabo, adeo vaſtas eſſe in Syria ſpeluncas, vt quatuor hominum millia capere poſſent. Nonne Dauid in vna ex his abdere ſe potuit cum ſexcentis, vt primo regum libro *cap. XXIV.* narratur, vnaque omnes ita eodem ſpecu contegi, vt Saul ad requiſita naturae

turae illuc ingreſſus eos non animaduerterit? Quidni igitur ſimilis ſpelunca eſſe potuerit in Sicilia, vel ſaltem fuiſſe Homero confingere licuerit. Ad cuius ſimilitudinem alteram Caci effinxit deinde Virgilius, Homeri perpetuus imitator.

Sed de exitu maior fortaſſe videatur difficultas. Vlyſſes enim dolos, et omne conſilium, vtpote pro anima adhibuit: magnum enim profecto malum prope inſtabat. Hic tandem effugiendi modus cogitanti non ſine bono numine ſuccurrit. Plures erant illic arietes magnitudine inſignes, denſo vellere pulcri, multaque lana purpurea cooperti. Hos ergo ternos ſimul capiens flexilibus iuncis colligauit: ex iis enim ſtratum erat compoſitum, in quo dormire conſueuerat Cyclops. Medius autem horum ſingulos ſocios ſub pectore alligatos ac latentes ferebat, alii autem duo hinc et hinc ſeruabant, ne Cyclops attrectando miſeros illos homines deprehenderet. Inter hos autem qui optimus maximusque erat aries, Vlyſſi ferendo deſeruiebat: huius enim ſub villoſo pectore prorſus iacuit, manibusque plurima lana firmiter implicitus illinc dependebat; ſe enim, qui ceteros, vt dictum eſt, adligauerat, nemo ſupererat, qui adligaret. Id autem eo conſilio ſolertiſſimus peregit Vlyſſes, vt, cum mane ad paſcua greges emitteret Cyclops; nam ſponte ſua ibant et reuertebantur: eo modo euaderent. Quod et factum eſt. Nam Polyphemus quidem, in ore antri ſedens, omnium ouium dorſa contrectando explorabat: falſus tamen et illuſus eſt, quod dolum Vlyſſis non ſuſpicaretur, latere eos ſub pectoribus arietum alligatos, nequaquam ratus. Illud autem difficultatis caput eſt, vt credamus, potuiſſe ab illis arietibus homines ferri eorum pectoribus dependentes. Verum, ſi epithetum illud Homericum ipſis additum animaduertamus *μεγάλοι*, hoc eſt, magni, nodus omnis expeditus eſt. Arietes ſiquidem illi, ac praeſertim qui ferebat Vlyſſem, permagni erant ac ſtrenui, quales fert Sicilia optimis paſcuis abundans, ita vt vires non minores haberent, quam equi ad portandum onera. Nonne vnus aries ferebat Hellen et Phryxum? Quae igi-

 tur

tur difficultas, vt aries vnum hominem ferat, praeſertim cum lento gradu deberet incedere, et gregatim e ſpelunca egredi? Hiſce a me difficultatibus explanatis, quid iam, optimi adoleſcentes, putatis? Nonne, quae vobis videbantur abſurda, credibilia facta ſunt, et aſpera quaeque complanata? Cauete igitur, quoties in poëtis maximis, quorum primus Homerus eſt, huiuſcemodi difficultates offenditis, cauete, inquam, ne ſtatim eos reprehendatis, aut damnetis, perinde quaſi abſurdas res ſtulto lectori imponentes obtrudant. Si enim eorum commenta ſiue vos ipſi veſtra conſideratione, ſiue doctiorum hominum ductu expenderetis, veriſimilitudinis canona numquam eſſe praetergreſſos, cognoſcetis.

Verum nonnihil etiam dicendum de nomine, quo Cyclopem luſit Vlyſſes. Cum enim rogaſſet Cyclops, quo ille nomine adpellaretur, reſpondit, ſe vocari οὖτιν *Neminem:* et hoc ludo ſaluti ſuae callide proſpexit. Nam excaecatus Polyphemus ceteros aduocabat Cyclopas in eodem monte degentes, vt ad ferendam ſibi opem adcurrerent. At illi interrogabant: Quis te laeſit? Οὖτις, *Nemo*, reſpondebat ille. Quare putantes, eum deſipere, dereliquerunt. Lepidum plane factum, ingenioſum, ridiculum. Iuſtene vero accuſarunt nonnulli Homerum, quaſi hoc ridiculo commento epicam maieſtatem fregerit? Nequaquam, auditores. Illud ſiquidem et vnicum fuit effugium, quo ſeruaretur Vlyſſes, et vaferrimum eius ingenium, quod vbique depingit vates, mirum in modum exhibet. Si quid igitur ridiculi feriis interdum adſpergat poëta cum grano ſalis, tempeſtiue, bonaque cum cauſſa, nullam habet in eo culpam. Teſte enim Horatio *Sat. X. lib. I.*

— — — — ridiculum acri
Fortius, et melius magnas plerumque ſecat res.

Liceat hic mihi iocoſum *Nihili* encomium, gallice ſcriptum, commemorare, in quo inter alias laudes *Nihilo* tributas illa eſt praecipua, quod cuncta, quae exſiſtunt, tempore praeceſſerit. Huius vero laudationis libellum

facetus

facetus auctor dedicat *Nemini*, quod multis egeſtatibus preſſo *Nemo* ſibi ſuccurrerit.

DISSERTATIO LII.

DE INSVLA AEOLIA.

SYNOPSIS.

Totum Homerum latina poëſi vertere difficillimum. Specimen verſionis latina proſa concinnatae. Iudicium de aliis latinis verſionibus, ſiue verbotenus, ſiue elegantiori ſermone ſcriptis. Veritas in Homericis fabulis latens, et poëtae artificium. Septem Aeoliae inſulae. Liparen putat Daceria eſſe Aeoliam inſulam Homeri. Strabo et Solinus Strongylem. Pro vtraque ſententia bonae adſunt rationes, quae adferuntur. Fortaſſe Homerus ex duabus fecit vnam. Ex Aeoliis inſulis ignes ſe efferunt. Tota etiam Sicilia ſubterraneis ignibus abundat; at multo magis Iaponiae regnum, et Terpate, quae eſt vna Moluccarum. Πλωτὴν *adpellat Homerus inſulam Aeoliam, hoc eſt, natatilem, ſiue circumcirca nauigabilem. Duodecim filii Aeoli ſunt duodecim venti principes. Explicatur, quid ſignificet coniugium et conuiuia ventorum, domique Aeoli ſonitus. Ventorum vis Siciliam ab Italia diſterminauit, et per Calpen mare mediterraneum immiſit. Cur dicatur Aeolus habuiſſe ventos in ſua poteſtate. Multae referuntur in hanc rem interpretationes. De vtre, in quo venti incluſi. Vtris e pelle Delphini fabula; ſed ad eam non reſpexit Homerus. Iocus Eratoſthenis de vtre Homerico reiectus. Aeolipilae mentio. Nonnulli ſeptemtrionis populi profitentur, ſe vendere ventos. Argentei funiculi, vtri adpoſiti, interpretatio. Duae item ſomni Vlyſſei interpretationes. Vlyſſem reuerſum, tamquam Diis inuiſum, Aeolus a ſe repellit.*

E periculis Ciconum, Lotophagorum, Cyclopisque ereptum Vlyſſem ad inſulam Aeoliam quarto pelagi errore delatum eſſe Odyſſeae *lib. X.* legimus. Narrationem Homericam huiuſce rei, ab ipſomet Vlyſſe Phaeacibus

expoſitam, libet adferre. Quia vero longiuſcula eſt, a recitandis graecis carminibus prudens abſtineo, tum ne prolixior ſit noſter hic ſermo, tum ne faceſſam negotium iis, qui graecae linguae vel nihil, vel leuiter periti ſunt. Sinite vero, auditores, vt proſa oratione verſam vobis eam exhibeam. In ea ſiquidem ſpecimen habebitis verſionis, qua, ſi tempus et vires ſuppeterent, totum Homerum interpretandum ſuſciperem. Nam latinis verſibus totum Homerum reddere, res eſt tam ardua, tam implexa, tam multis grauibusque difficultatibus obſita, vt neminem putem, ſummo etiam ingenio praeditum, niſi quis Deus pectus illi adflet, totoque numine ſuo compleat, erigat, confirmet, tantum facinus poſſe cum laude ac dignitate ad finem perducere. Cum in hac verſione noſtra numeris ſoluta, quam dicebamus, neque prorſus verbotenus, et, vt dicunt κατὰ πόδα putide Homerum reddamus, neque ab eius ſenſu nimis licenter euagemur, credimus, ſi ad eius exemplum totus Homerus vertatur, dignam fore huiusmodi interpretationem, quae a viris doctis non ingrate excipiatur. Eae ſiquidem, quae circumferuntur, verbotenus Homeri latinae verſiones, non tam meo quidem iudicio eum interpretantur, quam tenebris craſſiſſimis obvoluunt, neque tam nomen eius promulgant, quam infamant. Aliae vero, quas nonnulli elegantiori ſermone elaborarunt, vel Homeri mentem non adſequuntur, cum aliqua earum non e graeco fonte, ſed ex alia latina videatur deſumta, vel nimis curando orationis nitorem, adeo Homerum transformant, vt ſe ipſemet in ſimilibus verſionibus non amplius agnoſcat. Noſtra vero haec neque adeo ſeruilis eſt, vt verbum verbo reddat, neque adeo libera, vt, quocumque velit, auolet, ſed mediam veluti viam inſiſtens ſimul aliquam concinnitatem prae ſe ferat, ſimulque fidem boni interpretis non exuat. Eam igitur, qualiscumque demum ſit, accipite.

„Ad inſulam deinde Aeoliam, inquit Vlyſſes, adna„vigauimus, vbi Aeolus Hippotades regnabat, carus im„mortalibus Diis. Natatilis ea inſula eſt, aereo atque in„fragili muro ſepta, laeuigatisque extrinſecus ad imam

„par-

„partem recurrentibus lapidibus circumcincta. Duodecim regi liberi domi ſunt; ſex feminae, totidemque in „ipſo aetatis flore mares. Quos quidem cum ſororibus „matrimonio rex copulauit, iis vero, apud dilectum pa„trem, verendamque matrem ſemper epulantibus, affatim „ſplendida fercula praeſto ſunt. Itaque grato nidore in„terdiu oppleta domus vndique perſtrepit ac circumſonat, „noctes vero in tapetibus ornatisque lectis cum pudicis „quisque vxoribus cubant. Horum ergo ad ciuitatem „pulcrasque aedes venimus. Sane Aeolus ſolidum men„ſem perhumaniter me habuit, ſingulaque interrogauit, et „de Ilio, et de nauibus Argiuorum, et de reditu Graeco„rum. Ego vero cuncta probe atque ordine narraui. „Deinde, vt me dimitteret, praeberetque ad iter auxilia, „obſecraui. Haudquaquam ille abnuit, et, quae erant „mihi ad viam feliciter abſoluendam neceſſaria, promte „expediuit. Vtrem ſiquidem ex ingentis bouis corio mihi „tradidit, in quo procelloſorum ventorum flatus incluſit. „Illum namque Iupiter ventorum promum ac dominum „conſtituit, poteſtate facta, eos pro arbitrio mulcendi ac „tollendi. Atque ipſemet vtrem illum argenteo funiculo „in naui adligauit, vt ne quid minimum efflare poſſet. „Vnum Zephyrum, qui naues nosque incolumes ferret, „ſpirare dedit, id quod Zephyrus non erat perfecturus: „ſociorum namque dementia miſere peſſum iuimus. No„vem dierum ſpatio indeſinenter nauigauimus, nec diu, „nec noctu a labore feriati. Decimo die patria adparuit, „ſublatasque non longe Ithacae faces pro tuto nauium ad„pulſu laeti conſpeximus. Ibi in me, longa cura delaſſa„tum, dulcis ſomnus obrepſit. Semper enim nauis cla„vum egomet moderari volui, nullique ſociorum com„mittere, quo citius perueniremus in patriam. Socii au„tem inter ſe diſſerere coeperunt, putantes, me ex ma„gno Aeolo ingens pondus auri argentique dono accepiſ„ſe, idque in vtre reconditum domum referre. Vah! di„cebant, quanta virum hunc omnes, ad quorum vrbes ter„rasque aduenit, beneuolentia atque exiſtimatione ſunt „proſecuti! Multa namque ex Troiana praeda pretioſa ac

„praeclara ſecum ducit, nos autem, qui eamdem viam, „eosdem labores exantlauimus, domum vacuis redimus „manibus. Et nunc Aeolus, vt amicitiae illi ſignifica-„tionem daret, haec tam ampla dona largitus eſt. Sed „age, quaenam illa ſint, quantumque auri argentique in „vtre lateat, ocyus videamus. Dictum, factum: nam „malo auſpicio vtrem ſoluere, ventique omnes erumpe-„re. Ex templo igitur vehemens coorta procella a patria „diſtraxit, et in medias maris vndas coniecit. Equidem „experrectus mecum animo reputabam, vtrum e naui pro-„ſiliens me in mare praecipitem darem, an tacitus ſuſti-„nerem, neque morte calamitatem finirem. Malum per-„ferre, animumque durare, ſatius mihi viſum, capiteque „obuoluto in naui fuſus iacui. Iam vero deſaeuiente ven-„torum tempeſtate naues iterum ad Aeoliam inſulam ſunt „delatae, acerbe flentibus interea animumque deſponden-„tibus ſociis. Hic in terram aquatum deſcendimus, ſo-„ciique apud naues prandium inſtruxerunt. Vbi vero ali-„quantum cibi potionisque cepimus, adſumto mecum „praecone vnoque e ſociis, domum Aeoli adiui, quem „menſae adſidentem cum vxore ac liberis offendi. At „nos, ad aulam accedentes, humi ad portae limen con-„ſedimus. Illi tunc animo ſatis admirantes ſciſcitaban-„tur: quonam modo huc, Vlyſſes, rediiſti? quis te ma-„lus agit Daemon? Profecto nos te accurate dimiſimus, „vt ad patriam domumque tuam, et, ſi quo alio velles, „facile peruenires. Cum ita me rogarent, adflicto ani-„mo reſpondi: laeſerunt me improbi ſocii, ſomnusque „pernicioſus. Sed vos, quaeſo, optimi, remedium ad-„ferte; penes enim vos facultas. Sic equidem blando „eos ſermone demulcens precabar: ceteri vero, qui me-„cum erant, moerentes ſilebant. At pater Aeolus, abi, „dixit, confeſtim ex inſula viuorum, peſſime! Non enim „mihi fas, virum excipere, aut deducere, qui beatis Diis „inuiſus eſt. Abi, inquam, quandoquidem Diis infeſtus „huc aduentaſti. Atque haec fatus, domo me, ex imo „corde trahentem ſuſpiria, eiecit."

Hacte-

Hactenus Homeri narratio. Age vero, quae circa hanc inſulam notanda occurrunt, lepida memoratu, mecum expendite, auditores. Curabo enim, fabuloſa a veris ſecernendo duplicem vobis propinare voluptatem, vt ſcilicet ex vna parte veritatem, in his fabulis latentem, ex altera vero Homericum artificium inſpiciatis, quo veritatem fabuloſo cortice inuoluit ad deleniendos lectores ſuos. Itaque cum hanc inſulam, quo delatus eſt Vlyſſes, Aeoliam Homerus dixerit, obſeruandum inprimis eſt, ſeptem Aeoli inſulas recenſeri. Hae autem ſunt: Strongyle, Didyme, Hiera, Hiceſia, Lipare, Eurycode et Phaenicode; quae omnes non longe a Sicilia abſunt. Quamnam vero ex his intellexerit vates, non plane liquet. Daceria illa, feminarum immortale decus, quam ſaepe vtpote doctiſſimam, et de Homero optime meritam laudibus extulimus Liparam eſſe contendit, tum quia reliquarum eſt inſignior, tum quia Bochartus ex voce Phoenicia *nibaras*, ſiue *nibras* deriuat Liparam, quae vox Phoenicia *funale* ſignificat: noctu enim tamquam accenſa fax lucet Lipara propter ignes, qui e terra eructantur; quamobrem moeniis aereis cinctam, propter fulgorem inde emicantem, ingenioſe confinxiſſe videtur vates. Accedit, quod Virgilius Aeoliam Liparen octauo Aeneidos dixerit. Nihilominus aduerſus eam grauiſſima faciunt Strabonis et Solini teſtimonia: vterque enim domum Aeoli dicunt Strongylem, ex qua ſimiliter ignes ſeſe efferunt, et noctu collucent, quinimmo et ex reliquis omnibus Aeoliis, quas idcirco *Vulcanos* adpellant philoſophi; tale enim locis iis nomen indiderunt, qui ignem emittunt. Memini me legere apud Teuenotum, celebrem ſcriptorem e Gallia, qui proxime exacto ſeculo magnam orbis terrarum partem peragrauit, ſuasque literis tradidit peregrinationes, non procul a Strongule, quam corrupte hodie *Strombolem* adpellant, magnos exaudiri veluti vlulatus, quos putat ſuperſtitioſus popellus a manibus edi ob teterrima, quae ſub Acheronte patiuntur, cruciamenta. Hunc ille ridiculum errorem refellens fremitum docet eſſe ventorum, qui horrendum in modum in

ea

ea inſula deſaeuiunt et colluctantur. Videtisne, auditores, quam bene adpareat in inſula Strongyle Aeoliae inſulae imago ab Homero deſcriptae?

Liceat modo ad veſtram, adoleſcentes, iucundam eruditionem a propoſito pauliſper digredi notareque, totam etiam Siciliam, cuius Aeoliae inſulae veluti adpendices ſunt, ſubterraneis ignibus abundare, qui foras ſubinde horrendo fremitu erumpentes magna adferunt incolis damna. Quae quidem damna adhuc multo maiora Iaponiae regnum pati, apud Salmonem legere licet: initio namque praeſentis ſeculi tantam debacchantis ignis copiam hiantes voragines egeſſerunt, tamque vehementibus motibus concuſſa eſt tellus, vt paene tota ciuitas Iedi, quae totius regni caput eſt, conflagrauerit, et conciderit, in eaque ſola ducenta hominum millia deſiderata ſint. In Ternate vero, quae vna eſt Moluccarum, narrante eodem Salmone, ex altiſſimo monte tanto impetu erumpit ignis, tantaeque molis petras inde eiaculatur, vt decidentes in mare ſtrepitum ad Amboinam vsque, quae ad centum nonaginta duo paſſuum millia diſtat, faciant exaudiri, quod fidem nobis ſuperare videtur.

Aeoliam Homeri inſulam nunc repetamus. Πλωτὴν adpellat hanc inſulam vates, quod nos, Daceriam ſecuti, Tertulliani vocabulo vertimus *natatilem;* vt etiam perhibetur de Delo in Aegeo, deque Echemide prope Aegyptum. Fateor tamen, verti etiam poſſe *circumcirca nauigabilem*, videlicet *rotundam*, quod optime Strongulae quadraret; vox enim graeca ϛρόγγυλος latine redditur *rotundus*. Nihil tamen certi ſtatuimus, vtrum Strongylem potius, an Liparam Homerus indicauerit Aeoliae inſulae nomine; pro vtraque enim bonae adſunt rationes. Quid, ſi dicatur, ex duabus vnam poetico auſu compoſuiſſe vates, ad illamque ea, quae vtrique propria ſunt, contuliſſe?

Sed iam, quid duodecim Aeoli filii ſignificent, ſciſcitamini. Anni duodecim menſes ſunt, interprete Euſtathio. Quam quidem opinionem merito Daceria reſpuit: minus enim proprie videtur Homerico figmento congruere.

re. Cum enim ventorum rex vocetur Aeolus, per duodecim eius filios duodecim ventos principes rectius et commodius interpretaberis. Fertur filios cum filiabus coniugio copulare, quia venti facile commiſcentur. Ipſi vero conuiuia iugiter celebrant, quia copioſiſſimae, quae e ſulphureis igneisque terrae viſceribus emittuntur, exhalationes eos ibi inceſſanter alunt ſaginantque. Neque hic omittam, quod tradit Ariſtoteles de *inſula ſacra,* quae eſt vna ex iis, quae dicuntur Aeoli: nimirum ceſſante motu in ea humum in ſpeciem collis intumuiſſe cum magno ſonitu, quo colle ad extremum aperto magnam vim ſpiritus et ſcintillas cum cinere ſe foras eieciſſe, qui vniuerſam Liparenſium ciuitatem operuit. Cum autem huiusmodi ignis eruptiones terraeque motum immanes venti, inſanaeque procellae ſubſequantur, nonne palam inde fit, ſpiritus, qui ex igniferis locis exhalantur, ventorum eſſe nutrimentum longe maximum? Quod vero dicit Aeoli domum perſtrepere et circumſonare, nulla indiget explicatione: ſpirantium enim ventorum murmura manifeſte innuit. Cum ergo huc adpuliſſet Vlyſſes, et ab Aeolo, qui, vt de eo tradit Dionyſius Siculus, rex pius fuit, et iuſtus, et erga hoſpites humanus, omni beneuolentiae ſignificatione acceptus eſſet, poſt menſem petiit, vt ſe, quibus poſſet, auxiliis tuto in patriam remitteret. Perhumaniter eius votis obtemperauit, vtremque tradidit, vt ſuperius quoque narratum eſt, ventorum plenum, ſolo Zephyro in libertatem dato, cuius ſecundo flatu ad Ithacam proſpere reduceretur. Sciunt omnes, Aeolum hunc a veteribus fuiſſe creditum, habuiſſe in ſua poteſtate tempeſtates, quod nimirum ventos laxando et coërcendo poſſet eas ſiue excitare, ſiue ſedare. Iuno Virgiliana ſic eum adfatur:

Aeole, namque tibi Diuum pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus, et tollere ventos.

Et paulo ante vates dixerat:

— — — *hic vaſto rex Aeolus antro*
Luctantes ventos, tempeſtatesque ſonoras
Imperio premit, et vinclis et carcere frenat.

Quam

Quam fabulam ad Homeri exemplum liquido conſtat efformaſſe Virgilium. Conſonat Dionyſius, qui ventis aethere natis imperare Aeolum tradit. Scitu dignum eſt, quod Natalis Comes *Mythol. lib. VIII. cap. 10.* huc reſpiciens refert. Antequam Aeolus ventis imperaret, dicta ſunt accidiſſe multorum ventorum certamina, quae vrbes frequentiſſimas ac regiones deuaſtarunt: qualia fuerunt, quae tantopere mare infeſtarunt, vt Siciliam ab Italia ſeiunxerint, et, cum prius nullum eſſet mare mediterraneum, vis tempeſtatis in Oceano orta per quoddam ſpatium terram diſciderit, vnde aqua ingreſſa per Calpen, ſic vnam ex columnis Herculis vocant, mare, quod eſt inter terram, fecerit ob depreſſam regionem, Africamque ab Europa diſterminauerit, adlegatque verſus Valerii Flacci *Argonaut. lib. I.* quos breuitatis ſtudio praetermitto. Quas terrarum ſeiunctiones, a mari factas, elegantiſſime deſcriptas ab Ouidio *Metamorphoſ. lib. XV.* legere poteritis.

Sed iam expendendum, cur Aeolus ventos imperio ſuo regere ac moderari dicatur. Id multi allegorice interpretati ſunt, inter quos eſt Polybius apud Strabon. *lib. I.* Is cum errores Vlyſſis apud Homerum explicaret, dicebat, Aeolum, propterea quod praediceret, quomodo per fretum nauigari poſſet, cum iis locis ob fluxum maris et refluxum curſus difficulter teneri, et fretum ſuperari queat, ventorum promum dictum fuiſſe ac regem, quemadmodum Danaus, quod Argis ὑδρεῖα, id eſt, aquatica inſtrumenta, vt vertit Xylander, demonſtraſſet, et Atreus, quod Solis curſum coeli conuerſioni renitentis docuiſſet, vatesque et inſpectores ſacrorum reges ſunt creati, et olim ſacerdotibus Aegyptiorum, Chaldaeis Magisque, ſapientia alios ſuperantibus, dignitates et imperia ſunt delata, atque etiam vnusquisque Deorum honores ſortitus eſt, eo quod vtile aliquid excogitaſſet. Haec Polybius; cui Diodori Siculi accedit auctoritas idem ferme dicentis *lib. V.* Tzetzes vero ſcribit, Aeolum fuiſſe aſtronomiae peritiſſimum, et illam ſcientiam praecipue exercuiſſe, quae pertinet ad naturam ventorum, vt nauigantibus prodeſſet. Seruius item

item ex Varrone docet, Aeolum harum inſularum regem fuiſſe, qui, eo quod tum ex earum nebulis, tum ex fumo Vulcaniae inſulae futura flabra ventorum praedicere conſueuerit, viſus eſt vulgo ventos in ſua poteſtate retinere. Fauet etiam nominis notatio: nam Aeolus a vocabulo Phoenicio *ael* deriuari, ex ea vero ἄελλα, latine *procella*, atque hinc Aeolus, rex tempeſtatum ac ventorum, adpellatus eſſe dicitur. Vtrem vero, in quo venti includuntur, merum eſſe commentum patet ad Phaeacum voluptatem ciendam, qui talibus prodigioſis narratiunculis maximopere delectabantur. Sunt tamen, qui ex penitiore quadam philoſophia rem ſe poſſe interpretari arbitrantur. Aiunt enim, ſi quis vtrem e pelle Delphino detracta fecerit, illumque penes ſe habeat, poſſe eum per quasdam caerimonias obtinere, vt ſpiret quicumque ventus ille voluerit, atque inde hanc fabulam finxiſſe Homerum de ventis, ab Aeolo in vtre Vlyſſi datis; ad poëticam vero licentiam reiiciendum, quod pro pelle Delphini bouis pellem ille nominauerit. Quamquam autem id credere videntur Natalis et Rhodiginus e ſcholiis Tzetzis in Lycophronem, numquam tamen in animum inducam, huc tantum vatem reſpexiſſe, tamque ridiculae impoſturae voluiſſe ſuis carminibus auctoritatem conciliare.

Iocus vero Eratoſthenis non eſt ſilentio praetereundus, qui aiebat, tunc reperiri poſſe loca, ad quae Vlyſſes delatus eſſet, cum ille reperiretur, qui vtrem conſuerit, in quo venti ab Aeolo incluſi ſunt; perinde quaſi vellet inferre, fabuloſa haec eſſe omnia, nulloque vero fundamento ſuperſtrui: quod non ita eſſe, hac noſtra diſputatione ſatis oſtenſum arbitramur. Quamobrem lepidum hoc Eratoſthenis cauillum iure optimo a Polybio reiectum eſt.

Non prorſus extra ludum Aeolipilam hic recenſebo, cuius *lib. I. cap. 6.* meminit Vitruuius. Videtur enim aliquam cum fabuloſo vtre, de quo hactenus diſſeruimus, habere ſimilitudinem. Haec namque pila conflatur ex aere, paruo foramine; aqua impletur, ignique admouetur. Vbi aqua efferbuit, tum vero magno impetu ex illo foramine

mine erumpit ventus. Ex quo putarunt aliqui, ventum fluxum eſſe aëris, motu inaequaliter violento exagitati, idque fieri, quod calor humiditati immixtus vim ſuam exſerens nouum inde aërem progignat, qui veterem moveat impellatque.

Illud praeterea animaduertendum eſt, ad hanc de Aeolo tradente ventos fabellam praeſtigium quorumdam ſeptemtrionis populorum fortaſſe referri, qui profitentur, ſe vendere ventos. Liquet autem, cur vates adpoſitum confingat ab Aeolo funiculum argenteum vtri, nempe vt huius funiculi ſplendor et pretium ſocios ad vtrem reſerandum pelliciat, atque adeo eius conſilium perficiatur, qui Vlyſſem ad alios errores hoc ſucceſſu transferre vult.

Mirum vero, ac plane abſurdum videatur, quod Vlyſſes, ſagacitatis aç prudentiae laude inſigniſſimus, tam vicinus ſuae patriae ſibi ſomnum obrepere ſiuerit, vbi oportuiſſe eum eſſe vigilantiorem euentus oſtendit. Duae mihi praeſto ſunt interpretationes, quae difficultatem diluant. Priorem ſuppeditat Ioannes Spondanus, qui eum putat ſe ſomno dediſſe, quod nimirum ſibi de ſecuritate ſpoponderit. Cum enim hactenus tuto proceſſiſſet, in tam exiguo interuallo, quod ſibi conficiendum reſtabat, fieri non poſſe credidit, vt aliquid impedimenti ſibi incideret. Solent namque etiam oculatiſſimi interdum caecutire, et res, quae maiorem vigilantiam poſtulant, ſomniculoſius gerere. Quapropter ex eius imprudentia vtile praeceptum colligit Spondanus, nimirum in negotii alicuius confectione, vbi maximam illius partem exegeris, cauendum eſſe, ne in ipſo exitu ſiue incuria, ſiue nimia fidentia pecces, aut, quemadmodum in prouerbio eſt, in portu impingas. Alteram damus nos, quae multo fortaſſe eſt veriſimilior. Putamus namque, non imprudentia, aut oſcitatione, ſed inuoluntaria neceſſitate Vlyſſem ſomno correptum eſſe: cum enim plures dies ac noctes duxiſſet inſomnes, inuitus dormiuit; ſiquidem ſomnus, vbi longa laſſitudine natura concidit, etiam nolentem occupat.

Deni-

Denique Vlyſſis reditus ad Aeolum eiusque expulſio facilem habet interpretationem. Exiſtimauit Aeolus ex illius infortunio, Diis eum eſſe maxime inuiſum, et hanc calamitatem ingenti aliquo ſcelere promeruiſſe. Quandoquidem ergo religioſus erat, et in Deos pius, nihil eorum voluntati contrarium faciendum ſibi eſſe ſtatuit: videbatur autem ſibi obluctari Diis, ſi rurſus ventos vtre conſtrictos ei traderet. Quamobrem, religione praeualente miſericordiae, fruſtra rogantem a ſe dimiſit expulitque..

DISSERTATIO LIII.

DE LAESTRIGONIBVS.

SYNOPSIS.

Vlyſſes aerumnarum gymnaſium. Apud Laeſtrigonas omnes naves amiſit praeter vnam. Laeſtrigonum gens a natura Cyclopum non aliena. Vrbs Laeſtrigonum Formiae in Campania. Laeſtrigones e Sicilia in Campaniam veniunt. Lamus Formiarum conditor. Lamia regina Lybiae. Portus Formiarum deſcriptus. Homericum ſenſum huius loci plerique interpretum non ſunt adſecuti. Falſum eſt, paſtores hic eſſe inſomnes et Laeſtrigonas ab Vlyſſe ſub cauda Draconis eſſe poſitos. Armenta in vrbe ſeruata et ad paſcua extra vrbem ducta. Fabuloſum, aliquos ſine ſomno viuere. Monachi acoemetae, quomodo dicti inſomnes. Iidem ac Studitae. Studius vir nobiliſſimus. Quomodo Laeſtrigones naues ſociosque Vlyſſis perdiderint, ipſeque vna tantum cum naui euaſerit. Laeſtrigones Cyclopum inſtar a ſolis armentis gregibusque petunt cibum. Hinc factum, vt agros non colerent. Quae per ſe ſcire non potuit Vlyſſes, ex Circe, vel Calypſone cognouit. Cur Laeſtrigones ſub rege viuant contra quam faciunt Cyclopes. Refellitur iudicium Longini, qui putauit, Odyſſeam compoſitam ab Homero in ſenectute, Iliadem in iuuentute. Cur ſimilitudinibus magis ſcateat Ilias, quam Odyſſea.

Quis Aeoli iudicio non ſubſcriberet, qui Diis inuiſum putauit Vlyſſem? Tot ſiquidem, tantisque malis exagitatur, vt tamquam ſignum ad Deorum ſagittas poſitus eſſe videatur. Vide, quaeſo, vt vere fuerit aerumnarum gymnaſium! Vt eius mala continuentur! Vt vnum excipiat alterum! adeo vt eius labores poëtae verbo catenatos adpoſite dixeris. Nam poſt malum, quod paſſus eſt a ſociis vtrem recludentibus, ad Laeſtrigonás delatus eſſe dicitur, a quibus longe maiorem calamitatem, quam ſunt eae, quas adhuc tulerat, perpeſſus eſt. Apud Ciconas enim duos et ſexaginta ſocios amiſit; apud Cyclopem ſolum ſex; hic autem perierunt naues omnes ſociique, praeter eos, quos vnica naui ſecum auexit incolumes.

Cum igitur de iſtis Laeſtrigonibus noſtram hanc diſputationem inſtituamus, primum omnium, quinam fuerint, dicendum. Gens ſane fuit a Cyclopum natura non aliena, et, ſi vnitatem oculi demas, nihil diſſimilis. Nam et inhoſpitalis fuit, et ἀνθρωποφάγος, vt Vlyſſes expertus eſt. Vrbem autem Laeſtrigonum fuiſſe Formias in Campania, omnes fere conueniunt. Vt breuitati conſulam, duo tantum adferam teſtimonia, vnum Ciceronis, alterum Plinii. Cicero enim ad Atticum *lib. II. ep. 12.* ita ſcribit. Si vero in hanc τηλέπυλον veneris Λαιςρυγονίην, Formias dico, qui fremitus hominum? quam irati animi? vbi obiter notandum, τηλέπυλον verti poſſe, vel *ſpatioſam*, vel *altas*, *latasque portas habentem.* Plinius vero *lib. III. cap. 5.* Oppidum Formiae, ait, Hormiae ante dictum, vt exiſtimauere, antiquae Laeſtrigonum ſedes. Sed quonam modo ſtatuantur in Campania Laeſtrigones, qui dicuntur fuiſſe vicini Cyclopum, et habitaſſe Siciliam prope Leontinos? Id breuiter explicandum. Certum eſt, Laeſtrigonas in ſua primaeua origine Siciliam incoluiſſe ad flumen Teriam. Quod aperte tradit Plinius *lib. III. cap. 8.* vbi ait: flumina Symaethus, Terias, intus Laeſtrigonii campi, oppidum Leontini. Quod adeo verum eſt, vt nomen Laeſtrigonis et Leontini idem plane ſignificet, ac ſi eſſet vnum idemque nomen. Vocem enim *Laeſtrigon* deriuat

Bochar-

Bochartus ex Phoenicio vocabulo *Lais tricam*, id eſt, leo, qui deuorat; quod nomen latine redditum dictum eſt *Leontinus*, moresque feroces ac leoninos horum barbarorum populorum connotat. Itaque videntur Laeſtrigones, ſiue eorum pars, Siciliam reliquiſſe, et in extimis Campaniae oris ſedem fixiſſe, quemadmodum et Phaeaces Siciliam ſimiliter dereliquerunt, vt ad Corcyram ſe transferrent. Ambigi nequaquam poteſt, Lamum vrbis Formiarum conditorem Laeſtrigonum fuiſſe: nam Lamus ſignificat *deuoratorem*, quod item a verbo Phoenicio *Laham*, ſiue *Lahema* deductum eſt, quod valet *deuorare*. Inde pariter deductum eſt nomen eius celebris reginae Lybiae, quae adpellata eſt Lamia, quod ipſa ventrem grauidarum feminarum diſſecaret, vt pueros comederet, de qua Horatius ait in arte:

Neu pranſae Lamiae viuum puerum extrahat aluo.

Huc igitur ad vrbis portum adpulerunt Vlyſſis naves; qui portus valde bonus commodusque habebatur: Φορμίαι ſiquidem quaſi ὁρμίαι dictae ſunt, teſte Strabone *lib. IV*. διὰ τὸ εὔορμον. Etſi autem bonus erat ille portus, non ita tamen facilis fuit aditu: nam natura praealtis rupibus illum communiuit, ripis ex vtroque latere prominentibus, atque in duo veluti cornua exeuntibus, vnde factum eſt, vt anguſtum praeberet ingreſſum. Socii quidem praeſidentes in portum ingreſſi ſunt, nauesque longo ordine inter ſe iunctas ad terram ligauerunt; nullis enim fluctibus ibi tumebat mare, ſed candida circum erat tranquillitas. At Vlyſſes prudentior factus ex eo, quod ſibi acciderat a Cyclope, portum cum ſua naui ingredi noluit, ſed extremae orae vnius laterum eam alligauit, quod ſibi ſalutem attulit. Si enim cum ſociis portum intraſſet, vna cum iis miſere periiſſet. Cum vero circa hanc vrbem optimis abundet paſcuis, tradit vates paſtorem a paſtore euocari, ποιμένα ποιμὴν ἠπύει εἰσελάων. Cum autem multae ſint huius loci explanationes, ceteris minus aptis omiſſis, hanc vnam damus. Paſtor paſtorem euocat; videlicet paſtor, qui egit oues die, paſtorem euocat, qui noctu

agat armenta. Pro qua re intelligenda ſciendum eſt, ibi aſilos, ſiue tabanos, quae inſecta animalibus minus villoſis eſſe infenſiſſima nemo ignorat, adeo vt aculeis, quos geſtant in ore, ea ſaepe ad furorem redigant. Quapropter villoſa pecora ad paſcua ibi ducit paſtor interdiu, noctu vero alius paſtor ducit glabra, ſiue pilis minus obtecta, quales ſunt boues, equi, ceteraque animalia huiusmodi. Atque hinc lucem plane accipit id, quod ſequitur, videlicet quod vir inſomnis duplicem hic mercedem acciperet, vnam diurnam, nocturnam alteram. Si quis ergo ſomno abſtinens, poſtquam duxit die oues villoſas, ducat iterum noctu armenta glabra, duplicabit quaeſtum. Hic eſt Homeri genuinus ſenſus, quem non videntur adſecuti plerique interpretum, qui Homerum in alias linguas verterunt: non enim vertunt *acciperet*, ſed *accipit*. Priori autem modo vertendum eſſe, qui graecam grammaticam tenet, facile videbit. Data autem opera verba graeca non adferimus, ſubtilius ea diſcutientes, ne iis, qui graece neſciunt, negotium faceſſamus. Quodſi quis graecae linguae ſtudioſus id cognoſcere cupiat, illi praeſto erit noſtra opera, cum domi verbotenus Homeri libros diſcipulis exponemus atque enarrabimus.

Duo autem falſa ex illa praua interpretatione naſci neceſſe ſit; vnum quod ibi ſint paſtores inſomnes, alterum quod ſub cauda Draconis Laeſtrigones ſiti ſint. Sub ea ſiquidem: vt cecinit Aratus, ortus et occaſus ſolis confunduntur,

μίσγονται δύσεις τε, καὶ ἀνατολαὶ ἀλλήλησι.

Si enim hanc poli eleuationem reſpexiſſet Homerus, eique Laeſtrigonas ſuppoſuiſſet, nimis licenter rem immutaſſet; quapropter id Homerum non feciſſe, acute ex Didymo contendit Daceria, nosque cum illa. Nullo enim modo ſeptem dierum ſpatio ab inſulis Aeoliis eo peruenire potuiſſet Vlyſſea claſſis: opus enim fuiſſet ſeptem menſes et plures. Quomodo autem tam pudendam ſubiret hallucinationem Homerus, qui, vt Strabo teſtatur, optime omnium geographiam calluit? Vbi ergo dixit, viam

diei

diei et viam noctis apud Laeſtrigonas prope eſſe, nihil aliud procul dubio dicere voluit, quam eſſe prope vrbem, atque adeo, ſi quis ſomno abſtinere poſſet, facili negotio ad paſcua animalia bis duceret, propter vicinitatem viae, quae conficienda eſt; nam paſcua illa prope ciuitatem ſunt. Nec mirum eſt, eo tempore greges et armenta in vrbe ſeruari, et ad paſcua extra vrbem duci: nam paſtoritiam vitam eius aetatis homines valde amabant, ac proinde ea animalia apud ſe in vrbe retinere gaudebant, fereque in deliciis habebant. Neque vero abſolute dixit vates, paſtores ibi eſſe inſomnes, quod ſequeretur, vt dicebamus, ex ea praua interpretatione, quam refutamus; ſed, ſi eſſent inſomnes; quod, vt patet, aliud eſt. Fieri enim nequaquam poteſt, vt aliquis ſomni expertem vitam traducat, adeo vt ad fabulas ſit amandandum, ſi quis narret, exſtitiſſe nonnullos, qui, dum viuerent, a ſomno prorſus abſtinuerint. Equidem ſcio, quosdam monachos quarto ſeculo adpellatos eſſe in eccleſiaſtica hiſtoria graeco vocabulo acoemetas, videlicet inſomnes. Hi cum didiciſſent ex Chryſoſthomo, oportere diu noctuque operam dari pſalmorum cantui, pſalmos ſine requie et ſomno indeſinenter ceciniſſe perhibentur. Sed hoc ita accipiendum eſt, vt indeſinenter quidam pſallerent; at non ſimul omnes, ſed modo hi, modo illi viciſſim atque ordine, v. g. octoni, deni, viceni, aliis interim quieſcentibus, ſomnoque ſe reficientibus, aut etiam alias vitae neceſſitates explentibus, exacta autem illa orbis circumuolutione iterum ad caput rediretur. Hi acoemetae ipſi ſunt Studitae, ſic vocati, quod quidam nobiliſſimus vir, nomine Studius, inſigne diui Ioannis Baptiſtae coenobium et templum Byzantii aedificauerit.

Iam vero ad propoſitum reuertimur. Adligata naui, quod ſuperius diximus, altam ſpeculam conſcendit Vlyſſes, vt inde locum circumſpectaret. Cum autem nulla adparerent opera ſiue boum, ſiue virorum, fumum tantummodo profſpexit e terra illa proſilientem, ex quo habitatam eſſe coniecit. Itaque duos exploratores miſit vna cum praecone, qui locum atque inſulam cognoſcerent.

Ii vero forte ſibi occurrentem ante vrbem puellam, quae ad aquam e fonte hauriendam veniebat, qui rex in eo loco imperitaret, qui populi parerent, rogauerunt. At puella continuo domum deduxit: ſiquidem Antiphatae, regis Laeſtrigonum, filia erat. Domum ingreſſi ſubito horrore correpti ſunt: vxorem namque Antiphatae conſpexerunt, tanta corporis magnitudine, vt paene montis cacumen exaequaret. Illa ſtatim virum ſuum e foro euocauit, qui repente adcurrens vnum e tribus cepit, ſibique ex eius carnibus prandium adparauit, reliquis duobus ad naues propere refugientibus. Sed monſtrum illud horrendum alios Laeſtrigonas inclamabat, qui confeſtim confluentes gigantea omnes ſtatura ex edito loco ingentes lapides intorquebant in naues, quibus miſere peribant viri, nauesque horribili fragore confringebantur. Mox Laeſtrigones miſeros illos longis quibusdam verubus transadigentes, veluti piſces, attollebant voraturi. Qua tanta feritate Vlyſſes territus, cum et ipſe vita periclitaretur, nullamque ſociis opem ferre poſſet, abſciſſo fune, quo nauis erat adligata, citiſſime fugit, atque ita mortem euaſit, paene omni comitatu deſtitutus: ſolos enim eos ſocios abduxit incolumes, qui ſecum in eadem naui ferebantur, ceteris omnibus vna cum nauibus in teterrimo portu illo miſerrime amiſſis.

Primum omnium in hac narratione, quam ex Homero contraximus, nonnihil de gigantea Laeſtrigonum ſtatura feroque humanis carnibus veſcendi ritu dicendum nobis eſſet: ſed quoniam haec in duobus diſſertationibus, altera de gigantibus, altera de Polyphemo ac Cyclopibus ſatis expendimus, non putamus, eadem eſſe iteranda. Deinde, quod nulla ibi adparerent hominum boumque opera, nequaquam mirum videbitur, ſi conſideremus, Laeſtrigonas, quemadmodum Cyclopes, quorum genus erant, e ſolis gregibus armentisque cibum petiiſſe, nec ſemina terrae tradere conſueſſe. Illud quoque ſpecie tenus abſurdum nobis eſt explicandum, quomodo ſingula tam exacte ſciuerit Vlyſſes, qui a nullo ſociorum, nam ſub Laeſtrigonibus omnes perierant, potuit edoceri? Putat

Dace-

Daceria, edoctum eſſe vel a Circe, vel a Calypſone, ad quas deinde peruenit: ſiquidem cum Deae eſſent, haec omnia nouerant. Cui interpretationi optimae ac ſubtili libenter ſubſcribimus. Quod vero filia regis aquatum iret, ferebant mores eius aetatis longe faciliores, quam noſtri; de qua re alibi diſſeruimus.

Nouum itidem videatur minusque veriſimile, Laeſtrigonas Cyclopum genus ac veluti coloniam ſub rege viuere, cum Cyclopes rege carere, ſingulosque familias ſuas ſupremo iure regere ac gubernare tradiderit vates, vt etiam modo faciunt nonnulli Indiarum populi. Huic etiam difficultati optime mihi videtur occurrere eadem Daceria. Cyplopes namque domos ſuas ſuamque regionem non reliquerant; atque ideo auitum morem facile ſeruabant. At Laeſtrigones cum patriam relinquentes alio multi ſimul concederent, opus fuit, vt omnes vnius imperio parerent. Hinc factum, vt ducem ſibi deligerent, qui tum in itinere, tum etiam Formiis, vbi ſedem deinde fixerunt, regiam in eos poteſtatem exerceret.

Denique non poſſum facere, quin illius ſimilitudinis pulcritudinem admirer, qua ſocios Vlyſſis a Laeſtrigonibus ait longis illis verubus transadactos et e nauibus inſtar piſcium ſublatos: nihil enim puto aptius et concinnius confingi potuiſſe. Hic animaduertite, iuuenes, ſimilitudines non ita frequentes occurrere in Odyſſea, vt in Iliade, quae tantum earum conuenit copiam, vt tamquam nimiam coarguerint nonnulli cenſores, etſi iudicio minus aequo. Non autem quia Homeri virtus refrixiſſet, in Odyſſea pauciores ſimilitudines, quam in Iliade adhibuit, ſed quia argumentorum diuerſitas ita poſtulabat. Quare Longini iudicium hac in parte minime probandum. Non enim vatis aetas modo vigens, modo effoeta in cauſſa fuit, vt viuidior ſit Ilias, remiſſior Odyſſea, ſed ipſarum rerum indoles, quae in vtroque poëmate pertractantur, vt in Odyſſeae praefatione oſtendit optima Daceria, nosque eam ſequentes alibi declarabimus.

DISSERTATIO LIV.

DE CIRCE.

SYNOPSIS.

Summa lib. X. Odyſſeae, qui eſt de Circe. Poëtica licentia ſedem Circes, quae eſt in Latio ad Aeaeam inſulam in Colchide Homerus deportauit. Mons Circaeus ſtagnis circumdatus. Ibi delubrum Circes, etiam noctu colluſtratum ſole. Ciceronis teſtimonium de cultu huius templi. Pontus Euxinus Oceanus adpellatus. Vlyſſes vagatus circa Siciliam. Negant nonnulli, delatum ad Hiſpaniae loca. Circe celeberrima meretrix. Poſt mortem diuinitate donata. Vtrum verum, an fabuloſum, homines a Circe in belluas immutatos. Voluptas etiam feras delinit et domat. Cupido ferarum domitor in gemmis. Poculum medicatum voluptatem ſignificat. Virgam Circes et caduceum Mercurii ad imaginem virgae Moſaicae confinxerunt ethnici. Antidotum, cui nomen Moly, Mercurius praebet Vlyſſi, vt hepar piſcis et ſuffimentu Tobiae angelus. Moly radix in Aegypto naſcitur. Nihil tutius aduerſus ſagas animi confidentia atque audacia. Explicatur Mercurii conſilium de concubitu. Moly etiam eruditionem et ſtudium literarum ſignificat. Adoleſcentibus Moly hoc neceſſarium. Difficiliorum linguarum ſtudium a noxia voluptate validius defendit iuuenes. Exemplum Hieronymi. Hortatio ad graecum ſtudium.

Sedes atque incantamenta Circes, ſociorum Vlyſſis in belluas transformatio, remedium, quo Vlyſſes ſagae praeſtigias eludit et ſociorum in priſtinam formam reſtitutio non illepidam, neque expertem bonae eruditionis materiem hodierno ſermoni ſuppeditabunt, ornatiſſimi auditores. Cum tamen, quae de Circe narrat Homerus, paſſim in ſuis carminibus attingant Virgilius, Ouidius, Horatius, aliique vates, quos in latinis gymnaſiis teritis, optimi adoleſcentes; ratus ſum, non oportere huiuſcemodi narrationem a me ſubtilius exponi, ſed ſufficere, ſi ſumma ſequar faſtigia rerum, commemoremque, Vlyſſem poſt euitatos Laeſtrigonas, ad inſulam Aeaeam fuiſſe de-

vectum, ibique aliquos ſociorum ad explorandum locum praemiſſos, Circen medicato poculo et percuſſione virgae in bruta animalia transformaſſe, vno elapſo Eurylocho, qui pedibus perfugium reperit, luctuoſiſſimumque factum non de auditu, ſed a ſe viſum, Vlyſſi nunciauit; quare Vlyſſem ad liberandos ſocios illico adcurriſſe et remedio, cui nomen Moly, a Mercurio, qui ſibi in itinenere obuius fuit, praemunitum teterrimum veneficae faſcinum a ſe depuliſſe, receptisque ſociis penes eam ſolido anno eſſe commoratum.

Iam vero ea, quae luce indigent, illuſtremus, vt probe decimum hunc Odyſſeae librum poſſitis intelligere, adoleſcentes. In primis videndum, quis locus ille reuera eſſet, quem tenebat Circe. Inſulam Aeaeam vocat Homerus narratque, in Oceano eſſe ſitam. Sed non eo peruenit Vlyſſes, neque Aeaea in Oceano ſita eſſe videtur, cum ad Colchidem pertineat in receſſu Ponti Euxini. Quomodo ergo pugnantia haec inter ſe concilientur? Nimirum ea fultus poteſtate, quae poëtis omnibus conceſſa eſt, vt rem faceret mirabiliorem, ſedem Circes, quae in Latio poſita erat prope Formias ad Aeaeam deportauit, quae ſedes Medeae fuerat. Neque id abſurde confingit. Cum enim Circe et Medea cognatae fuerint; nam ab Aeate, fratre Circes, progenita Medea eſt: non improprie, neque inuenuſte, quae de vtraque ferebantur, permiſcuit et confudit. Ceterum promontorium illud Latii, vbi Circe habitaſſe fertur, etiam nunc antiquo retento nomine Circeum nuncupatum, non male inſulam dixit vates, vtpote quod ſtagnis ferme ſit circumdatum. Neque mirum, quod hanc inſulam Aurorae domicilium vocet, et in ea ſolis ortum collocet, etſi illa ad veſperum vergat; nam cum mons Circeus altiſſimus eſſet, aiunt, delubrum Circes nocte etiam ſole fuiſſe colluſtratum, hoc eſt, ibi lucem matutinam albeſcere coepiſſe, cum nondum cetera loca nocturnae tenebrae deſeruiſſent. Vetuſtiſſimum autem delubrum illud adhuc Ciceronis aetate, ipſomet teſte luculentiſſimo, magna cum religione colebatur. At quo iure, inquitis, Pontum Euxinum et mediterraneum mare

Oceanum Homerus adpellet? Quia, vt perhibet Strabo, mari etiam huic Oceanus, nempe exterior, nomen fuit. Quod mare mediterraneum numquam egreſſus eſt Vlyſſes; qui ferme circa Siciliam vagatus et eo locorum erroribus actus. Suntque qui credant contendantque, neque ad Hiſpaniae oras, quod tamen adfirmant plerique, fuiſſe delatum; neque Vlyſſiponem Luſitaniae caput ab antiquo illo Ithacenſi, ſed ab alio Vlyſſe recentiori nomen accepiſſe, quod idem dicunt de aliis Vlyſſeis veſtigiis, quae in Hiſpaniae oris ad haec tempora permanere iactantur: ſunt enim plures Vlyſſes. Ceterum Circe haec celeberrima fuit meretrix et, vt ridicula ac corrupta erat ethnicorum religio, diuinitate poſt mortem donata eſt, templumque illi excitatum, quemadmodum Thaidi, Florae, permultisque aliis huiusmodi inquinatiſſimis peſtibus.

Quid vero de virtute ſentiendum, qua pollere dicta eſt a poëta homines in belluas conuertendi? Ioannes quidem Spondanus multus in hac diſputatione eſt, vtrum verum ſit, an fabuloſum, potuiſſe Circen aliasque veneficas homines in animalia permutare. Multa adfert ad eam ſententiam confirmandam, quae veram adſerit prodigioſam illam permutationem, ac praeter rationes, quas ſubtiliter expiſcatur, auctoritatem pro ſe facere credit Auguſtini, Petri Damiani, Thomae aliorumque ſcriptorum grauiſſimorum. Sed cum mihi haec ſententia non ſedeat, quod ad pleraque, quae Spondanus adfert, admittenda ſim durior, potius exiſtimem, figurato ſenſu poëtam eſſe locutum, idque tantum docere voluiſſe, quod turpis illa corporum voluptas de gradu ſuae dignitatis homines deturbet, et probroſam quaſi belluarum conditionem ſubire cogat. Fingit vero admodum concinne ac ſapienter, animalia illa, in quae homines tranſierant, ſiue leones, ſiue vrſi eſſent, natiuae feritatis oblita mirum in modum miteſcere, quod ſcilicet voluptas feras etiam deliniat et domet. Quod vt veteres exprimerent, Cupidinem ferarum domitorem variis in gemmis ſcalpſerunt, quarum vnam longe pulcherrimam Plotarchi opus in altero Florentini muſei

ſei volumine videre licet, in qua aliger ille puerulus, vt doctiſſimus interpres exponit, abiecto arcu et ſagittis inſidens leoni immani rictu et iubis ſuperbienti, ſolo citharae cantu e ſaeuo ac feroci mitiſſimum ſibique familiarem reddit.

Sed iam medicatum poculum, quo Circe vertebat homines in belluas animaduertite, in eoque voluptatem a vate ſignificatam nequaquam ambigite. Non praetereundum, quod epoto cyatho miſeros illos venefica percuteret virga. Quod liquet ad imaginem Moſaicae virgae eſſe confictum, cuius certe fama Graecos non latuit, vtpote quae tam noua atque inſolita ederet miracula. Sed et Mercurii caduceum virgae illius ſimilitudine effinxerunt ethnici, cuius mirificam vim pluribus in locis deſcripſit noſter Homerus, et ex Homero Virgilius *Aeneid. lib. IV.*

Tum virgam capit; hac animas ille euocat Orco
Pallentes; alias ſub triſtia Tartara mittit,
Dat ſomnos adimitque, et lumina morte reſignat.

Ab Euryloco igitur, qui repente, vt dictum eſt, ſe proripuerat, ſociorum calamitatem edoctus, Vlyſſes ad ferendam illis opem audacter occurrit. Quamquam autem in toto nauigationis curſu Deos videretur habere infenſos, hic tamen Mercurii beneuolentiam experitur, a quo antidotum aduerſus Circes veneficia et ſalutaria monita, quemadmodum aduerſus eam ſe gerere deberet, accepit. Sic et angelus hepate piſcis et ſuffimentis quibusdam Tobiam inſtruxit, quibus vteretur ad malignum ſpiritum depellendum, qui ſeptem illius puellae viros, quam Tobias duxit, occiderat. *Tob. cap. 5.* Locum hunc de Moly, ſic enim vocat antidotum a Mercurio Vlyſſi praebitum, expreſſit Ouidius *Metamorph. lib. XIV.* Itaque quid melius facere poſſim, quam eius carmina elegantiſſima loco enarrationis vobis adferre?

Pacifer huic dederat florem Cyllenius album,
Moly vocant Superi, nigra radice tenetur.
Tutus eo, monitisque ſimul caeleſtibus intrat
Ille domum Circes, et ad inſidioſa vocatus

Pocula,

Pocula, conantem virga mulcere capillos
Reppulit, et ſtricto pauidam deterruit enſe.
Inde fides dextraeque datae, thalamoque receptus
Coniugii dotem ſociorum corpora poſcit.

Radicem illam in Aegypto naſci ferunt, cuius virtutem putat Spondanus intellexiſſe Homerum, qui ab Aegyptiis, apud quos diu commoratus, factus ſit doctior. Narratque idem Spondanus, ipſum Homericum Moly a Melchiore Guillandino, qui medicinam Patauii faciebat, inter ſua cariſſima cimelia reconditum et accuratiſſime ſeruatum. Equidem ſuperſtitioſam atque inanem cenſeo Moly huius facultatem, quam Aegyptii iactabant; eam tamen ex eis acceptam Homerus huic loco optime accommodauit. Mercurium vero Vlyſſi praecipientem inducit, vt arreptum gladium in triueneficam illam intendat, quia aduerſus ſagarum incantationes aiunt nihil eſſe tutius animi confidentia et audacia. Quod autem Mercurius addit conſilium, vt nempe vbi in eam enſe irruerit et pertimeſcentem adſpexerit, concubitum, quem ab eo petat, non renuat, laedit non parum pudicum lectorem. Sed id non Homero crimini dandum, ſed vitioſae doctrinae morum inquinataeque religioni gentis ſuae. Viri enim cum femina concubitum nequaquam criminoſum habebant ethnici, niſi quando adulterii ſcelus accederet alienaeque coniugi adferretur vitium. Itaque cum Mercurius Vlyſſem moneat, vt caute cogitateque cum Circe, ſoluta femina, commiſceatur, eumque in finem, vt ſibi beneuolam faciat ſociosque ſoluat ferinis formis illigatos, conſilium valde bonum atque vtile ex illis principiis ſuggerere videtur. Quodſi euangelii luce, quae deinde ſingulari diuini numinis beneficio nobis adfulſit, nefarium nouimus omnem, quem legitimae nuptiae non permittant, concubitum, Chriſto potius agendae gratiae, qui nos de tenebris in admirabile lumen ſuum vocauit, quam Homero ſuccenſendum, qui bene ac laudabiliter in manca illa ac tenebricoſa ſapientia ſe geſſit. Quamobrem iniquior in hunc vatem fuiſſe Spondanus dicendus eſt, dum illum grauiter arguit obiurgatque, quod Mercurium conſilium illud

illud tradentem fecerit. Hanc profecto doctrinam, quam modo expoſuimus, ſecutus Horatius, et ipſe ethnicus, Vlyſſem vehementer laudat, quod ſobrie ac prudenter cum Circe coierit, non ſtulte effuſeque, vt ſocii:

Sirenum voces, et Circes pocula noſti,
Quae ſi cum ſociis ſtultus cupidusque bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet turpis, et excors
Vixiſſet, canis immundus, vel amica luto ſus.

His igitur, quantum potuimus, expenſis ad expediendos difficultatum, quae in hac fabula occurrebant, implexos nodos, nunc liceat mihi ad veſtram vtilitatem, optimi adoleſcentes, Moly illud ſaluberrimum, quo a dolis Circes Vlyſſes eſt ſeruatus, parumper repetere. Etſi enim ſuperius obſeruauimus, tamquam amuletum aduerſus ſagae incantationes efficax iuxta Aegyptiorum doctrinam ab Homero proponi, putamus tamen, alio reſpexiſſe ſapientiſſimum vatem, et ſub extimo fabulae cortice bonam vtiliſſimi documenti latere medullam. Haec igitur enucleanda. Μῶλυ ἡ παιδεία, ſapientiſſimus ait interpres Euſtathius, id eſt, *Moly eruditio,* ſiue *literae.* Nihil igitur melius ac potentius a noxia voluptate, in Circe eiusque poculo expreſſa, vos ſeruabit incolumes, ornatiſſimi iuuenes, quam eruditionis cura, et acre ac vehemens literarum ſtudium. Eſt nimirum haec nobiliſſima digna occupatio, inimica blandimentis voluptatis: nec eſt, cur arbitremini, poſſe quemquam explendae libidinis cupiditate magnopere commoueri, quem grauiſſimarum ac pulcherrimarum rerum curae ſibi vindicarunt. Atque eo magis hoc remedio indigetis, adoleſcentes, quo procliuior eſt ebulliente ſanguine et exaeſtuante ſpirituum vi aetas veſtra ad exitiabiles voluptates. Itaque ne cereos in vitium flecti obſcoena ad ſe pertrahat libido, peſſumdet, perimat, ſubſidio vobis ſapientiae amorem comparate: ea enim incuſſo robore ſuo imbecilles ac nutantes firmabit figetque. Ne placentium vitiorum gurgites ac voragines vos abſorbeant, ad tranquillum, tutiſſimumque portum, quem literae vobis praebent, contendite. Ne omni clade vos

premat,

premat, omni calamitate obruat, teterrimoque veneficio non corpus, ſed potiorem veſtri partem, animum inquam, transformet, et ad belluarum turpitudinem transferat voluptas noxia, vera ſane, non ficta, Circe, literarum remedium, ſapientiae Moly, quod vobis hodie melior Mercurius adfero, arripite, amplectiminor, vtiminor. Quinimmo ſinite, vt veſtram generoſam indolem animadvertens, non ad capeſſenda quaeuis literarum ſtudia facilia ac plana, quibus de praua voluptate triumphetis, vos horter; ſed ad ea, quae ſiue ignauorum, ſiue hebetum adoleſcentium vulgo inacceſſa ſunt ac terribilia. Difficiliores enim literae praeſtantiſſimis ingeniis veſtris conuenientes ſunt, et ad validius refrenandam debacchantem illam cupiditatem, pudoris ac virtutis inimicam, quae pleroſque adoleſcentium transuerſos agit, aptiſſimae. Maxime vero eruditarum linguarum ad diſcendum perdifficilium ſalebroſa ſtudia iuueniles annos a voluptatum illecebris mirum in modum defendere poſſe videntur, atque in pulcherrimo honeſtiſſimoque pudicitiae propoſito ſolidare. Sed quoniam magis quam verba ſaepe ſolent exempla animos permouere, praeſertim ſi praeclara ſint ac graviſſima, vnum accipite, praeclariſſimi iuuenis, Hieronymi illius, doctrinae morumque ſanctitatis pari laude ſummi, haec de ſe ipſo, quae ſuis referam verbis, teſtantis. „Dum eſſem, inquit, iuuenis, ac ſolitudinis me deſerta „vallarent, incentiua vitiorum, ardoremque naturae ferre „non poteram, quem cum crebris ieiuniis frangerem, „mens tamen cogitationibus aeſtuabat. Ad quam edo„mandam cuidam fratri, qui ex Hebraeis crediderant, me „in diſciplinam dedi, vt poſt Quinctiliani acumina, Cice„ronis fluuios, grauitatemque Frontonis, et lenitatem Pli„nii, alphabetum diſcerem et ſtridentia anhelantiaque ver„ba meditarer. Quid ibi laboris inſumſerim, quid ſuſti„nuerim difficultatis, quoties deſperauerim, quotiesque „ceſſauerim, et contentione diſcendi rurſus inceperim, „teſtis eſt tam conſcientia mea, qui paſſus ſum, quam „meorum, qui mecum duxerunt vitam, et gratias ago do„mino, quod de amaro ſemine literarum dulces fructus „capio."

„capio." Audiſtis, iuuenes, quomodo ad retundendum naturae in libidinem ſe propellentis ardentem impetum, exiſtimauerit Hieronymus, arduum Hebraicae linguae ſtudium eſſe ſibi arripiendum? Quod de hebraica lingua teſtatus eſt Hieronymus, idem plane de graeca, ad cuius amorem hoc primo huius anni ſermone excitare de more vos debeo, ipſe vobis veriſſime teſtabor et pollicebor, optimi iuuenes. Equidem huius Moly amaram eſſe radicem vltro fateor, qualis etiam illius, quod Vlyſſi praebuit Mercurius: ſed ſtultum eſſet, hoc amarore breui duraturo deterreri ac labefactari magis, quam futura dulcedine, quae omni melle ſuauior eſt, ceteriſque voluptatibus longiſſime praeſtat, et quam ſe expertum Hieronymus dixit, adlici atque irretiri.

DISSERTATIO LV.

DE CIMMERIIS.

SYNOPSIS.

Vndecimus Odyſſeae liber νεκυομαντεία dictus. Duae Cimmeriorum gentes. Vna in Italia ad Baias; altera ad Pontum Euxinum. Vrbs Cimmericum. Cimmeriae tenebrae. Tireſiae apud inferos mens firma. In tres partes diſpeſcitur homo in morte ex doctrina Aegyptiorum. Doctrinam hanc tutati ſunt Platonici, atque etiam veteres chriſtiani patres defendiſſe dicuntur. Explicatur ſenſus Pauli et Chriſtianorum patrum. Herculis idolum in inferis; Hercules ipſe in coelo. Ouidius quatuor partes agnoſcit in homine. Mortuorum animas adſcititio corpore aëreo conueſtit Dantes. Tireſias ſolus mortuorum ſapit; ceteri ſunt vmbrae euanidae. Duo hinc enata adagia. Homerus nequaquam caecus natus eſt. Eius modeſtia aduerſus Spondanum defenſa. De foſſa, quam iubetur Vlyſſes effodere in aditu inferorum. De cupiditate animabus inſita bibendi ſanguinis victimarum caeſarum. Exſertum enſem manes pertimeſcunt. Achilles mortuis imperat. Seruilem in terris vitam imperio mortuorum praeponit. Ob id a Platone Homerus expulſus e republica. Neque Spondanus, neque

que Daceria recte videntur locum hunc eſſe interpretati. Melius exponitur, ſi dicatur Achillis vmbra deſipere. Fertur Virgilius ornatiores Homericis ſuos inferos feciſſe, Danteſque ſuis viciſſe Virgilium.

Aptiſſimo titulo vndecimum Odyſſeae librum, in quo hodie occupabimur, νεκυομαντείαν, hoc eſt, vaticinium ex mortuis veteres inſcripſerunt. Ad conſulendum namque Tireſiae manes ad inferos iuſſu Circes Vlyſſes deſcendit. Multa ſane obſeruanda occurrunt in hoc tetro horridoque Vlyſſis itinere, ex quibus nonnulla, ſeu magis implicata, ſeu magis digna eruditione veſtra, optimi iuuenes, ſtudioſe ſeligam, et praeſenti diſputatione expediam.

Primum omnium de loco, vnde ad inferos deſcendebatur, dicendum; qui iuxta fines Oceani, vbi ſunt populi Cimmerii, a poëta conſtituitur. Duas eſſe Cimmeriorum gentes, tradunt ſcriptores, quarum vna Italiam incolebat ad Baias iuxta lacum Auerni, vbi Sibyllae antrum eſſe ferebatur; altera degebat iuxta Pontum Euxinum, quem Oceani nomine apud antiquos ſaepe vocari ſuperiori diſſertatione animaduertimus. Ibi Cimmericum vrbs fuit in peninſula iacens, iſthmum foſſa et aggere claudens. Magna olim exſtitit horum Cimmeriorum in Boſporo potentia, qui Boſporus de eorum nomine dictus eſt Cimmerius. Hi ſunt, qui regionis continentis a dextra Ponti ſitas vsque ad Ioniam, teſte Strabone, incurſionibus vexauerunt. Inclinationem vero regionis, ſiue, vt aiunt, clima, in qua habitabant Cimmerii, per ambages poëtico ritu ſignificare volens eſſe caliginoſam, ad hunc modum Cimmerios deſcripſit:

> Ἠέρι, καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέ ποτ᾽ αὐτοὺς
> Ἠέλιος Φαέθων ἐπιδέρκεται — — — —
> Ἀλλ᾽ ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται.

> *Hos aër nebulaeque tegunt, neque ſplendidus vmquam*
> *Illuſtrat radiis, et puro lumine Titan;*
> *Sed triſtes noctis ſeſe extendere tenebrae*
> *Deſuper.* — — — —

Itaque

Itaque cum noſſet Homerus, Cimmerios hoſce verſus Septemtrionem habitare ad Bosporum Cimmerium loco tenebricoſo, eo tranſtulit Cimmerios Italiae, vtpote qui et ipſi ſub coelo degant caliginoſo, nebulisque ferme contecto, atque hinc aditum ad inferos in Vlyſſea peregrinatione commentus eſt. Profecto ex antro illo Sibyllae, quod ſupra memorauimus, patere ad Orcum deſcenſum, vulgo creditum eſt, cuius rei Virgilium habemus teſtem, qui illinc ad inferos ſuum demiſit Aeneam. Praeterea ferunt, populos illos interdiu in ſuis cauernis latitare conſueſſe, noctuque egredi, vt vicinos expilarent. Scimus etiam, locum ſiluis plenum fuiſſe, ex quibus omnibus Cimmeriarum tenebrarum fama, quae in adagium abierunt. Videtis. iuuenes, quam apte concinneque locum, ex quo ad inferos deſcendatur, confinxerit Homerus. Et haec quidem, vt puto, longiori non indigent explanatione.

Porro difficultas longe maior ineſt in eo, quod ait Circe de Tireſia, vbi qualis quantusque vir ille ſit apud inferos, Deorum priuilegio, narrat Vlyſſi; videlicet mentem illius illic vigere ac firmam eſſe, neque vt ceterorum euanidam, *τοῦτε φρένες ἔμπεδοί εἰσι.* Quod vt plane intelligatur, ad Aegyptiorum doctrinam, quam hic ſequitur Homerus, eſt confugiendum. Tres in homine partes ſtatuerunt Aegyptii, docebantque, trifariam in morte illum diſpeſci, ita vt pars omnino terreſtris, hoc eſt, corpus craſſum, brutum, omnique anima vacuum in terris remaneret; pars omnino ſpiritualis, videlicet mens, rediret ad coelum, vnde fuerat diuulſa; pars vero media, ſiue corpus ſubtile, dilaberetur ad inferos. Partem dixi mediam, quod nonnihil retineret corporis, nonnihil mentis. Corporis ſiquidem omnimodam retinens ſimilitudinem, erat quaſi quaedam ipſius imago, ſiue idolum. Mentis item aliqua ſeruans impreſſa veſtigia, viuere, cognoſcere, intelligere poterat. Itaque hinc colligitur, euanidos eſſe manes, quod mens ipſa auolarit, neque aliud in eis remanſerit, quam quaedam, ſi ita loqui fas ſit, mentis ad locum ſuum profectae inanis quaſi ſiliqua. Colligitur etiam,

iam, corpus illud tenue, ſiue potius leuem corporis vmbram plena voce non vti, non adprehendi, non contrectari poſſe. Ex quibus ita expoſitis plura tum Homeri, tum Virgilii loca lucem accipiunt, vt illud *Aeneid. lib. VI.*

> — — — *pars tollere vocem*
> *Exiguam, incoeptus clamor fruſtratur hiantes.*

Item et illud *ibid.*

> *Ter conatus ibi collo dare brachia circum,*
> *Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago*
> *Par leuibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.*

Et Homerus paſſim vocat mortuos εἴδωλα καμόντων, tum etiam ἀμενηνὰ κάρηνα, debilia capita, vixque exſiſtere valentia. Hanc ſententiam, tres in homine partes diſtinguentem, tutati ſunt Platonici fere omnes. Tradiderunt enim, ſpiritu, anima et corpore conſtare hominem: corpore, craſſa nempe parte ac terreſtri; anima, hoc eſt, corpore ſubtili, quale modo expoſuimus, quod nihil concreti, nihil ſolidi habeat, nihilo tamen minus corporis ſpeciem prae ſe ferat; ſpiritu, hoc eſt, mente, parte pura ſimplicique, et materiei prorſus experte. Quinimmo et complures chriſtianorum patrum, quibus arriſit Plato, in eadem feruntur fuiſſe ſententia, locusque ex Paulo adducitur, qui et ipſe ſentire idem viſus eſt priore ad Theſſalonicenſes epiſtola *cap. V*, 23. vbi ait: *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter et anima et corpus ſine querela in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.* Τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα. Puto tamen, pro vna eademque re ſumſiſſe Paulum τὸ πνεῦμα καὶ τὴν ψυχὴν, *ſpiritum et animam*, ita vt ſanctiſſimi apoſtoli auctoritate abuti videantur, qui ex eius verbis argumentum elicere volunt ad trium illarum in homine partium diuiſionem comprobandam, ab Aegyptiis, Homero ac Platonicis traditam. Ad eumdem plane modum verba patrum interpretanda eſſe contendo, vbi cum Platone de animae ac ſpiritus diſtinctione ſenſiſſe perhibentur.

Inſtar

Inſtar omnium vnus ſit Athanaſius, qui haec habet in oratione contra gentes: *Oculorum eſt tantum videre, aurium audire, oris guſtare, narium olfacere, manuum tangere: ſed quae videre, audire, tangere guſtare et olfacere conueniat, non ſenſuum, ſed animae, eiusque mentis eſt diiudicare*, ψυχῆς καὶ τοῦ ταύτης νοῦ. Nonne clare liquet, cum animam eiusque mentem nominat, vnum indiuiduum ſpiritum a ſapientiſſimo viro intellectum eſſe, et ad orationis ornatum vocabulum illud duplex adhibitum.

Sed iam ad Homerum reuertor, cuius de mortuorum animabus earumque in inferis ſtatu explicata doctrina diligenter eſt animaduertenda. Quod niſi fiat, quis illud intelligere poterit, quod de Hercule refert Vlyſſes, ſe nempe Herculeam vim, hoc eſt, Herculis idolum apud inferos vidiſſe; ceterum ipſummet Herculem in coelo cum beatis Diis degere, eorumque conuiuiis oblectari:

Τὸν δὲ μετ᾽ εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην
Εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ᾽ ἀθανάτοισι Θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίῃς. — — —

At Ouidius non tria tantummodo, vt Homerus et Platonici, ſed quatuor agnoſcit in homine, quae hiſce verſiculis complexus eſt.

Bis duo ſunt hominis, manes, caro, ſpiritus, vmbra:
Quatuor iſta loci bis duo ſuſcipiunt.
Terra tegit carnem, tumulum circumuolat vmbra;
Orcus habet manes, ſpiritus aſtra petit.

Noſter Dantes mortuorum animas, ſiue aeternis poenis addictas, ſiue luſtrali igne expiandas, antequam ad inferos deſcendant, adſcititio corpore aëreo conueſtit, ad veri corporis ſimilitudinem penitus figurato, in quo tum recognoſci, ſi forte ſe videndas obtulerint; tum ſupplicio adfici valeant, et pro criminum ratione torqueri.

Sed quid de Tireſia, Thebano vate? Cum ad ſciſcitandum ex illo vitae ſuae futuros caſus Circe mitteret Vlyſſem, quod deinde imitatus Maro Aeneam euntem facit ſimiliter ad inferos, vt ob eamdem rem manes An-

 chiſae

chiſae patris conſuleret, de eo perhibet, quod adhuc valida frueretur mente, vnusque mortuorum ſaperet; ſic caecitatis damnum, quod diuinus vir patiebatur, rependere volentibus Diis hoc dono, quod ei ſoli, praeterea nemini, conceſſerunt. Neque ambigendum reor, haec ideo confinxiſſe Homerum, vt fidem vaticinio illius adſtrueret, ea, quae Vlyſſi euentura eſſent, animo integro et ſoſpite praecinentis. Neque erit inutile, Tireſiae priuilegium, duobus verſiculis comprehenſum, adferre:

Τῷ καὶ τεθνειῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια
Οἴῳ πεπνύσθαι. τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι.

Ille ſapit ſolus; mentem Proſerpina ſoli
Defuncto tribuit; reliqui volitant velut vmbrae.

Huc reſpexit Cicero de diuinatione *lib. I.* cuius haec ſunt verba: *De Tireſia etiam apud inferos Homerus ait, ſolum ſapere, ceteros vmbrarum vagari modo.*

Ex hoc Homeri loco duo prodierunt adagia. Vnum eſt: *Solus ſapit.* Quod paſſim apud ſcriptores ſummos de viro eximio, et prae aliis docto, et prudente legitur. De Scipione dictum inuenies apud Plutarchum, de Chryſippo apud Diogenem Laërtium; vt ſileam, vſurpaſſe illud Platonem, Ariſtotelem, Dionem Chryſoſthomum, Lucianum, Maximum Tyrium, Baſilium Magnum, aliosque non paucos, qui tam praeclarum atque inſigne praeconium alius alii tribuerunt. Cenſuit Iacobus Duportus, adeo illuſtri ornatum encomio Tireſiam ab Homero, eum ſolum inter omnes Orci incolas maneſque ſapientem adpellante, quod ſe ipſum ſub Tireſiae nomine commendare voluerit; quandoquidem et ipſe τυφλὸς ἀοιδός, caecus vates, fuit. Sed Duporti opinionem, vt omnino falſam, reiicio; tum quia caecum natum eſſe Homerum minime credendum; quomodo enim tam graphicis coloribus, quae non vidiſſet, deſcriberet, praeſertim cum tot ac tanta, tamque diuerſa ſint, et ad omne rerum genus pertinentia, quae deſcripſerit? tum quod tam ſingulari modeſtia fuerit, vt nomen ſuum, ſuum genus, ſuam patriam numquam protulerit, quae certe praedicaſſet, vt alii poſt illum

illum vates glorioſiores fecerunt, ſi pulmoni morbus ille ſeſe oſtentandi inſediſſet. Alterum adagium, ex iis verbis enatum; τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι, *reliqui volitant velut vmbrae*, Σκιὰ enim apud Graecos, et *vmbra* apud Latinos de re nihili et nullius momenti παροιμιακῶς vſurpatur. Sic ὄνου σκιά, *aſini vmbra* in Demoſthenis apologo, σκιᾶς ὄναρ *ſomnii vmbra* apud Pindarum, καπνοῦ σκιὰ *fumi vmbra* apud Sophoclem, ἄρτου σκιὰ *vmbra panium* apud Athenaeum. Non illepide igitur σκιὰς ἀνθρώπων, *vmbras hominum*, adpellabimus homines vanos, leues, viles, nullius virtutis, nullius doctrinae, otio torpentes, vitae tenebras conſectantes, quos etiam ſolemus dicere *nebulones;* non pluris ſiquidem ſunt, quam vmbra aut nebula.

Quoniam vero Circe, poſtquam Vlyſſem de Tireſia commonefecit, praecipit, vt ſecum adducat victimas, in ipſo inferorum aditu foſſam effodiat, impleatque ſanguine caeſarum victimarum, neque ſinat exſerto gladio accedentes animas ex eo libere, niſi prius interrogauerit, illaeque reſponderint; de his quoque diſſerendum. Tradit Porphyrius, priſcis non ſatis ex dignitate viſum eſſe, ſepta parietibus loca coeleſti numini dedicare, adeo vt ea ſolis manibus dedicarent, quaſi domos quasdam mortuorum; ſed cum antiquato vetuſto ritu Diis templa coepiſſent erigi, araeque religioni conſtitui, tunc heroibus focos, manibus et ſubterraneis Numinibus foſſas et megara, id eſt, aedes eſſe attributas. Qui Porphyrii locus aperte nos docet, cur inferos aditurus, manesque placaturus, foueam iubeatur a Circe Vlyſſes effodere. Enſem ſtrictum, quo prohibentur ad foueam accedere, manes pertimeſcunt, quia non amplius homines ſunt, quales fuerunt, ſed hominum vmbrae quaedam inanes ac ſubuentaneae, vt modo dicebamus. Quia vero ſanguine vita ſuſtentatur, et carnis anima in ſanguine eſt, vt ſacrae etiam literae docent, idcirco Homerus vmbras mortuorum facit ad hoſtiarum ſanguinem hauriendum cupidiſſime irruentes, vtpote quae amiſſae vitae deſiderio teneantur. Sed vetat Vlyſſes, vt ſtatim bibant, propoſito potu

illo, reſponſorum, quae ab eis ſollicite poſtulat, quaſi pretio.

Cum acceſſiſſet ad foueam, poſt plures alias, vmbra Achillis, occaſionem arripit poëta illum prae ceteris honorandi. Vt enim obſeruat Spondanus, ne mortuum quidem deſerit, eiusque laudi et gloriae omnibus modis velificari nititur. Itaque Vlyſſem inducit de eo dicentem, non ſolum inter viuos principem omnium Achillem exſtitiſſe, ſed eadem inter mortuos auctoritate frui, quibus imperare dici. Quaſi nihil ſit, aut ſane parum, tantum heroa apud viuos hac eminentia exſtitiſſe, ſi eadem illi apud mortuos non propagaretur. Cum autem ſe vita orbatum eſſe iniquo animo ferret Achilles, decus hoc ſibi collatum mortuis imperitandi ad eum conſolandum magnopere extollit Vlyſſes. Sed quod Achilles reſponderit, ſe pauperem et egenum, ſeruilemque vitam huic imperio animarum anteponere, ex eo Spondanus colligit, non agnouiſſe Homerum vulgaria illa mortis lenimenta ex humanarum calamitatum liberatione, aut ex felicitatis, quae poſt mortem poſſit contingere, reſpectu, adeoque placuiſſe ſibi huius lucis vſuram, vt nihil apud inferos tam beatum, aut regium et magnificum ſit, quod ei comparandum exiſtimet. Dictum autem illud tam indignum heroë putauit Plato, tamque indecorum, vt ob id maxime Homerum e republica expuliſſe feratur. Certe hic locus mire torquet interpretes, qui, vt tantum vatem defenderent, et extra culpam ponerent, alii aliud comminiſcuntur. Credidit Daceria, optimo vſum eſſe artificio poëtam, dum facit Achillem mortuum diuerſum ab Achille viuo. Inducens ſiquidem Achillem viuum, gloriam ac famam nominis longaeuae vitae praeferentem; mortuum vero ſeruilem magis optantem in terris vitam, quam mortuorum imperium, Achillem veluti geminat, et inter vtrumque Achillem lepidam inſtituit pugnam; praeſertim cum mirum non ſit, ſi quis mortuus aliter ſentiat, ac ſentiret viuus: quid enim tam contrarium, quam vita morti? Equidem neque Daceriae, neque Spondano, neque aliis adſentior. Exiſtimo enim, ita loquentem inductum

ductum ab Homero Achillem, tum quia omnes mortuorum animas naturae inſtinctu auidiſſimas vitae facit, adeoque maxima illa bibendi ſanginis cupiditate incenſas, quam modo obſeruabamus; tum quia, qui ſic loquitur, non integer Achilles eſt, ſed Achillis vmbra: quare quid abſurdum, aut decoro aduerſum, ſi forte Achillis vmbra de vitae gloriaeque amore diſſerens, deſipiat, cum apud inferos ſolus Tireſias ſapiat? Haec ſi vobis interpretatio arrideat, optimi auditores, mihi placeo, quod eam primus, vt reor, ſim expiſcatus. Ne miremini autem, ſi de ſuppliciis ſontium, deque heroum ſede nihil expoſui: plana enim ſunt omnia, et ſimilia habet Maro: niſi quod aliquibus viſus eſt Virgilius ampliores atque ornatiores Homericis ſuos inferos concinnaſſe; et rurſus Virgilium viciſſe ſuis noſter Aligherius.

DISSERTATIO LVI.

DE SIRENIBVS PLANCTIS SCYLLA ET CHARYBDI BOBVSQVE SOLIS.

SYNOPSIS.

Praeceptum Ariſtotelis de veriſimilitudine, quam ſequi debent poëtae in narrandis iis, quae eſſe nequeunt. Harum duo genera explicantur. Vlyſſis ars, ne a Sirenibus caperetur. Tres apud alios Sirenes, at duae tantummodo apud Homerum. De Sirenum ſede teſtimonium diui Hieronymi. Inſula Sirenuſae e regione Surrenti. Sub Sirenum imagine noxiae voluptates depictae. Siren ἀπὸ τῆς σειρᾶς dicta. Poëtarum carmina de Sirenibus citantur. An haec marina monſtra reuera exſtiterint, et adhuc exſtent. Cur cantus ſuauitatem iis attribuerit Homerus. Hortatio ad iuuenes, ne ſe irretiri ſinant noxiarum voluptatum illecebris. Salomonis grauiſſima monita. Sirenes in prato ſedentes, quod aceruo humanorum oſſium circumdatur. Planctae, ſiue Cyanea ſaxa. Scyllae et Charybdis deſcriptio. Vtrum Charybdis vndas abſorbeat, et reſorbeat ter in die, an bis. Quantos pro-

progreſſus ars nautica fecerit, quae duos illos ſcopulos, toti antiquitati terribiles, nunc deridet. Boues ouesque Solis in inſula Trinacria. Inſcio Vlyſſe ſocii vrgente fame boues aliquot mactant. Ob hoc ſcelus procella excitata, nauisque Vlyſſis fulmine percuſſa. Vlyſſes ad inſulam Calypſonis defertur. Phoebus greges Admeti regis olim pauit. Sues Neapoli diuo Antonio ſacri. Impaſtus decem dies in procelloſo mari vitam propagauit Vlyſſes; diuus Paulus aliique cum eo nauigantes dies quatuordecim.

A Circe demiſſum deducemus hodierno ſermone Vlyſſem, Sirenum, Planctarum, Scyllae et Charybdis, boumque Solis periculis ſuperatis, ad inſulam Calypſonis, *Odyſſ. lib. XII.* Equidem fateor, quod et alibi ſaepe falſus ſum, huiusmodi narrationes fabuloſis commentis ab Homero commiſceri. Nihilominus non ſine bona vtilitate pertractantur atque explicantur, cum ea, quae ſub ipſis deliteſcunt, ſcitu digna eruuntur, ſtudioſisque adoleſcentibus animaduertenda proponuntur. Sed antequam propoſitas fabulas ediſſerere adgredior, memoria mecum repetite, auditores, illud Ariſtotelis praeceptum *Poëtic. cap. 15.* videlicet deligenda eſſe poëtae potius ea, quae fieri nequeunt, (dum tamen veriſimilia ſint, quam quae fieri poſſunt, ſi fidem ſuperent. Quem Ariſtotelis locum diſerte admodum ac ſapienter clariſſ. Dacerius interpretatus eſt. In Iliade, ait, Odyſſea atque Aeneide multa ſane habentur, quae eſſe nequaquam poſſunt, veri tamen ſimilitudinem prae ſe ferunt. Duo autem eorum genera ſunt. Horum prius, quae maiora magisque incredibilia dicere poſſumus, ea ſunt, quae omnem exigunt diuinam veriſimilitudinem, hoc eſt, vt videantur poſſe fieri a Diis, quae fieri nequeunt ab hominibus, qualis eſt v. g. equi locutio in Iliade, metamorphoſis Vlyſſeae nauis in lapidem in Odyſſea, nauiumque Aeneae in totidem nymphas in Aeneide. Profecto huiusmodi monſtra ſobrie ac parce inducenda ſunt a poëta, cumque mica, vt aiunt, ſalis, adeo vt iis cum virtute vti, non intemperanter abuti videatur. Altera, quamuis in eorum numerum referantur, quae nequeunt euenire, veriſimilia tamen pro humana quo-

quoque conditione ac facultate eſſe non deſinunt, ratione habita ſiue rerum ipſarum, quae narrantur, ſiue credulitatis eorum, apud quos narratio inſtituitur; veluti Circes hiſtoria, Antiphatae, Polyphemi, Sirenum, Scyllae, Charybdis, rerumque id genus ceterarum. Homerus ſiquidem ingenioſe et acute Vlyſſem inducit, eas fabulas, quaſi ſibi reuera contigerint, Phaeacibus narrantem: Phaeacibus inquam, qui ad credendum faciles eſſent quam maxime, rerum rudes et imperiti, otio diffluerent, fabulasque vt veras hiſtorias excipere ſolerent. Quoniam autem haec veriſimilitudo, quae ex horum populorum credulitate naſcebatur, poëtam non abſoluebat, quin aliam ſimul veriſimilitudinem ſeruaret pro iis, qui recte ſapiunt, acriterque ratione vtuntur, has quoque partes probe implere viſus eſt ſub fabuloſo confictarum narrationum cortice vtilia abdens documenta, ſiue ad naturam, ſiue ad mores pertinentia, adeoque omni poëtica veriſimilitudine haec miracula inſtruere. Quod probe ſentiens Horatius pulcra atque admiranda miracula illa celebrauit:

Vt ſpecioſa dehinc miracula promat
Antiphaten, Scyllamque et cum Cyclope Charybdim.

Longinus pariter, eo quod fabuloſa ſint, vocauit ſomnia; quod vero omnibus veriſimilitudinis regulis ſint concinnata, ſomnia Iouis dixit.

His ita perpenſis, quid de Sirenibus Homerus habeat, iam videndum. Ad Sirenas igitur deuenit Vlyſſes, quarum cantu ne caperetur ipſe ac ſocii, eorum aures, vt monuerat Circe, obdurauit cera, ſe autem adligari fecit arctiſſimo vinculo ad malum nauis, praecipiens ſociis, ne vmquam ſe ſoluerent, etiamſi oculorum nutibus enixe id peteret. Tres illas vulgo fuiſſe aiunt; at duas tantum Homerus commemorat, quarum nomina dicit Euſtathius eſſe Aglaophonon et Thelxiepiam, quae Sirenuſas paruas inſulas, e regione Surrenti ſitas, incoluerunt. De iis in apologia aduerſus Ruffinum teſtatur diuus Hieronymus his verbis: *Veni Rhegium, in Scyllaeo litore paululum ſteti; vbi veteres didici fabulas, et praecipitem fallacis Vlyſſis curſum,*

curſum, *et Sirenarum cantica*, *et inſatiabilem Charybdis voraginem.* Illac nauigantibus pellices illas vaferrimas molliſſimo cantu, mirisque ſuauiſſimarum voluptatum pollicitationibus blandiri atque expalpare conſueuiſſe vna tum Homeri, tum aliorum poëtarum vox eſt. Ceterum quis non videat, ſub Sirenum imagine ipſas voluptates noxias, earumque illecebras depingere voluiſſe Homerum, quibus plerique mulcentur, dum interim Vlyſſes aliique viri prudentes contra earum cantus et lenocinia, rectae rationis quaſi cera quadam, aures ſuas obſtruunt atque occludunt? Vnde enatum prouerbium: *Sirenas praeteruehi*, hoc eſt, voluptatis blanditias contemnere. Quo reſpexiſſe videtur Hieronymus, dum ait: *Et nos ad patriam feſtinantes mortiferos Sirenum cantus debemus ſurda aure tranſire.* In primis vero ſermonum illecebrae et lenocinia verborum Sirenes metaphorice dici ſolent: vnde et Σειρὴν ἀπὸ τῆς σειρᾶς deriuari videtur; quia ſcilicet voluptate ſuauitateque ſermonis homines quaſi catena quadam vincti teneantur. Hinc et Iſocrates ob ſuauiloquentiam dictus Siren Attica. Porro marina haec monſtra eleganter deſcribit Martialis *lib. III.*

> *Sirenas hilarem nauigantium poenam;*
> *Blandasque mortes, gaudiumque crudele.*

Horatius vero:

> *Sirenum voces, et Circes pocula noſti,*

et quae ſequuntur. Et Claudianus:

> *Dulce malum pelago Siren.* — —

Denique Ouidius *lib. I.* de arte amandi:

> *Monſtra maris Sirenes erant, quae voce canora*
> *Quaslibet admiſſas detinuere rates.*

De nonſtris hiſce marinis, quae reuera exſtitiſſe, et adhuc alicubi exſiſtere videntur, quandoquidem vnum memorant non multis abhinc annis in Friſia captum et nere doctum, Calmetium, ſi vacat, conſulite *in Iſaiam cap. 13.*

Cauſ-

Cauſſam vero, cur monſtris illis cantus ſuauitatem Homerus tribuerit, non minus latere puto, quam ſi quis quaerat, de cycnorum cantu, qui dulciſſime modulari morti proximi dicuntur, ſiue, vt malunt hodie plerique eruditorum, confinguntur. Nihilominus non id dixiſſe temere, neque non aliqua innixum veriſimilitudine putauerim vatem, cum de Sirenum voce, ſiue cantu, teſtetur etiam Iſaias, vbi Babylonis excidium vaticinans, eiusque ſuperborum aedificiorum in ſaltus horridos et paluſtres lacus immutationem, Sirenas nominat reſpondentes vlulis in delubris voluptatis XIII, 22. Quoniam vero tamquam noxiae voluptatis exemplum, vt modo dicebam, Sirenas proponit Homerus, cauete, optimi adoleſcentes, ne vmquam fallacibus eius lenociniis abduci atque irretiri ſinatis. Quem enim alium fructum ex ea capietis, quam dolorem et poenitentiam? Sibi dictum putet vnusquisque veſtrum illud Horatii:

Sperne voluptates, nocet emta dolore voluptas.

Sed et Salomonis ſapientiſſima monita in hanc rem minime praetermittenda. Quid enim chriſtianus praeceptor ſolis ethnicorum dictis vtatur, neque aliquod identidem opportune adferat e diuinis literis excerptum, cum praeſertim longe plurima ab illis ſuppeditentur neque robore, neque lepore ethnicorum dictis ſecunda? *Fauus*, inquit Salomon *Prouerb. V, 3. deſtillans labia eius, et nitidius oleo guttur eius, nouiſſima autem illius amara quaſi abſinthium, et acuta quaſi gladius biceps.* Et alibi XX, 17. *Suauis eſt homini panis mendacii; et poſtea implebitur os eius calculo.* Ceterum videte, quaeſo, quam ſimilis Homericis Sirenibus habeatur apud eumdem Salomonem *cap. IX.* graphice depicta imago ſubdolae mulieris et illecebroſae, ad perniciem incautos pertrahentis. Ait ſiquidem, mulierem inſipientem, verboſam, canoram, plenamque illecebris, nihilque boni meditantem in foribus domus, in edito vrbis loco ſedere, vt tranſeuntes per viam ex itinere ſuo gradientes ad ſe vocet adliciatque. Quos vero inuitat, paruulos et vecordes nuncupat; bona ſcilicet

mente

mente ſagacique non vtentes, quales ferme paruuli ſunt ac vecordes. Potum dulciorem, vtpote furtiuum, eſcamque ſuauiorem, vtpote abſconditam, ſeſe praebituram pollicetur. At ignorant miſelli illi, qui ad eam accedunt, quod omnes conuiuae illius iam perierunt, quodque apud illam gigantes ſunt teterrimi atque immiſericordes. Quid viuidius dici poterat? quid eloquentius? quid vtilius? quid verius? Nonne huic longe ſimillimam picturam ſuam Sirenum effinxiſſe videatur Homerus, qui in prato ſedentes eas facit, quod aceruo humanorum oſſium circumdatur? Itaque cauete ab illis, cauete, iisque, quae ad vos monendos hactenus attuli, illud etiam Plauti in Aſin. adiicite, et pectore penitiſſimo infigite:

Percelebrae, pernicies, adoleſcentium exitium:
Nam mare haud eſt mare, vos mare acerrumum;
Nam in mari repperi: hic elaui bonis.

Aliorum calamitas, pauperies, ignominia, morbi, lues, mors, oſſaque illa exſucca et carnibus exuta conſimilium malorum, vobis etiam impendentium, ſi accedere audeatis, ſaluberrimum metum incutiant, vt mortiferae voluptatis illecebras deuitetis, et Vlyſſis exemplo ſecuri praeteruehamini.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum!

Deuitatis Sirenibus nauigandum fuit Vlyſſi per ſaxa excelſa, et magnorum periculorum plena, inter quae mare illud mirum in modum aeſtuaret. Horum duo adpellari πλαγκτὰς a veteribus, hoc eſt, a Diis dicit; quae conſecutis temporibus Cyanea ſaxa dicta ſunt. Tria hic loca proponi ait Euſtathius, Planctas, Scyllam et Charybdim, quod ita eſt intelligendum, vt ab vna parte ſint Planctae, ab altera ex aduerſo duo illi ingentes ſcopoli inter ſe proximi a latere. Cum vero alterutrius partis ſubeundum eſſet Vlyſſi periculum, monet Circe, vt malit per Scyllam et Charybdim tranſire, quam per Planctas, quae certum atque irreparabile tum ſibi, tum ſociis omnibus inferrent exitium; rurſusque vt Scyllae potius detrimenta ferat,

quam

quam Charybdis, vt mox videbimus. Conuenit enim Vlyſſi, ſapienti et cordato viro, vt, quoties duo ingruant mala, minus ſemper eligat.

Quod addit de ſaeuitie ſiue impudentia Cyaneorum ſcopulorum, vt nedum columbis, Ioui ambroſiam ferentibus, parcant, paulo longiorem poſtulat explanationem, quam proinde ad aliam diſputationem reſeruamus. Quod vero attinet ad alios duos ſcopulos, frequentibus naufragiis olim infames, ne moleſtus forte ſim graece neſcientibus Homericorum verſuum recitatione, adferam pro illis Virgilii verſiculos, qui in tertio Aeneidos vtrumque ſaxum illud ex Homero deſcripſit. De Scylla inquit:

At Scyllam caecis cohibet ſpelunca latebris
Ora exſertantem, et naues in ſaxa trahentem.
Prima hominis facies, et pulcro corpore virgo
Pube tenus, poſtrema immani corpore piſtrix,
Delphinum caudas vtero commiſſa luporum.

Scyllam eſſe aiunt promontorium iuxta Rhegium, Siculum in mare prominens, in quo ſint ſaxa multa et ingentia, quae loca interius habeant caua et ſpeluncas, in quibus habitent marina monſtra: vbi vero nauigia illiſa fuerint et euerſa, tunc homines ab iis monſtris deuorari. Hinc fabula Scyllam effingens veluti rabioſam canem, multa capita emittentem, quibus ad ſe propinquantes quoscumque corripiat deuoretque.

Scopulus alter eſt Scylleo vicinus, ſed illo minor, vt quem iaculo poſſit quisquam adſequi. In eo ficus eſt ſilveſtris, ſub qua habitat Charybdis, cuius hi ſunt effectus, vt vndas abſorbeat et reſorbeat ter in die.

Dextrum Scylla latus, laeuum implacata Charybdis
Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſusque ſub auras
Erigit alternos, et ſidera verberat vnda.

At Strabo ex Polybio docet *lib. I.* illud τρὶς pro δὶς errore vel ſcribae, vel hiſtorici poſitum, vt, quae de Charybdi poëta fingit, reuera conuenire poſſint cum iis, quae in Siculo

Siculo freto accidunt, quod bis quotidie fluctus mutat, ſicut Oceanus quauis die et nocte bis refluit. Homeri verſiculus, qui corruptus creditur, hic eſt:

Τρὶς μὲν γάρτ᾽ ἀνίησιν ἐφ᾽ ἤματι, τρὶς δ᾽ ἀναῤῥοιβδεῖ.

Quid facilius, quam *τρὶς*, id eſt, *ter* pro *δὶς*, id eſt, *bis* amanuenſium ſiue imperitia, ſiue oſcitantia irrepſiſſe? Hanc ergo Charybdin monet Circe declinandam, quia, ſi in eam ſe coniecerit, nulla ipſi ſit ſalutis ſpes animo concipienda: quod vt magis confirmet, addit, ne ipſi quidem Neptuno, magis Deo potentiſſimo, conceſſum eſſe, vt hoc eum periculo liberare poſſet. Itaque ſuadet, vt relicta hac ad Scyllam ſe conferat, in qua minus damni patietur, nimirum ſex ſociorum iacturam, quae leuior ſit, quam omnium interitus, quem illi Charybdis importaret. Ceterum ſuperuacaneum cenſeo de prouerbio hinc orto verba facere: *euitata Charybdi in Scyllam incidere*. Nonne enim tempus incaſſum terere videar, ſi rem lippis ac tonſoribus paene notam explicem atque illuſtrem? Accedit quod, cum Eraſmus hanc explanationem eruditiſſime occupauerit, iure optimo me actum agere incuſaretis, ſi eadem, quae ille, in medium adferrem.

Hoc igitur praetermiſſo, vobis potius conſiderandum proponam, auditores, quantos progreſſus ars nautica fecerit, quantumque nauigandi cognitio ac peritia increbuerit, cum geminos ſcopulos illos nunc rideat, nulloque periculo tranſeat, qui tanto horrori atque exitio toti antiquitati fuerunt. Poſt enauigatum Scylleum fretum ad inſulam Trinacriam peruenturum Vlyſſem cum ſociis praedixerat Circe; quod factum eſt. Boues in ea ouesque Solis paſcebantur, quos mactare ſcelus erat longe maximum atque inexpiabile. Nullo adſpirante vento ad longum ibi tempus detenti ſunt. Omni penitus abſumto cibo, ſocii acrius eſurientes, inſcio Vlyſſe, qui grauiter vetuerat, boves aliquos occiderunt, vt victui conſulerent. Cum vero illis paſcendis nymphae Phaëtuſa et Lampetia eſſent adſignatae, harum altera ſtatim cucurrit, vt Apollini nunciaret. Ille ira percitus de accepta iniuria apud Iouem ceteros

terosque Deos conqueritur, ſeque amplius lumen mundo non allaturum minitatur, niſi ſacrilegi homines admiſſi ſceleris poenas dederint. Tunc Iupiter, vt eum deleniret, ardenti fulmine ſe abrupturum Vlyſſis nauem in mediis vndis promittit. Interea vero triſti portento direptae boum pelles ſerpere, carnesque tum aſſatae, tum crudae, ac verubus fixae mugire. Sed et Iupiter promiſſi, quod ſe Phoebo obligauerat, fidem liberauit. Cum enim dolens deflensque Vlyſſes ſine vllo remedio immane, quod ſocii auſi erant, nefas, poſt aliquos dies a litore ſoluiſſet, et iam longius a terra receſſiſſet, ſtridens repente Zephyrus cum ingenti procella irruit. Rem in pauca conferam. Saeuiente pelagi vi, atris coelo nubibus obducto, ac terribiliter tonante, nauis immiſſo ab Ioue fulmine percuſſa eſt: ſocii miſere exſtincti: diſtracta, diſciſſa, vaſtata omnia, vnusque Vlyſſes malo, carinaeque deſtructae ratis inſidens, decem dierum ſpatio ventorum turbine huc et illuc in varia diſcrimina iactatus atque iterum ad idem ſaxum detruſus a fluctibus, nilque aliud, quam capiti impendentem mortem operiens, ad Calypſonis inſulam vix tandem defertur, de qua ſuperiori diſſertatione XLIX. ſatis diſputauimus.

Iam vero duo, quae ſuperſunt obſeruanda, breuiter expediamus. Vnum, quid ſibi velit boum illorum Soli facta dedicatio. Alterum, quomodo Vlyſſes totos decem dies impaſtus vitam propagare potuerit. Serranus quidem multus eſt in expiſcanda ſubtiliter cauſſa, cur armenta gregesque illi Phoebo eſſent attributi. Iis vero relictis, puto, oues bouesque a Trinacriae populis Phoebo eſſe dedicatos, quod ſub paſtoris forma greges Admeti, Theſſaliae regis olim pauerit. Portentis autem, quae boum mactationem conſecuta eſſe perhibet vates, ſimile aliud exemplum apud Herodotum videre licet in fine libri vltimi. Nec mirum, eam opinionem apud ſuperſtitioſos populos inualuiſſe, parcendum nempe bobus ouibusque Phoebo nuncupatis. Nonne hac etiam aetate Neapoli ſecuri vagantur ſues, qui diuo Antonio ſacri exiſtimantur, quos laedere tantae ſibi ducunt religioni Neapolitani, vt in

prae-

praeſentiſſima mala atque infortunia, ſi id fecerint, ſe putent incurſuros? Denique nullo cibo altum potuiſſe decem dies Vlyſſem viuere, procella diuexatum, in rei ſuſpicionem, quae eſſe nequiuerit, bona Longini venia non eſt reuocandum. Alia ſiquidem longioris etiam temporis exempla ſuppetunt, quae illud veriſimile eſſe confirmant. Satis eſto exemplum Pauli aliorumque, cum eo in procelloſo mari nauigantium, qui omnes, *Actor. XXVII.* narratur, tempeſtate exagitati, ad dies quatuordecim, quin fame interirent, ieiuni permanſerunt.

DISSERTATIO LVII.

IN QVA NONNVLLA DE SIRENIBVS AC PLANCTIS OMISSA SVPPLENTVR AC DEINDE QVOD RELIQVVM POEMATIS EST PERSTRINGITVR.

SYNOPSIS.

Tullius Sirenum cantiunculam latine vertit; qui non videtur tam auerſis Muſis et Apolline nullo carmina ſcripſiſſe. Defenditur eius verſiculus

O fortunatam natam me Conſule Romam.

Eiusdem ſoni geminatio non eſt illepida in oratione. Defenſio carminum, quae Vlyſſi canunt Sirenes contra Scaligerum. Quantam voluptatem adferat homini ingenuo varia rerum cognitio. Confirmatur multis exemplis a Cicerone allatis. Quam ſit periculoſum praetextu bonarum rerum ad noxias trahi voluptates, exitium adferentes. Ficto colori non credendum. Quid ſint Symplegades. Cur poëtae eas dixerint errantes. Eas in mare Siculum transfert Homerus, vocatque πλαγκτάς. Sola Argonautarum ex iis euaſit incolumis. Iuno patrona et conſeruatrix regum. Hi ſcopuli columbis, ambroſiam Ioui ferentibus, non parcere dicuntur. Quid hoc ſignificet? Vocem πέλειαι, aut πελειάδες pro πλειάδες vſurpauit Homerus aliique poſt eum poëtae. Laus Moeronis, quae locum hunc de columbis ſapienter interpretata eſſe

eſſe videtur. Phaeaces reducunt Vlyſſem in patriam. Eorum nauis in rupem verſa. Vlyſſes a Minerua in mendici ſenis formam mutatur. Exempla principum formam ementitorum. Eumaeus ſubulcus. Telemachus in agro agnoſcit patrem. Canis Vlyſſis in eius reditu moritur. Ludibria et iniuriae procorum Vlyſſi illatae. Pugna Vlyſſis et Iri. Euryclea dum lauat Vlyſſem, ex cicatrice recognoſcit. Arcus certamen procis a Penelope propoſitum. Proci interfecti. Penelopes *gaudium recepto coniuge. Ithacenſes ob procorum necem contra Vlyſſem armantur. Pax conciliata.*

Hodiernus ſermo praecedentis erit appendix veluti quaedam ac ſupplementum. Aliqua enim, quae in eo breuitatis ſtudio praetermiſimus, de Sirenibus et Planctis adferemus hodie, atque explicabimus, ſummamque deinde eorum, quae in Odyſſea ſuperſunt, paucis comprehendemus.

Primum igitur recitanda carmina, quorum cantu Vlyſſem adlicere atque ad ſe trahere conantur Sirenes. Quia vero ea latine interpretari dignatus eſt Tullius *de fin. lib. V.* rem vobis me facturum acceptiorem putaui, ſi, graeco Homeri textu praetermiſſo, eius verſione, quam omnes intelligeretis, vterer.

O decus Argolicum, quin puppim flectis, Vlyſſes,
Auribus vt noſtros poſſis agnoſcere cantus?
Nam nemo eſt vmquam haec transuectus caerula curſu,
Quin prius adſtiterit, vocum dulcedine captus;
Poſt variis auido ſatiatus pectore muſis,
Doctior ad patrias lapſus peruenerit oras.
Nos graue certamen belli, cladem que canemus,
Graecia quam Troiae diuino numine vexit,
Omniaque e latis rerum veſtigia terris.

Teſtatur vero Cicero, ſe, vt hunc locum, ſic quaedam alia vertiſſe ex Homero. Dum autem recitata carmina tanta elegantia et poëtico lepore ab eo verſa lego et conſidero, videtur ſane mihi, vt viſus eſt aliis etiam viris acri iudicio praeditis, maxime vero Iacobo Duporto, Romanae eloquentiae princeps non tam auerſis Muſis et

 Apol-

Apolline nullo carmina ſcripſiſſe, quam vulgo exiſtimatur, adeo vt iniquus cauillator habendus ſit Martialis, vbi ait:

Quodque malos verſus, hoc Ciceronis habes.

Nec video, cur grammatici veluti ludibrio habeant Tullium in poëtica facultate ob illum verſiculum:

O fortunatam natam me Conſule Romam!

vtque inconcinnum et incomtum ob ſoni illius iterationem reiiciant. Quidſi dedita opera Graecorum aemulatione ſonum illum geminauit Tullius? Norunt certe omnes, qui vel a primo limine graecas literas ſalutarint, geminationem ſiue vnius, ſiue plurium ſyllabarum frequentiſſime leporis gratia vſurpari a Graecis poëtis, in quibus omnis prorſus elegantiae ac venuſtatis ſedes eſſe conſtituta videatur. Equidem arbitror, quaedam apud Virgilium ſimiliter a grammaticis damnari, tamquam prauum ingratumque ſonum praeferentia, quem κακοφωνίαν dicunt, vt *Achaici cineres*, *Achaica caſtra*, *moeſtasque querelas*, et id genus alia, cum ea potius vſurpaſſe crediderim latinum vatem, graecae poëſeos indolem imitatum. Quodſi eos offendit in componenda dictione eorumdem ſonorum geminatio, miror, cur eam pariter in graecis verborum praeteritis vniuerſe non improbauerint, illepidam ac vitioſam dixerint, malumque ibi quoque ſonum notauerint; quem tamen ſonum in multis conſectati ſunt ipſi etiam Latini, vt in *pepigi*, *cecini*, *momordi*, *cucurri*, et ceteris huiusmodi. Aut igitur talem geminationem vbique damnent, aut eam in illo Ciceronis verſiculo aliisque Virgilii criminari ceſſent.

Multa profecto protulerunt grammatici libero nimis iudicio, minusque recto. Sed negotium nobis faceſſit Iulius Caeſar Scaliger, qui in Homerum, cuius ſapientiam atque elegantiam vel non vidit, vel videre noluit, iniquior audacter ſatis, pro more ſuo, mellifluis illis Sirenum modulis interſtrepit. *Sententiae*, inquit, *molles*, *vulgares*; *futiles*, *quae ne cocum quidem meum mouerent ad choreas.*

choreas. Recte ac ſapienter putauit Duportus, qui veritus eſt, ne animus Scaligero fuerit in patinis, dum haec ſcriberet. Quid mirum autem, o bone Scaliger, ſi cocus tuus Sirenum illa cantiuncula nec oblectetur, nec ad choreas moueatur? Non ea quae cantu illo pollicentur Sirenes, curant coci, qui toti in culinae operibus, ollis ac lancibus purgandis eſculentisque parandis ſunt occupati, nec ſcientiam, aut eruditionem expetunt. Praeterea non vt moueant ad choreas, cantum illum Sirenes inſtituunt, ſed vt Vlyſſem ad ſeſe audiendas trahant. Quae autem fortior illecebra viro ingenioſo ac ſapienti, qualis erat Vlyſſes, ὁ πολύτροπος, πολύμητις, ἀγχίνοος, καὶ ἐχέφρων paſſim adpellatus, id eſt, verſipellis, conſilio plenus, acutus, ſagax, quam ſe poſſe miſcere ſermonem cum eo, qui, ſe multa ſcire, profiteatur: Quae maior voluptas, aut animi titillatio, quam variarum rerum cognitio? Nonne Tartareus hoſtis vaſerrimus hac ſcientiae pollicitatione primos humani generis parentes traxit in fraudem? Omnes homines quo meliores et doctiores, eo magis ſciendi ſunt cupidi. Generoſa quaeque pectora mordet haec dipſas et inexplebilis diſcendi ſitis. Quare Cicero, poſtquam attulit Sirenum verſiculos, ſapienter ſubiungit: *ſcientiam pollicentur, quam non mirum ſapientiae cupido patria eſſe cariorem; atque omnia quidem ſcire, cuiuscumque modi ſunt, cupere curioſorum; duci vero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem ſcientiae, ſummorum virorum eſt putandum. Quem enim ardorem ſtudii cenſetis fuiſſe in Archimede, qui, dum in puluere quaedam deſcribit attentius, ne patriam quidem captam eſſe ſenſerit? Quid de Pythagora? Quid de Platone, aut Democrito loquar, a quibus propter diſcendi cupiditatem videmus vltimas terras eſſe peragratas? quae qui non vident, nihil vmquam magna cognitione dignum amauerunt. Atque hoc loco qui propter animi voluptates coli dicunt ea ſtudia, quae dixi non intelligunt, idcirco eſſe ea propter ſe expetenda, quod, nulla vtilitate obiecta, delectentur animi, atque ipſa ſcientia, etiamſi incommoda datura ſit, gaudeant.* Hactenus Tullius, e cuius aurea oratione ſatis percepiſſe vos puto, adoleſcentes,

ſcentes, nullam aptiorem ac vehementiorem voluptatem proponi Vlyſſi a Sirenibus potuiſſe, quam maiores ſcientiae, cuius erat cupidiſſimus, acquiſitionem, adeoque iniuſte agere Scaligerum, qui maximum culpet vatem, quod illos Sirenum modulos frigide inepteque compoſuerit.

Iam vero vafriciem illarum pellicum notate, adoleſcentes, quae rerum valde bonarum atque honeſtarum praetextu ad illicitas et noxias voluptates trahere volebant Vlyſſem, mox vero mactare et perdere. Quid enim melius ac laudabilius, quam diſcere et ſcire? Nihilominus prudens Vlyſſes, Circes monitis auſcultans, eas cauit ac declinauit, vt a certiſſimo ſe vindicaret interitu. Quandoquidem igitur ea, quae praeceſſit, diſputatione vos hortatus ſum, ornatiſſimi iuuenes, vt noxias voluptates, in Sirenibus expreſſas, deuitetis, non praetermittam in praeſenti, vt inſuper opportune vos admoneam, ne falſo honeſtatis colore vos falli ſinatis. Sub ouina pelle ſaepe lupum abſcondi ſuſpicemini, et ſub innocuis floſculis herbisque virentibus venenoſum ac lethiferum latitare colubrum. Quoties igitur prauitatis aliquid vobis ſuboluerit in iis, qui vos ad ſuas partes inuitantes ſpecie recti decipere ac ſeducere cogitant, et blandis ſubdolisque ſuaſionibus ad laxioris ac vitioſae vitae genus amplectendum impellere, aures veſtras virtute obſtruite, eorum voces pertimeſcite, tamquam malas Sirenas putate, fugaque ſaluti veſtrae proſpicite. Saluberrimum Salomonis praeceptum memoria frequenter recolite: *Eſt via, quae videtur homini recta, nouiſſima autem illius ducunt ad mortem.* At de Sirenibus ſatis.

Ad id modo deueniam, quod de Planctis dicendum ſupereſt. Vt autem probe, quae dicturus ſum, intelligatis, horum ſcopulorum narrationem reſumere et ſubtilius exponere neceſſe eſt. Planctas duos eſſe ſcopulos in Siculo mari ad omnimodam Symplegadum ſimilitudinem Homerus confingit, quae Symplegades duae ſiue paruae inſulae, ſiue ſcopuli ſunt maris Euxini apud os Boſpori Thracii, quibus etiam nomen eſt Cyanea ſaxa, adpellatione

tione a colore, vt opinor, ducta; *κυάνεον* ſiquidem colorem caeruleum vocant, qui fit ex ſplendido albo adiuncto et nigredine offuſo. Symplegades vero dictae ſunt a graeco verbo *συμπλέκεσθαι*, hoc eſt, *connecti*, ſiue *coniungi.* Nam, vt refert Plinius *lib. IV. cap. 13.* et *lib. VI, cap. 12.* tam modico ſunt inter ſe diſcretae interuallo, vt ex aduerſo quidem intuentibus geminae cernantur, paulum vero deflexa acie coëuntium ſpeciem praebeant. Quamobrem eſſe erraticas fabulati ſunt poëtae, quia modo copulatae, modo ſeiunctae conſpiciuntur. Itaque, periculorum Vlyſſeorum magnitudinem exaugere volens, vates Cyaneos ſcopulos in mare Siculum transfert, vocatque *πλαγκτὰς*, quod idem eſt, atque *errantes.* Bina ergo ſcopulorum pericula, ait ad Vlyſſem Circe, illi obiectum iri in eo mari, per quod erat nauigaturus; videlicet ex vna parte *πλαγκτὰς*, ex altera Scyllam et Charybdim: monet autem, vt euitatis illis ad hos potius accedat. Si namque illos ſubeat, certiſſime periturum; quod omnino innabiles ſint, neque vlla nauis illac euaſerit incolumis, praeter illam vnam, quae Iaſonem ceterosque Argonautas vehebat. Adpellatur autem ab Homero ea nauis *πασιμέλουσα*, perinde quaſi eorum ſalus cordi eſſet toti mundo, quod in ea ſelectiſſimus flos regiorum heroum totius Graeciae concluderetur. Quapropter mirum non eſt, ſi Iunonis nomine defenſa exitiales illos ſcopulos praeteruehi potuerit illaeſa; Iunonis inquam, quae regum ac principum habebatur vindex et patrona. Neque phyſico documento id, quod de Iunonis tutela confingitur, vocat. Iuno enim aër eſt, cuius fauore, ſecundo ſcilicet vento, proſperam per illos ſcopulos potuerunt Argonautae nanciſci nauigationem. Et haec quidem perſpicua ſunt.

Valde autem obſcurum et implexum videtur eſſe, quod dicit de volucribus et columbis, Ioui ambroſiam ferentibus. Ait enim, ne eis quidem ſcopulos illos teterrimos parcere, ſed aliquam ſemper auferre, quam mox, ne deficiat numerus, pater Iupiter reſtituit. Huius loci interpretationem ex doctiſſima Daceria deſumam, nilque

 aliud

aliud de meo conferam, quam quod gallicum textum latino ſermone conuertam. Haec Homerica, inquit, columbarum fabula, quae Ioui ambroſiam ferunt, et ſcopulos hoſce ſuperuolitando tranſeunt eo damno, vt ex eis aliquam ſemper abripiant, valde ſingularis viſa eſt, arcanoque ſenſu abdita, quem plures conati ſunt aperire. Quae omnium prima mentis acie fictionem hanc penetrarit, latentemque ſignificationem inſpexerit atque explicarit, femina e Byzantio fuit, cui nomen Moero. Docet autem, quemadmodum narrat Athenaeus *lib. XI. cap. 12.* vocabulum πέλειαι, quo vtitur Homerus, vulgo acceptum pro columbis, ad ſignificandas Pleiades, Atlantis filias, ab eo fuiſſe vſurpatum. Haec conſtellatio ortu ſuo et occaſu anni tempora ſignat, tempusque ſementis, meſſis, frugumque maturitatis. Qua de re dixit Homerus, eas deferre Ioui ambroſiam: nam vertentis anni tempora, et collectio ſegetum et frugum, libationum et ſacrificiorum, quae Ioui offerantur, materiem ſuppeditant, inſtruuntque. Cum vero addit poëta, ab his ſcopulis nonnullam ſemper adimi earum ſtellarum, poëtica hyperbole vtitur, qua oſtendat, ipſarum numerum, quandocumque occidunt, ob id videri deminutum, quod celſiſſimo vertice, quo ſuper mare gemini illi ſcopuli adſurgunt, modo vnam, modo alteram intuentium oculis auferunt: quod vero iterum integro numero renaſcuntur, idcirco dicitur ea, quae ademta fuerat, ab Ioue ſuppleri.

Sed iam Vlyſſes mihi eſt repetendus, vt reliquam diſputationis partem, quam ſum pollicitus, exſequar. Audiſtis, iuuenes, quot pericula, labores, damna, heros ille inuictiſſimus ſubierit, exantlarit, perpeſſus ſit, ipſomet narrante in conuiuio Phaeacum conticeſcentium, intentaque ora tenentium, meque, vbi opus fuit, res ab eo narratas compluribus hiſce quaſi vno nexu coaptatis diſputationibus interpretante. Tantam igitur ex illis mirificis lepidisque narrationibus voluptatem perceperunt, Phaeaces, vt, licet eſſent hoſpitalitatis minus ſtudioſi, plurima Vlyſſi congeſſerint dona, effuſamque dederunt beneuolentiae atque honoris ſignificationem, denique inſtructa naui,

naui, quam patriae deſiderio enixe poſtulauerat, ad Ithacae litus vna nocte transuexerint. Et haec quidem recte ſe habent. Abſurdum vero videtur id, quod ſequitur, videlicet altum dormientem, fuiſſe a Phaeacibus nauigio eductum atque illic vna cum muneribus relictum. At haec abſurditas plane neceſſaria fuit ad cetera poëmatis expedienda. Si enim euigilaſſet, aut Phaeaces illum domum vsque deducere debuerunt, aut ille eos compellere, vt ſecum irent tecto ac menſa vtique excipiendi, cum opus eſſet, vt formam ementitus et a procis non agnitus ad patriam reuerteretur. Videtur Homerus eam abſurditatem ſenſiſſe, omnibusque lenociniis atque elegantiis, omnique poëſeos flore, vt ſibi condonaretur, conſperſiſſe: quare mirum non eſt, ſi locus hic adeo Ariſtoteli placuit, vt poëtis ad imitandum propoſuerit. *Poëtic. cap. 25.* Sed nauigium, quo Phaeaces Vlyſſem reduxerant, dum remeabant, Neptunus, odio Vlyſſis, conuertit in rupem. *lib. XIII.* Id fortaſſe confinxit Homerus, quod prodigioſas illas conuerſiones probabiliter audierat vxoris Lothi in ſtatuam ſalis, et virgo Moyſis in anguem, et rurſus anguis in virgam. Experrectus Vlyſſes, ac loci faciem non agnoſcens, nubem enim Minerua illi circumdederat, quae veluti artificioſum ſpeculum res aliter quam eſſent oculis obiiciebat, animo conſternatus eſt, ſe putans a Phaeacibus eſſe deceptum. Sed Minerua ſub forma iuvenis opilionis adparens, mox Deam ſe eſſe declarans, nutantem confirmat, et, quo conſilio opus ſit ad procorum vltionem, docet; ac donis omnibus in ſpelunca montis Neriti abditis in ſenis, ſtipem quaeritantis, ſpeciem immutatum ad Eumaeum ſubulcum mittit. *lib. XIV.* Profecto hanc in Vlyſſe formae immutationem, quae omnes falleret, aliqui putant minus veriſimiliter a vate confingi. Verum, praeterquam quod diuina ſit Palladis virtute, adeo vt miraculo ſit adſcribenda, exempla non deſunt aliorum principum, qui formam ſuam exuere viſi ſunt, ac ſub aliena latitantes cognitioni ſuorum ſubditorum, et vel ipſorum familiarium, inter quos verſabantur, mirum in modum ſe ſubducere. Mehemetus quartus, tranſacto ſe-

culo Turcarum Imperator, Byzantii officinas et alia loca publica, verſa oris et habitus ſpecie, a nemine agnitus ſaepe luſtrabat, teſte Teuenoto in ſuis itineribus. Etiam aliquem Italiae principem idem callide non ante hos multos annos factitaſſe, ex multis fide dignis accepi. Ab Eumaeo igitur benigne exceptus Vlyſſes, vt erat verſipellis, ſe Cretenſem eſſe ſimulat.

Interim per ſomnium monetur Telemachus a Minerua, vt Lacaedemone ad patriam redeat; quare a Menelao petita venia confeſtim diſcedit. Sed regreſſus ad Pylum emiſſo Piſiſtrato, qui ei ſocius itineris ad Menelaum fuit, inſalutato Neſtore, ne ſibi feſtinanti moram necteret, nauim ſuam, quam in portu Pylio reliquerat, conſcendit, adſumtoque *nauigationis* comite, vate Theoclymeno, ſoluit e litore. Vt vero deuitaret necis inſidias, quas redeunti inſtruxerant proci, eiusdem Mineruae praecepto ſocios Ithacam petere iubet, ipſe vero ad agrum, Eumaeumque diuertit. *lib. XV.* De hoc Eumaeo obſeruandum, ſimplicem quidem ac ruſticanam vitam illum agere, honeſto tamen loco natum eſſe. Per fraudem enim puerulus abactus eſt vna cum matre ex inſula Syria, quae ſub Ortygia poſita eſt, a quibusdam Phoenicibus mangonibus, et Laërti venditus; qui deinde grandiorem factum, fideque ac probitate ſpectatum regiis ſuilibus praefecit. Antiquis enim temporibus, vt alibi docuimus, paſtoritia et agricolaris vita honeſtum quemuis minime dedecebat. Verum Telemachus reditus ſui nuncium mittit ad matrem ipſum Eumaeum, quo profecto, ita volente Minerua, filius cognoſcit patrem, vnaque conſilium agitant, quid iam ſibi agendum ſit, vt procorum flagitia vlciſcantur. *lib. XVI.* Poſtquam ad agrum reuerſus eſt Eumaeus, vrbem petit ipſe Telemachus, et matri eum anxie praeſtolanti ſe ſiſtens, ſingula peregrinationis ſuae capita exponit, neque tamen patris reditum manifeſtat: cum eo enim conuenerat, de hoc omnino ſilendum.

Poſtea Eumaeus, vt praeceperat Telemachus, hoſpitem ducit ad vrbem. Canis accedentem ad domus ſuae ianuam recognoſcit Vlyſſem, et prae gaudio moritur. Similem

milem circumſtantiam in reditu Tobiae refert ſacer ſcriptor *cap. XI. c. 9.* Non ergo futilis eſt, vt nonnulli dixerunt, aut illepida, ſed belle naturam pingit. Sed quomodo, aiunt, canis poſt viginti annos adhuc viueret? *Canes Laconici,* inquit Plinius *lib. X. viuunt annis denis, cetera genera annis quindecim, aliquando viginti.* Euſtathius vero, etiam ad quatuor et viginti annos eorum vitam aliquando protrahi, teſtatur. Et Daceria, vnum a ſe viſum tres et viginti annos natum, confirmat. Nonne autem, iterum inquiunt, indecora ſaltem ac turpis habeatur canis, in fimo boum ante regias aedes iacentis, deſcripta? Minime vero. Cum enim heroës ipſi mactarent boues in regiis aedibus, in more poſitum erat fimum ante fores egerere, quem poſtea ſimul coactum famuli ad ſtercorandum agrum ferebant. *lib. XVII.* Etiam hodie in vrbanis Nobilium Longobardorum aedibus caulae paſſim ſunt, et in veſtibulis caularum ſordes. Quae vero ludibria et iniurias a procis et a ſuis ipſiusmet ſeruis ac ſamulabus deuorauerit, et quam praeclara firmiſſimae diſſimulantiae inuictaeque patientiae exempla dederit Vlyſſes, ſub illa forma mendici ſenis deliteſcens, partim hic legere licet, partim in ſequentibus libris. Nam ſicut in Iliade virtutem corporis, ita in Odyſſea fortitudinem animi vates repraeſentauit. Pugnam in procorum conſpectu factam ab Vlyſſe et Iro, paupere populari Ithacenſi, quem ſeminecem hunc deiecit, quaſi lepidum ἐπεισόδιον, interſerit vates, ad lectorem ſuum nouo hoc ludicro ſpectaculo oblectandum.

Poſt hanc ſinguli procorum pro ſuis quisque opibus munera Penelopae conferunt, vt eius ſibi gratiam et amorem promereantur. *lib. XVIII.* Iam vero noctis hora diſceſſerunt proci: quibus abſentibus Vlyſſes et Telemachus arma omnia e medio amoliuntur, et in aedem ſuperiorem abdunt, ne quid procis, quibus necem in ſequentem diem parabant, relinqueretur, quo ſe defenderent, aut vim inferrent. Sed Penelope ad ſe hoſpitem venire iubet: virum enim ſuum medullitus amans, eiusque reditum flagrantiſſime cupiens, volebat ex hoſpite

percontari, an aliquid de eo ſciret. Ille autem ſe Cretenſem eſſe, vt Eumaeo dixerat, et Vlyſſem apud ſe diverſatum comminiſcitur. Nec mirum, fuiſſe hoſpitem a regina accitum. Quicumque enim Ithacam aliunde adueniebant, ſciſcitandi deſiderio ad ſe illos arceſſere cōnſueuerat. Nam et cum ipſa Theoclymeno, quem Telemachus adduxerat, e Pylo, ſermonem habuit, et vaticinium ex eo accepit, fore vt propediem virum reciperet. Iuſſu deinde eiusdem Penelopes ablutus eſt hoſpes; cui dum pedes elueret, nutrix Euryclea cicatricem, quam gerebat ſupra genu impreſſam, tactu manus animaduertens, herum ſuum recognoſcit. Prae ſubita laetitia exclamare volentem, manu iugulo admota, Vlyſſes coërcet, et ad tacendum tum blandis, tum minacibus verbis compellit: quod illa ſilentium raro in femina exemplo religioſiſſime ſeruauit. Hic autem Homerus, quomodo cicatricem illam haberet Vlyſſes, dente ſuis in Parnaſſo olim vulneratus, commemorat. *lib. XIX.* Vt autem ad vltionem magis exaeſtuet, eum facit Homerus in veſtibulo domus illa nocte cubantem, ſuisque oculis conſpicientem aliquas puellarum clanculum e gynecaeo prodeuntes, vt foede cum procis commiſcerentur. Poſtero die iterum contumeliis iniuriisque adficiunt Vlyſſem tum Melanthius paſtor, tum proci, nec triſtibus oſtentis, nec Theoclymeni vaticinio, nec Telemachi obiurgatione deterriti. *lib. XX.*

Sed iam ſuorum ſcelerum poenas hoc ipſo die miſeri dabunt proci. Adflatu ſiquidem Mineruae arcus certamen regina ipſis indixit, propoſito ſuarum nuptiarum praemio, ſi quis illud certamen perficere poſſet; ſin minus, ſe remanſuram adfirmabat in domo Telemachi filii ſui, quin ad alteras nuptias eſſet tranſitura. Nemine procorum grauem profecto arcum, valdeque ad flectendum difficilem tendere valente, petiit Vlyſſes, vt ſibi daretur in manus. Tantam mendici hoſpitis impudentiam, audaciam, temeritatem non ferendam aiebant proci. Nihilominus, fruſtra illis indignantibus ac reluctantibus, hoſpiti

hoſpiti arcum tradi Telemachus iuſſit. At ille et arcum tetendit, et certamen ſtrenue abſoluit. *lib. XXI.*

Huius certaminis breuem accipite narrationem, optimi iuuenes. Duodecim virgae ferreae, in totidem annulos deſinentes, humi defigebantur longo ordine, certoque inuicem interuallo locatae. Si quis ſagittam per omnes annulos ex arcu immitteret, certaminis victor abibat. Ecquaenam, inquitis, certaminis difficultas? Nonne ſagitta per primum annulum immiſſa ceteros etiam expedite percurret? Percurret quidem, dum tamen validiſſimo impetu ſtrenuiſſime emittatur. Cum enim, qualis eſt proiectorum motus, ſagitta illa efficiat curſu ſuo lineam, quam dicunt, parabolicam, niſi perniciſſime feratur, deorſum vergens in ſubiectum annulis ferrum impingat, neceſſe eſt; quare vltra progredi non valebit. Vna cum arcu pharetra ſagittarum plena fuerat adlata. Eum igitur Vlyſſes iterum tendens, emiſſo telo, Eurynomi, procorum ſuperbiſſimi, iugulum transfodit. Quo interemto alium atque alium, numquam aberrans, occidit: iam enim laruam exuens, formamque ſuam recipiens, ſe regem eſſe, qui poſt viginti annos ad eorum ſcelera punienda rediiſſet, declarauit. Quae tunc fuerit procorum commotio ac perturbatio, facilius eſt cogitare, quam dicere. Quid vero facerent miſeri illi homines, inermes, ſubito terrore perculſi, a Ioue antea dementati, omnibusque obſeratis aedium ianuis ac diligentiſſime cuſtoditis per Euryclеam, aliosque fidos famulos, quibus, dum arcum tendere fruſtra conarentur proci, ſe Vlyſſes aperuerat? Accedit, quod ſimul cum Vlyſſe aduerſus procos Telemachus, Eumaeus, et, quod omnem victoriae difficultatem tollit, ipſa Minerua ſub forma Mentoris confligebat. Quare omnes ad vnum fruſtra rogantes, fruſtra ſe defendere conantes, ſagittis, haſtis, gladio interfecti ſunt. Duo tantummodo habiti ſunt innoxii et a caede ſeruati, Medon praeco et Phemius cantor. *lib. XXII.*

Peractam procorum caedem atque Vlyſſis reditum Euryclea nunciauit Penelopae, fidem dictis non habenti. Vbi enim arcum tendere proci non valuerunt, antequam illum

illum tenderet Vlyſſes, Telemachus ad ſuperiorem aedem, in qua mulieres recepto more degebant, matrem dimiſit: Minerua vero, ne morientium procorum fremitum exaudiret, graui eam ſomno conſopiuit. Interim Vlyſſes cadauera efferri et domum a cruore piaculo purgari, et impudicis puellis per Telemachum ac famulos nece mulctatis, Melanthioque caprario horrendum in modum cruciato ac trucidato, laetam iuſſit agi choream, vt, qui foris audirent, putarent, celebrari Penelopes nuptias cum aliquo procorum.

Hiſce omnibus expletis, ablutus ac probe abſterſus ad ſuam ingreditur Penelopen, quae ex improuiſo coniugis reditu, et inſperata procorum vindicta, tam vehementi perfuſa eſt gaudio, vt ea voluptas praeteritos angores omnes ex animo expulerit. *lib. XXIII.*

Denique extremus poëmatis liber exhibebit vobis, optimi iuuenes, procorum manes, ad inferos cateruatim a Mercurio compulſos, Vlyſſem ſummo mane e lecto ſurgentem, ſumtisque armis cum omnibus ſuis abeuntem ad Laërtem in agrum, Laërtis grandem laetitiam ob receptum filium, Ithacenſes duce Eupithe, Antinoi patre, ob procorum necem inſtructa acie aduerſus Vlyſſem egreſſos, ac demum Mineruae interuentu pacem vtrimque conciliatam. Haec autem omnia a decimo tertio libro vsque ad finem paucis contraxi, quia non mihi viſa eſt haec poëmatis pars longiori explicatione indigere. Quia vero de ſuſpendio noxiarum puellarum paulo latius erat agendum, ad aliam diſputationem, quae hanc proxime conſequetur, illud reſeruaui. Ceterum multa ad vniuerſam Odyſſeam pertinentia tribus etiam diſputationibus, XLV, XLVI et XLVII. explicata ſunt, multa etiam alibi, adeo vt ex toto hoc noſtro opere ſatis ſuperque parata habeatis ſubſidia ad quasuis in Homerica lectione occurrentes ſalebras facile ſuperandas.

DISSER-

DISSERTATIO LVIII.

DE TELEMACHO SONTES PVELLAS IN REGIIS AEDIBVS SVSPENDENTE.

SYNOPSIS.

Ex opinione magis quam veritate plerique iudicant. Iuris exſecutio in plectendis reis iam turpis habetur. Qui iudicium in reos fert veluti mens eſt, qui illud exſequitur veluti manus. Salutaris reipublicae eſt reorum vltio atque interemtio. Variae populorum opiniones de publicis reorum punitoribus, deque aliis multis. Non indignum facinus Telemacho committit Homerus, dum ſontes puellas ſuſpendio necantem facit. Multa exempla conſimilia ex ſacris paginis adferuntur. Alia itidem ex fabulis et ex profana hiſtoria. Quibus de cauſſis opinio haec apud nos valeat, turpes eſſe illos, qui reos plectunt. Hunc Homeri locum imitatus eſt Arioſtus.

Ex veritate pauca, ex opinione multa praue aeſtimare pleroſque homines, dolebat Seneca, cumque eo alibi quoque nos ſaepe doluimus, iterumque dolemus. Cum enim Homerum noſtris hiſce ſermonibus iamdiu explicandum atque illuſtrandum ſuſceperimus; ſi multa in eo ex praeconcepta opinione non iudicaret vulgus legentium, defenſione noſtra nequaquam indigeret, vbi ſiue abſurda, ſiue indecora ſuis carminibus admiſcuiſſe temere Homerus creditur. Sed quandoquidem ita res habet, et error hic multos tenet, quod coepimus, opus abſoluemus, cumque plura iam falſo ſuſpecta excuſſerimus, illud etiam, quod praecedenti diſputatione innuimus, maxime diſſonum moribus noſtris excutiemus hodie.

Vlyſſes rex, peracta procorum caede, filio ſuo Telemacho, principi iuueni, regni heredi, aliiſque familiaribus regiis internecionem exſequendam committit duodecim aulae regiae puellarum, quae ſe ipſas vitiandas abſente rege procis permiſerant. Iam vero complures veſtrum ſtatim obſtrepentes mihi videor audire, ſpectatiſſimi iuuenes, vtpote qui rem tam abſurdam atque indecoram auerſemini:

ſemini: Turpi tetricoque carnificis officio regius filius, regiique familiares fungantur? Vah, inquitis, rem illepidam ac plane indignam! Adeſte tamen aequo animo, iuvenes, ac tantiſper, dum me audiatis, iudicium differte. Dicam ingenue, auditores, cur de tali argumento peculiari diſputatione verba facere voluerim apud vos. In quodam amicorum conuentu, vbi, quemadmodum vſu venit, multi variique caedebantur ſermones, neſcio quam nactus occaſionem, factum illud Homericum recenſebam, congerro quidam, qui in eo totus eſſe videbatur, vt facetiis flueret, vbi factum audiit, o bellum Homerum! inquit; mihi quidem videtur in Telemacho feciſſe id, quod faciunt noſtri illi mimi, hiſtriones vulgares in ridiculario Bergomate, vbi regni principem confingunt; ipſemet namque ſuis manibus ſuſpendit ſontes, et carnifici parcit. Quod ſane dicterium cum riſu a ceteris exceptum eſt, mihi autem, Homeri amantiſſimo, animum fodicaſſe non infitiabor, et quod Homerum carpebat, et quod erat iniuſte iactatum. Quia vero rationes, quae tantum vatem a crimine vindicant, non omnibus manifeſtae ſunt, iam tum eas auditoribus meis ex hoc loco palam facere ſtatuit, et Homerum a calumnia huiuſcemodi vindicare, quod nempe indignum facinus ac pudendum principi iuueni commiſerit, quale ſuſpendium eſt illarum puellarum. Tanto autem magis huc adductus ſum, quod Daceria, Homeri ſtudioſiſſima, multa cum laude ſaepius a me commemorata, optat, vt hoc factum in Homero non haberetur. Eia age, rem diſpiciamus.

Iuris quidem exſecutio reos ſiue capiendo, ſiue plectendo morte aliisue ſuppliciis, apud nos turpis habetur, iisque, ad quos pertinet, ignominiae eſt ac dedecori: quapropter adparitores et carniſices omnibus odio ſunt, et horrori; omnes illos refugiunt et piaculum graue quisque habet, non ſolum ſi eorum conſuetudine vtatur, ſed vel raptim cum eis colloquatur, aut etiam propius ad eos accedat. Equidem par eſſe puto, vt honeſtus quilibet apud nos ab iis abſtineat, et vſum hunc ſeruet ciuilem: veluti enim quaedam lex eſt, cui niſi te conformes, te

ipſum

ipſum dedecores huiusmodi hominibus te adiungendo, qui inhoneſti, turpes, infames vulgo exiſtimantur. Verum ſi res ipſa ex ratione pendatur, dum eos turpes exiſtimamus, qui ſontes capiunt, plectunt, occidunt; turpes, paene dixerim, etiam illos facimus, qui capiendos iubent, feruntque iudicium, vt plectantur, occidantur. Nonne veluti mens ille eſt, qui fert iudicium, manus vero illi, qui ad effectum adducunt? Cur igitur tota facti turpitudo manibus adhaereat, mentem autem, a qua tamquam a fonte deriuatur, nullatenus inquinet? Nonne Auguſtinum auditis ſapienter differentem ac refellentem Iudaeos, qui ſe tuebantur, perinde quaſi Chriſtum ipſi non occidiſſent? in *Pſalm. LXIII*, 2. Contendit enim, tum a Pilato, tum ab ipſis occiſum eſſe Chriſtum: a Pilato quidem lata ſententia, vt occideretur, a Iudaeis vero gladio linguae; acuerunt ſiquidem linguas ſuas, cum clamarunt: *crucifige*, *crucifige.* Adeo verum eſt, ad eamdem rem confluere tum qui necem imperat, tum qui imperatam exſequitur. Quandoquidem igitur nullam infamiae notam incurrere eum, qui fert iudicium in reos, arbitramur, ex ratione colligere poſſe videmur, neque eos, qui iudicium illud exſequuntur, ſi Diis placet, turpe facinus admittere. Quinimmo cum reorum vltio atque interemtio reipublicae ſit maxime ſalutaris, ſiquidem remedium eſt, quod morbum depellit, et rempublicam ſeruat incolumem, rem per ſe ipſam valde vtilem ac laudabilem praeſtare exiſtimandi ſunt. Quodſi nihilominus operarii iſti iuris adminiſtri ignominioſi habentur et turpes, id non ipſi rei, ſed hominum opinioni, cuius opinionis cauſſas ad diſſertationis calcem inueſtigabimus atque expendemus, tribuendum eſſe liquet. Fac igitur, opinionem hanc apud homines non vigere, iam actio illa turpis amplius non eſt: quod enim de locutione aiebat Horatius, penes vſum eſſe legem et normam verborum, idem et de multis actionibus dicendum eſt, turpes eſſe, ſiue non, ex vſu et conſuetudine hominum, opinione ſua quaſi legem ferentium. Nonne alicubi etiam modo maleficos homines, vt homicidas, latrones, in fuga ſiſtere manibusque

busque detinere, donec in carcerem ab accenſis compingantur, turpe nequam eſt, vt in Anglia et Gallia, apud nos vero, atque in tota Italia, turpiſſimum? Nonne carnificis ſiue adloquium, ſiue conſuetudinem deuitamus, quod alibi minime faciunt, et alicubi munus iſtud etiam ſpecioſum eſſe dicitur? Nonne conſanguinei et adfines reorum, qui publicas ſcelerum dedere poenas, maculam et ipſi apud nos contrahere putantur, nullam vero alibi? Quam hercle opinionem multo rectiorem et aequiorem iudico. Cur enim improbitas propinquorum innoxio mihi noceat probrumque adſerat? Nonne Turcae ſuſpendium minus turpe ducunt capitis obtruncatione? nos vero contra capitis obtruncationem minus inhoneſtam ſuſpendio? Nonne dexteram honeſtiorem nos, Turcae vero ſiniſtram? Atque hinc factum, vt Turca et Chriſtifidelis, dum ſimul ambulant, numquam de honore hoc diſceptent: putat enim vterque ſe honoratiorem prae alio, opinione et conſuetudine ſua rem diiudicans. Quae omnia et ſexcenta id genus alia illud, quod aiebam, comprobant, multa eſſe in humana huius vitae communione, quae honorem ſiue ignominiam ex ſola hominum opinione accipiant. Quamobrem cum antiquiſſimis temporibus opinio haec valuerit, turpe non eſſe, publico iure ſontes de medio tollere, fortaſſe etiam glorioſum; quid indignum commiſit vates, dum Telemachum alioſque regios familiares facit puellas illas ſuſpendio necantes? Liceat hic in eos, qui facto hoc offenduntur, illud Cornelii Nepotis vſurpare: *Hi ſi didicerint, non eadem omnibus eſſe honeſta atque turpia, ſed omnia maiorum inſtitutis iudicari, non admirabuntur.* Itaque parce, optima Daceria. Tu maluiſſes, in Homero huiusmodi rem non haberi: ego vero maxime volo, eique gratias ago; quod eam ſcripſerit, teſtatamque carminibus ſuis reliquerit. Ex ea enim compertum habemus eiuſce aetatis vſum, qui nobis facem praefert ad alia conſimilia in diuina Hebraeorum hiſtoria perſpicienda. Nam Dauid ab vno ex familiaribus ſuis transfodi iubet Amalecitam illum, qui ſeſe manus in Saulem inieciſſe gloriabatur. 2. *Reg. I, 15.* Aliis item praecepit, vt

vt Rechabum et Baanam, interfectores Isboſethi, Saulis filii, obtruncarent. *2. Reg. VI, 14.* Saul vero ſtipatoribus ſuis ſimiliter mandauit, vt ſacerdotibus, qui Dauidem commeatu iuuerant, necem inferrent. *1. Reg. XV, 42.* Sic Banaias, Salomonis ſtipator, Ioabum interfecit. *3. Reg. II, 34.* Sic vnus Herodis ſatellitum Ioannem in carcere capite minuit. *Marc. VI, 27.* Sic milites praetoriani ſub Pilato Chriſtum cum latronibus cruci adfixere. *Matth. XXVII, 27.* Quodſi vobis exempla haec non ſufficiant, habeo etiam alios magni nominis et auctoritatis viros, qui in ſacris literis id officii ſubiiſſe narrantur. Samuel propheta Agagum regem manibus ſuis in fruſta conciſum interfecit. *1. Reg. XV, 32.* Leuitae Moyſis iuſſu per caſtra vagati multa millia ſcortatorum et idolis thura offerentium peremerunt. *Exod. XXXII, 28.* Sed praeter haec omnia vnum adhuc ſupereſt, quod adfinius eſt ac ſimilius, quam cetera, Vlyſſis exemplum, filio Telemacho ſontium puellarum necem iniungentis. Gedeon namque cum necem deuictis duobus Madianitarum regibus, Zebeae et Salmanae, iam pararet, praecepit Iethero, filio ſuo adhuc puero, vt educto gladio in alterum eorum irrueret. Cumque ille animo labaſceret, et patris iuſſum per aetatem exſequi reformidaret, adſurgens Gedeon ipſemet vtrumque transuerberatum luce priuauit. *Iudic. VIII, 21.* Quae omnia plane oſtendunt, ea tempeſtate nequaquam turpe facinus habitum eſſe, reos interimere, etſi conſecutis temporibus homines de hac ſententia ſint demoti. Nobiſcum facit eruditiſſimus quoque Calmetius, qui ad calcem diſſertationis, qua ſupplicia in ſacro codice recenſita ſubtiliter expendit, illud quaerit, ſuine eſſent apud Hebraeos carnifices; multisque teſtimoniis confirmat, munus illud numquam in veteri teſtamento tamquam illiberale et ignominioſum eſſe notatum. Poſſem et ex fabulis adducere exempla ipſorum Deorum ac Semideorum, hoc miniſterium non detrectantium. Apollo Marſyam ſuis manibus deglubit. Theſeus Procuſten, Hercules Buſiridem aliosque morte mulctauit, ita vt Seneca in Hercule furente doluerit, exſtincto Hercule

Gg ſtre-

ſtrenuum defuiſſe terris ſceleſtorum punitorem: nam per orbem vagabatur, vt eos reperiret et de medio tolleret. Quid autem ſingulatim Deos adpello Semideosque? Vnus Iupiter inſtar omnium mihi eſt. Nonne ille contortis fulminibus impios enecat et in Orcum detrudit? Poſſem et ex profana hiſtoria non pauca teſtimonia eruere, quibus olim eos, qui reos mulctabant, ab ignominia fuiſſe liberos comprobarem. Quamquam enim, Cicerone teſte *pro Rabirio*, carnifex careret domicilio vrbis, fuit tamen cum carnifices inter ſatellites magiſtratuum verſarentur; quinimmo et milites ipſi, et tribuni, et centuriones nullo dedecore hoc officio fungerentur: quam conſuetudinem ratam quoque habent nunc militares leges. Sed et alicubi reorum interemtionem ſenatoribus nouiſſimis demandatam, apud Thomam Lanſium videre licet, in *Conſult. pag. 102.* Poſſem et ipſos Imperatores commemorare, quorum aliqui necem inferre ſontibus non exhorruerunt. Poſſem e Salmone *Vol. V. pag. 198.* Perſarum mores adducere, noſtra etiam aetate officium tollendi de medio ſontes nequaquam turpe exiſtimantium, ita vt rex modo vni, modo alteri ex inſignioribus aulae proceribus, prout ſibi libuerit, illud committat, vbi praeſertim flagitia in regiis aedibus admiſſa mulctari neceſſe ſit, quale profecto puellarum ſcelus fuit in regia Vlyſſis domo perpetratum. Poſſem et alia complura recenſere. Quid autem haec? Cum ea, quae attulimus, ſatis ſuperque eſſe arbitremur, cetera, ne longiori oratione vos conteram, miſſa vltro facimus.

Iam vero meditanti mihi, qua de cauſſa aduerſaria opinio apud poſteros valuerit, maxime vero apud nos Italos, vt turpes habeantur atque infamiſſimi iuſtitiae illi, quos memorauimus, adminiſtri, haec plane ſuccurrunt. Homines huiuſcemodi ex ima deterrimi popelli faece adſumuntur, nulla nec originis, nec ferme morum honeſtate praediti. Praeterea ad ea miniſteria non iuſtitiae amor, ſed ſola lucri ac ſtipendii cupido adigit. Quare accedente horrore eiuſce miniſterii, quod naturaliter hominibus tetricum eſt ac funeſtum, quid miremur, ſi probroſi atque exſe-

exſecrabiles homines illi vulgo habeantur, et ab omnibus, vt quaedam teterrima labes, reformidentur? Ceterum ſi quis, et generis et virtutum ſplendore conſpicuus, vnico iuſtitiae amore ſontem aliquem publico iure de medio ſuſtulerit, nam priuata vltio nemini licet; moribus praeſertim et ſeculi et gentis ſuae non reclamantibus; non video, cur rem illaudatam ac probroſam praeſtitiſſe putetur? Quapropter ſuſpendium illud puellarum ſontium in regia domo non indigne, aut turpiter attributum eſſe Vlyſſis filio, Telemacho, ab Homero, ex allatis hactenus rationibus liquere puto. Denique notandum eſt, hunc locum Homericum plane reſpexiſſe diuinum Arioſtum *cap. 13.* vbi Rolandum nonnullos ex maleficis hominibus, qui ſceleſte Iſabellam in ſpelunca illa detinebant, ſuſpendentem facit ex arbore, et, quo digni erant, ſupplicio interimentem.

DISSERTATIO LIX.

DE PATRIS IN FILIOS LENITATE ET AN PVERI CAEDENDI SINT.

SYNOPSIS.

Mitio Terentianus mitiſſimus in filium. Metu paternae ſeueritatis ingenium ſuum de induſtria occulunt pueri. Clitiphonis querimonia de patris duritia. Mali plagarum effectus. Pueri tamen e vulgo vix ſine plagis in frequentibus gymnaſiis poſſunt inſtitui. Communis conſuetudo caedendi pueros reprobata. Spartanorum diſciplina, qua regebant pueros, expenſa. Loca diuinarum paginarum de caedendis filiis explicata. Laboris nequaquam impatientes pueri. Acrior obiurgatio ſaepiſſime adhibita deſinit eſſe pharmacum. Quibus de cauſſis caedi poſſint pueri. Qui inepti ſunt, a literarum ſtudio remoueantur et ad aliud vitae genus adplicentur. Comitas parentum ac magiſtrorum debet eſſe temperata. Sarpedon, Catonis Vticenſis praeceptor laudatus. Auditorum humanitas commendata et in poſterum etiam implorata.

Cum merita Vlyſſis in populum Ithacae ſaepe commemoret Homerus, illud in primis recenſere maximeque omnium celebrare videtur, quod nempe patris lenitate in ſubditos vteretur:

— — — πατὴρ δ' ὣς ἤπιος ἦεν

hoc eſt

Inſtar patris erat cunctis clemensque bonúsque.

Ex quo mihi videor poſſe colligere, lenitatem ab Homero tamquam propriam patribus eſſe attributam, vt vix vmquam liceat illam a ſe abiicere, ac proinde eos eſſe vituperatione dignos, qui plerumque in liberos inclementes ſunt, et ſaeuitie quaſi de induſtria delectantur. Cum autem patrem dico, etiam praeceptorem intelligo: nam pueri praeceptoribus traduntur, vt loco patris educent inſtituantque. Hanc igitur ex allato Homeri dicto doctrinam ſinite, auditores, vt breuiter hodie de more excutiam et dicendo interpreter: neque enim vobis haec diſputatio prorſus erit inutilis; quandoquidem, quales vos video, alios futuros patres, alios magiſtros auguror, aliosque plane eſſe video. Docti etiam viri, mihique cariſſimi, voluntati obſecundabo, qui me hortamentis ſuis ad hanc ſcribendam diſputationem ſemel iterumque impulit.

Ac mihi quidem diſputationem inſtituenti ſuccurrit ſtatim Mitio ille Terentianus, qui, vxore carens et liberis, alterum filiorum fratris ſui ſibi adoptauit, patremque ſe dedit nimis profecto facilem, moremque vltra, quam par eſt, gerentem filio: nam, quidquid filio adlubuerat, permittebat; in quo ſane criminoſus fuit, vitioſaeque lenitatis arguendus. Veruntamen dum illam lenitatem ſuam ipſe tuetur, multa profert, quae, ſi conſiderate prudenterque accipiantur, non autem ad effuſam illam indulgentiam, bona ſunt atque educandis filiis pervtilia. Quamobrem, vt ad rem adprime facientia, ex *Adelph. Act. I. Sc. 1.* recitanda mihi eſſe duxi, veſtroque examini et iudicio relinquenda.

— *Alii*

— — — — Alii clanculum
Patres quae faciunt, quae fert adoleſcentia,
Ea ne me celet, conſueſeci filium.
Nam qui mentiri aut fallere inſuerit patrem,
Aut audebit, tanto magis audebit ceteros.
Pudore et liberalitate liberos
Retinere ſatius eſſe credo, quam metu.
Et errat longe mea quidem ſententia,
Qui imperium credet grauius eſſe aut ſtabilius,
Vi quod fit, quam illud, quod amicitia adiungitur,
Mea ſic eſt ratio, et ſic animum induco meum:
Malo coactus qui officium ſuum facit,
Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet;
Si ſperat, fore clam, rurſum ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adiungas, ex animo facit,
Studet par referre, praeſens abſensque idem erit;
Hoc patrium eſt, potius conſuefacere filium
Sua ſponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus intereſt; hoc qui nequit,
Fateatur, ſe neſcire imperare liberis.

Dum igitur tetrice ac duriter ſiue a patre, ſiue a praeceptore inſtituuntur adoleſcentes, eorum ingenium non palam fit, ac tum demum prodit ſeſe, cum ex ephebis exceſſerunt, et viuendi liberius poteſtas facta eſt. Metus enim ille ſeruilis ne ſe antea proderet, effecit, quod maxime damnoſum exiſtimandum eſt: Si namque vitioſum vitae genus filius deinceps amplectitur, ad quod propendere numquam praeſenſiſti, quia metu tuae duritiei ſe tibi ſemper data opera occuluit, vix vllus tibi relinquitur coërcendi locus; ſui enim iuris iam factus monita tua non amplius admittit. Quodſi leniter tractaſſes, ſe ipſum ſuumque ingenium tibi exhibuiſſet, eumque opportune commonere et in rectum redigere valuiſſes.

Iam vero plurimi ſunt adoleſcentes, qui de parentum ac magiſtrorum rigore conquerantur. Neque ego is ſum, auditores, qui eos tutandos ſuſcipiam, quin reprehendo et acriter obiurgo: nam quacumque demum diſciplina ſiue patres, ſiue praeceptores eos moderentur, aequi bo-

nique facere deberent; non enim quia oderunt, ſed quia diligunt, ſeuerius eos corrigunt et caſtigant. Nihilominus, quantum inſtitutoris inclementia bonae liberorum educationi officiat, quantamque feneſtram ad licentiam ac nequitiam patefaciat, ſtatim atque aſperum frenum excuſſerint, eorum querimonia probe declarat. Vnus pro omnibus audiatur, Clitipho nempe ille apud Terentium *Heaut. Act. II, ſc. 1.* qui patrem ſuum iniquae ſeueritatis accuſat:

Quam iniqui ſunt patres in omnes adoleſcentes iudices!
Qui aequum eſſe cenſent, nos iam a puero illico naſci ſenes,
Neque illarum adfines rerum eſſe, quas fert adoleſcentia.
Ex ſua libidine moderantur, nunc quae eſt, non quae olim fuit,
Mihi ſi vmquam filius erit, nae ille facili me vtetur patre.

Itaque cauendum, ne, dum filios ſeueritate ac rigore in officio continere ſtudeamus, in deterius imprudentes vrgeamus.

Quid autem dicendum de plagis, quae pueris infliguntur tum a parentibus, tum a magiſtris? Iam pridem enim ambigitur, damnandaene ſint, an probandae. Equidem de hac re quid ſentiam, libere proferam. Si pueros honeſto loco natos mihi dicas, velim cum doctiſſimis viris prorſus ſine plagis educari atque inſtitui. Namque id plagae ſolent efficere, vt indoles generoſa fiat intractabilis, abiectior veniat in deſperationem. Quodſi quotidie et cum adſiduitate infligas, id amplius conſequeris, vt et pueri corpus occalleſcat ad verbera, et animus ſalutaria quoque monita contemnat ac reiiciat. Pueros dixi honeſto loco natos. Nam quamuis etiam plebeios liberaliter educare conſultiſſimum eſſet; neque enim, quod non ſint nobilium parentum filii, deſinunt eſſe homines, pluresque ex eis egregia ac praeclara indole praediti ſaepe humo ſe tollunt, et ad ſumma munera dignitatesque adſurgunt: nihilominus, quia patres obſcuri, partim ob imperitiam, partim ob ſocordiam, partim quod operibus ad ſe ſuamque familiam alendam intenti filiis liberaliter inſtituendis animum nauiter adpellere nequeunt, vix ſine plagis

plagis ad bonam frugem flecti poſſunt, ideoque dum a magiſtris in frequenti praeſertim grege literis ac moribus formantur, vix alio modo, quam militari diſciplina, regi poſſunt atque inſtitui. Sed eos, quibus et pater ingenuus contigit, ſuusque peculiaris domi foriſque magiſter adhaeret, numquamque ſine cuſtode vagantur, nullis plagis optime inſtitui poſſe putem.

Tria vero ſunt, ni fallor, quae a plagoſis iſtis parentibus aut magiſtris mihi obiiciantur, communis conſuetudo, Spartanorum diſciplina, diuinarum paginarum praecepta. Communis ſiquidem conſuetudo iam inualuiſſe videtur pueros caedendi. Quid? communis etiam conſuetudo inualuit multa alia perperam faciendi; ideone probanda erit? Si rationes, quae contrarium ſuadent, vincant, quantumuis communi conſuetudine reclamante iis adhaerendum. Spartanorum autem diſciplinam ſeueriſſimam fuiſſe, ac fortaſſe ſaeuiſſimam, vltro confitear. Non ſolum enim domi ad plagas ferendas ſine fletu filios conſuefaciebant, ſed et in gymnaſiis praeter magiſtrum paedonomus habebatur, et iuuenes cum flagris, qui abſente magiſtro pueros pro leuiſſima quauis culpa caederent. Verum Lacaedemonii pueros etiam nudis pedibus incedere iubebant, eadem omnino veſte et hyeme et aeſtate vti, latrocinari ac viuere rapto, ea inſuper lege, vt, ſi deprehenderentur, poenas darent: quapropter neceſſe erat, vt ſumma dexteritate ac vafricie furarentur. *Plutarch. in Lycurg. Xenoph. in Lacaedem. Cic. in Tuſc.* Quis vero probet haec in diſciplina ſuorum filiorum: Spartanorum multa commendanda certe fuerunt atque imitanda; at multa itidem damnanda atque explodenda. Sed tandem ad diuina monita, quae filios virga eſſe plectendos praecipere videntur, deueniamus Haec autem ita ſe habent apud Salomonem in Prouerbiis et in Eccleſiaſte: *Stultitia colligata eſt in corde pueri, et virga diſciplinae fugabit eam.* Et, *qui parcit virgae, odit filium.* Et, *qui diligit filium ſuum adſiduat illi flagella.* Et, *curua ceruicem filii in iuventute, et tunde latera eius, dum infans eſt.* Quid clarius? aiunt plagoſi iſti puerorum inſtitutores, quid manifeſtius?

feſtius? Nihilominus reſpondere poſſim, diuinum ſcriptorem huiusmodi monita ſaepius inculcaſſe, quod ſeuerior haec diſciplina Iudaeis olim congrueret, qui rigidae duraeque ceruicis paſſim adpellantur in ſacro volumina. Nunc autem ſub mitiſſimo ſeruatore ac magiſtro, Ieſu, qui doctrina et exemplo ſuo ad omnem manſuetudinem nos informauit, non videtur diſciplina illa adeo conſentanea. Sed, hac miſſa reſponſione, virgae nomen in allatis locis non proprie accipiendum eſſe, crediderim, ſed metaphorice, et per quamdam ſimilitudinem, ita vt non ferulam, non fuſtem, non ſtimulos ſignificet, ſed liberalem admonitionem, atque, vbi opus ſit, duriuſculam increpationem. Hoc flagello regendos eſſe pueros aio, hac virga ſalubriter caedendos, his tundendos ſtimulis. Et quidem, auditores, ipſa ſacri textus verba ſignificationem hanc per ſe ipſa videntur obtrudere: nam paene vbique virga ibi dicitur diſciplina, ita vt et virga et diſciplina pro eodem intelligenda ſint. Quis enim non videat, quam abſurdum ſit, in animum inducere, id diuinum voluiſſe ſpiritum, vt tenella pueri latera veris ſtimulis tundantur? Lycon, philoſophus, duos tradebat eſſe excitandis pueris acerrimos ſtimulos, pudorem ac laudem: pudor eſt iuſti probri metus; laus autem eſt omnium artium altrix. Sed et alium oſtendam ſtimulum, aliam virgam, laborem videlicet, quo ſi vrgeas vsque a puero filium, qua blande inuitando, qua munuſculis adiiciendo, qua monendo, qua increpando, magnos dabit prouectiori aetate in virtute progreſſus. Neque enim verum eſt, quod vulgo fertur, impatientes eſſe laboris pueros, laboris nempe eorum viribus comparis, quinimmo docente experientia liquet, ſicut corpore ad curſitandum atque ad alios pueriles ludos ſolido die valent, quin delaſſentur; ſic et animo ad primas rerum cognitiones arripiendas ſtrenue valere, ſi praeſertim feſtiue ac ſine moleſtia ſibi proponantur. Stimuli itidem ſunt aliorum exempla pueris propoſita, quibus eruditio ſummam gloriam, opes, dignitatem, auctoritatemque peperit, ac rurſus eorum, quibus improbi mores, nulliſque diſciplinis excultum ingenium, infamiam,

con-

contemtum, egeſtatem atque exitium attulit. Hae virgae, hi fuſtes, hi ſtimuli chriſtianis parentibus ac magiſtris digni, quibus filios ad diuini ſcriptoris mentem caedant, eorumque latera tundant. Immo nec acrior obiurgatio frequenter eſt adhibenda. Pharmacum namque, adſidue adhibitum, deſinit eſſe pharmacum, non leuat morbum, ſed exacerbat, nec aliud efficit, quam quod ſolet cibus inſuauis parumque ſalubris. At nihil, inquies, hac ratione proficitur, et puerorum plerique nec monitis, nec precibus, nec aemulatione, nec pudore, nec laudibus, nec ceteris artibus vel ad virtutem, vel ad literaria ſtudia exacuuntur. Nonne etiam plagarum remedium erit adhibendum? Eia age, ſi ita demum res poſtulet, virga etiam pueros caedas, dum modo et plagarum ſit modus valde contractus, ipſaque tundendi ratio verecunda et liberalis, nulla ſcilicet corporis nudatione. Meminiſſe enim debes, non te aſinos, ſiue mancipia tundere, ſed liberos pueros. Neque tamen facile dederim, vt ob qualemcumque ſiue puerilem procacitatem, ſiue negligentiam in ſtudendo, ſiue ob pluſcula menda, quibus ſcantentia tibi adfert ſcholaſtica penſa a ſe peracta, puerum virga plectas, ſed ob inſignem, omnique emendationis ſpe carentem ſocordiam, ob obfirmationem in malo, ob denegatum, quod tibi debetur, obſequium ac reuerentiam, ceteraque grauiora crimina, quae, niſi a pueritia ſtatim reſeces, reliquam corrumpunt aetatem ac deprauant. Sed quid fiet, vrges, iis, qui niſi turpibus contumeliis, niſi multis et acerbiſſimis plagis, ad literarum ſtudia compelli nequeunt, et, quod Plautus dixit, ſunt verberaliſſimi? Quid fiat? rogas. A literarum ſtudiis, ad quae nati non ſunt, me auctore, repellantur, et vel iis praeceptis inſtituantur, quibus eruditi agrorum curam ſuſcipere, remque familiarem adminiſtrare poſſint, vel in alio exercitationis genere occupentur, ad quam noueris eorum ingenium eſſe accommodatius ac propenſius. Ceterum peruulgatus eſt ac grauiſſimus error, qui parentum et magiſtrorum complurium mentes deprauat, vel inuita natura pueros ad literas compellendi. Quamquam vero hactenus dictis

 facili-

facilitatem ac manſuetudinem in parentibus et magiſtris erga pueros commendauimus; volumus tamen huius comitatis prudentiam et grauitatem eſſe ſocias, ne pudorem ac reuerentiam excutiat, familiaritatis comes, contemtus; qualem fuiſſe praedicant Sarpedonem illum, qui Catoni Vticenſi erudiendo traditus eſt: is enim comitate morum ſummam gratiam, probitate parem auctoritatem apud puerum ſibi conciliarat nullo virgarum metu.

Atque haec profecto ſunt, quae, viam mihi Homero ſternente, dum paternam Vlyſſis in ſubditos lenitatem laudat, de hoc argumento diſputanda apud vos cenſui, auditores: quod certe argumentum libentiſſime pertractandum ſuſcepi, vtpote reipublicae bono maxime neceſſarium; ſi quidem a recta puerorum inſtitutione non literarum tantummodo, ſed totius humanae reipublicae pendet felicitas. Iam vero candide fateor, me aliquando aliter ſenſiſſe, neque hanc in regendis pueris ſatis probaſſe lenitatem. Sed dum rem ſubtilius expendo, grauiſſima rationum, quas explicaui, momenta, vt aduerſam ſententiam amplecterer, compulerunt. Quod autem hanc diſputationem non minus arrectis animis, quam auribus, *intentaque ora tenentes* excepiſtis, eidem vos ſubſcribere ſententiae, non male coniicio, optimi auditores, ſimulque gratias vobis ago longe maximas, quod tanta humanitate ad me audiendum accedere dignamini. Quam plane humanitatem enixe peto, vt etiam deinceps exhibere mihi velitis, dum paucis Homericis, quae ſuperſunt, diſſertationibus expletis, aliam materiam pertractandam ſuſcipiam. Veſter ſiquidem fauor vires mihi addit, vt ſupra humilitatem meam adſurgam ac paene me ipſo maior fiam.

DISSER-

DISSERTATIO LX.

DE PVELLIS HOSPITES LAVANTIBVS ALIISQVE MVLIERVM EXERCITIIS.

SYNOPSIS.

Hoſpitum lauatio inter hoſpitii officia non vltimum locum obtinebat. Puellae totum corpus hoſpitibus lauabant. Adferuntur exempla. Nonnulla videntur nobis turpia, quia a moribus noſtris ſunt aliena. Quantum puellarum honeſtati ac pudicitiae cauerent veteres. Non ſine certa honeſtatis regula munus illud puellis demandatum. In Gallia nunc etiam feminae aegrotos curant, omniaque ipſis exhibent miniſteria. Vbi nudo corpore incedunt incolae, nuditas intuentium pudicitiae non officere fertur. Athenaeus ex illa lauatione magnum veterum pudicitiae ducit argumentum. Pedes plerumque abluebant ancillae vetulae. Cur id factum, vt totum corpus puellae, pedes vetulae lauarent. Plura exempla e ſacra ſcriptura mulierum pedes lavantium. Munus cuſtodiendi oſtia apud Hebraeos feminarum fuit. Alia exercitia mulierum ex Homero coaceruantur. Sedulitas ac labor veterum mulierum otio atque ignauiae noſtrarum praeponendus.

Cum multa mulierum miniſteria in Homerica antiquitate pleriſque nota non ſint, rem gratam me facturum arbitratus ſum auditoribus meis, ſi ea ſtudioſe colligerem ac ſub vnum adſpectum darem. Tantoque magis id cenſui neceſſarium, quod cum aliquod eorum videatur abſurdum atque indecorum, nobis declarandum erat atque a turpitudinis ſuſpicione liberandum, quemadmodum et in ceteris ſimilibus quibuscumque ſingulatim fecimus, ne nouitius lector atque in Homero hoſpes eo impingens offenderetur. Hoc autem ad hoſpitum lauationem pertinet, de qua proinde verba facere primum omnium inſtituimus.

Itaque docet Homerus non vno in loco, hunc fuiſſe olim morem ac veterem legem hoſpitii, vt inter alia officia, quibus hoſpites ac peregrini exciperentur, lauatio eſſet vel totius corporis in balneo, vel ſaltem pedum extra bal-

balneum. Id autem recte ſe habet, ſed abſurdum maxime videri poſſit, quod ad prius officium deſtinarentur plerumque puellae ancilla domus, et quandoque ipſaemet filiae heriles, quod pluribus apud ipſum Homerum teſtimoniis probatur. Cum iuuenis Telemachus de patre Vlyſſe ſciſcitaturus vna cum Mentore ſe Pylum contuliſſet ad Neſtorem, fuit ab illo rege, prout par erat, omni beneuolentiae atque honoris ſignificatione habitus iuſſaeque puellae, vt vtrumque lauarent in balneo. Cum Vlyſſes procella eiectus ad flumen Phaeaciae occurriſſet filiae regis Alcinoi, Nauſicaae, Nauſicaa vicem eius dolens opem tulit, veſtem cibumque ſuppeditauit, praecepitque puellis, vt illum lauarent in flumine. Cum idem Vlyſſes, ſub figura mendici hoſpitis latens, oris ſpecie ſibi a Minerua tactu virgae commutata, domum ſuam poſt viginti annos reuerſus eſſet, gratiamque ſibi Penelopes conciliaſſet ob ea, quae de Vlyſſe illi narrabat, quem a ſe cognitum domique ſuae in Creta hoſpitio exceptum confingebat, breuique pollicebatur rediturum, iuſſus eſt lauari in balneo, munusque ſimiliter commiſſum puellis, vt eum lauarent. Iam vero morem hunc vt maxime turpem vos reiicere, vtque pudicitiae noxium atque inimicum auerſari mihi videmini, auditores. Equidem fateor, mihi quoque aliquando viſum eſſe foedum atque indecorum, mecumque reputabam, ne ipſi quidem Homero arriſiſſe; quod ex eo coniectabam, quod Vlyſſem inducit nec Nauſicaae, nec Penelopae acquieſcentem mandantibus, vt lavaretur: aperte enim vtrique teſtatus eſt, ſe nullatenus commiſſurum, vt corpus ſuum a puellis contrectaretur. Verum rem attentius deinde conſideranti plura mihi ſuppetunt, quae morem hunc a turpitudinis nota probe vindicare valeant. Illud enim toties a me repetitum atque inculcatum inprimis adferre habeo, multa nobis videri turpia, quod a moribus noſtris aliena ſunt, non quod revera turpia fuerint. Vſus enim multa complanat, quae aſpera videantur. Praeſertim cum potuerit vſus ille ad honeſtatem facile conformari, quibusdam cautionibus adhibitis, quae omnem turpitudinem repellerent. Aliunde enim

enim liquet, puellarum honeſtati maxima cura fuiſſe cautum illis temporibus: ſiquidem Ithacam reuerſus Vlyſſes cum duodecim puellas ex earum numero, quae domi ſuae ancillabantur, clam cum procis concumbere deprehendiſſet, ſuſpendio mulctatas voluit; quod alia diſputatione expendimus. Neque vero putandum, Neſtorem, virum honeſtiſſimum ac pudicum, ſi aliquod ſubeſſet periculum foeditatis, puellas expoſiturum, vt lauarent Telemachum ſociumque; aut Nauſicaam, quae tam inſignia dedit verecundiae ac pudicitiae argumenta, obiecturam fuiſſe impudicitiae periculo famulas puellas, vt lauarent Vlyſſem; quod ſimiliter dicendum de Penelope, caſtiſſima regina, quae tamquam abſolutiſſimum caſtimoniae exemplar ab Homero vbicumque deſcribitur. Quanta inſuper diligentia cuſtodirentur feminae in ſuo gynecaeo, conſtat ſimiliter ex Homero aliisque vetuſtiſſimis ſcriptoribus, vt veriſimile neutiquam ſit, lauandorum hoſpitum miniſterium ſine certa honeſtatis regula ac praeſcriptione, quod ſuperius aiebam, illis eſſe demandatum. Deinde adeſt etiam modo mulierum exemplum in Gallia in publicis valetudinariis deſeruientium, omniaque miniſteria non ſolum aegrotis feminis, vt apud nos ſacrae faciunt puellae, ſed etiam maribus miniſtrantium, quos lauant et a ſordibus mundant et omnifariam curant: quod certe, ſi apud nos fieret, vtpote qui moris huiuſce ſumus inſueti, turpe haberemus quam maxime atque inhoneſtum. Neque enim, niſi iniqui iudices eſſe velimus, cenſere debemus, morem huiuſcemodi ita in ea regione fuiſſe inductum, vt ab omni turpitudinis labe non eſſet immunis. Nam etſi ſpecie tenus periculoſus ac moribus noxius vſus quiſpiam videatur; ſi tamen bonae leges adſint, quae illum moderentur et intra certos fines quibusdam veluti cancellis coërceant, iam bonus per ſe ipſum erit, innoxius atque inculpatus. Praeterea in torridis regionibus, vbi nudo corpore incedunt viri feminaeque ſubligaculo tantummodo verendas partes ex naturae lege velantes, nihil aiunt nuditatem corporum inuicem ſeſe intuentibus officere, vel, ſi quibus officit, eo modo officere, quo ſpectaculum apud nos paten-

tium

tium vultuum; quod impudice intuentibus crimini potius datur, quam ipſis vultibus, qui innocenter conſpiciendi exhibentur. Similis fortaſſe ratio eſt eius vſus lauandorum hoſpitum puellarum miniſterio. Si quid forte in ea lauatione intemperanter quandoque peccatum ſit; nam numquam peccatum eſſe, qua homines ſunt ad malum procliuitate, non equidem adfirmarim: nolim continuo morem illum habeas maximam turpitudinis illecebram, ſed humanae potius indigneris improbitati, quae nulli parcit occaſioni, quin ea peſſime abutatur. Quid? quod Athenaeus, grauiſſimus auctor, tantum abeſt, vt pudicitiae morem hunc offendiculo fuiſſe concedat, vt hinc potius ducat magnum veterum temperantiae argumentum, talemque vſum fuiſſe doceat vetuſtiſſimum; quod illuſtrat exemplo Cocali gnatarum, quae Minoëm, in Siciliam aduenientem, lauarunt?

Iam vero altera pars ſupereſt expendenda, videlicet pedum ablutio, quae ſimiliter ad feminas pertinebat, hoc tamen diſcrimine, quod lauatio totius corporis a puellis, pedum vero ab ancillis vetulis ferme perageretur. In cuius rei teſtimonium praedictum adfero Vlyſſis exemplum, qui cum ſe, mandante Penelope, lauari a puellis in balneo abnuiſſet, petiit, vt ab aliqua vetula famula ipſius pedes tantummodo lauarentur, quod Euryclea praeſtitit, quae vbi pedes illius abluit deterſitque, oleo etiam perunxit. Hic vero meditanti mihi, quamobrem lauatio totius corporis puellis, pedum autem anibus committeretur, hoc vnum ſuccurrit, quod potius hariolando, quam adfirmando vobis propono: illam ſcilicet maioris eſſe operis plusque roboris atque agilitatis poſtulare, quam hanc; quocirca ad illam exſequendam accommodatiores fuiſſe puellas, hanc vero anus etiam adminiſtrare potuiſſe. Morem hunc, vt feminae paſſim pedes lauarent viris, etiam apud Hebraeos viguiſſe, neminem veſtrum, eruditiſſimi auditores, latere puto. Abigail enim, cum eam Dauid coniugem ſibi depoſceret, demiſſius de ſe loquens ait: *Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum domini mei. 1. Reg. XXV, 41.* Non mirum igitur, ſi Maria Mag-

Magdalena ad Chriſtum dominum in domo Simonis leproſi accumbentem acceſſerit, pedes eius lauerit, et vnguento, quod ſecum attulerat, vnxerit. In more ſiquidem poſitum erat, vt haec officia feminae praeſtarent; nec Phariſaei, qui ſimul accumbebant, commurmurarunt, quod ſineret Chriſtus ſibi pedes tangi a muliere, ſed a tali muliere, quae peſſime audiebat, et quam ipſe, vt male ſecum putabant, non agnoſceret. Paulus itidem inter chriſtianas virtutes, quas in proba vidua exigebat, quae ad miniſteria in eccleſia eligeretur, illud enumerat, *ſi ſanctorum pedes lauit.* Quamuis autem ita res habeat et ſanctiſſimi apoſtoli ſuffragium accedat, quo mos ille extra omnem culpam ponitur, et chriſtianis virtutibus adnumeratur; puto tamen, pleroſque noſtrum offenſum iri, ſi quas modo feminas pedes hominibus lauantes audiremus, non alia de cauſſa, niſi, vt arbitror, quia res eſt moribus noſtris inſolens. Quod ideo animaduerti, vt aliud quoque amplioris lauationis officium a puellis praeſtitum, quod primo loco declarauimus, pari ratione a crimine vindicem. Elegantiſſimi mihi ſuccurrunt Catulli verſiculi, quos recitare opportunum duco: in iis enim Ariadne Perſeum adloquitur eo paene modo, quo Abigail Dauidem, vt ſupra recenſuimus.

Attamen in veſtras potuiſtis ducere ſedes,
Quae tibi iucundo famularer ſerua labore
Candida permulcens liquidis veſtigia lymphis,
Purpureaue tuum conſternens veſte cubile.

Eorum, quae proxime diſputauimus, aliud Hebraearum mulierum munus quaſi adpendix eſto; quod noſſe valde proderit ad locum euangelicum intelligendum de ancilla oſtiaria. Hoc autem addere mihi placuit in gratiam maxime ſacri ordinis adoleſcentium, quorum nos paucos me audientes video. Quae iſta fuerit ancilla oſtiaria, cuius meminit ſacer ſcriptor, aut cur ita adpellaretur, non plane adſequemini, adoleſcentes, niſi teneatis, munus fuiſſe feminarum apud Hebraeos cuſtodiendi oſtia. Sic prae foribus tabernaculi Domini feminas vigilaſſe ex *1. Reg.*

XI,

XI, 22. diſcimus. Sic legimus ibidem, Rechabum et Baanam, poſtquam Isboſethum, filium Saulis, dormientem in ſtrato ſuo percuſſum in inguine per proditionem interfeciſſent, transſiluiſſe libere oſtium, quia mulier oſtiaria, quae ibi ante portam triticum purgabat, ſomno correpta erat.

Vt autem extremam diſputationis partem demum abſoluamus, et cetera mulierum exercitia, quae Homerus habet, recenſeamus, qualia illa fuerint, breuiter accipite ex Feithio magis, quam ex me. Rem domeſticam inprimis curabant, ſuo quaeque operi ſedulo intentae. Commune omnium ſtudium, reginis ipſis nequaquam exceptis, in verſanda lana texendaque tela impendebatur. Ita namque Hector Andromachen, quae illum auertere a pugna conabatur, domum concedere iubet, ſuaque opera curare, ἱςόντ᾽ ἠλακάτην τε, telam et colum; quemadmodum etiam Telemachus matrem. *Odyſſ. lib. I.* Et quidem, quod ad colum attinet, eam Helena habet auro et argento inſignem, a qua violaceam lanam trahebat. *Odyſſ. lib. IV.* Nec non Aretem, Phaeacum reginam, eiusdem coloris lanam trahentem, et ad focum cum ancillis ſedentem facit vates *Odyſſ. lib. VI.* Helenam vero texentem quoque telam, ibique res a Graecis ac Troianis geſtas eleganter inſerentem narrat. *Iliad. lib. III.* Andromacham pariter Hectoris vxorem, et ipſam texentem telam deſcribit, variosque flores affabre radio inſpergentem *Iliad. lib. XXII.* quare apud Virgilium perhibetur, veſtes ſua manu elaboratas donaſſe Aeneae. Idem nymphae Circe et Calypſo factitant. Nota denique tela Penelopes triennio texta ac retexta. Sicut autem telas a mulieribus textas; ſic etiam veſtes conſutas eſſe conſtat: qualia Hectori veſtimenta iacebant in aedibus τετυγμένα χερσὶ γυναικῶν, videlicet mulierum manibus laborata. Quo Virgilius adludens ait, *Iliadumque labor veſtes. Aeneid. lib. VII.* Et alibi Didonem narrat dono dediſſe Aeneae laenam ſua opera factam. Praeterea ſolitae mulieres parare panes atque alia, quae ad victum pertinebant, vna demta animalium mactatione. Nam virorum erat, adeoque ipſorum heroum,

-rouu, animalia mactare et conciſas carnes coquere. Hinc in aula Alcinoi quinquaginta ancillae fuiſſe dicuntur, quarum aliae frumentum mola contundebant, aliae telam texebant. In aedibus vero Vlyſſis ex totis quinquaginta famulabus duodecim deſtinatae erant, quae noctu molerent. Eo pertinet, quod habet Matthaeus in euangelio: *duae molentes in mola, vna adſumetur, et vna relinquetur. XXIV*, *41*. Mulieri quoque data penus cura, vt in aedibus Vlyſſis Eurycleae *Odyſſ. lib. I.* Aquam etiam e fonte mulieres conſueuerant adferre. Id agere ancillas praedicta Eurycleа iubet *Odyſſ. lib. XX.* Hector vero metuit vxori Andromachae, ne ſe mortuo captiua Argis aquam ferre cogatur, ac telam alienam texere. *Iliad. lib. VI.* Accedit Herodoti auctoritas, qui in libro, cui nomen eſt Erato, hunc morem fuiſſe dicit ingenuis puellis apud Athenienſes antiquiſſimum. Et apud Homerum *Odyſſ. lib. X.* regis Laeſtrigonum filia aquam hauſtura ad fontem pergit. Ex quo lucem accipit, quod *Geneſ. XXIV*, *15*. narratur de Rebecca, nobiliſſima puella, Bathuelis filia; hydriam namque habens in ſcapula, fontemque petens deſcribitur, vt aquam hauriret domumque referret. Similiter et alius locus illuſtratur *Exod. II*, *16*. vbi ſeptem filiae ſacerdotis Madian veniſſe ad hauriendam aquam leguntur, cumque a paſtoribus per iniuriam prohiberentur, ſtrenue a Moyſe fuiſſe defenſae. Videtisne, adoleſcentes, quod ſaepius docui, quam bene peruetuſti mores ab Homero narrati cum ſacro codice conueniant? A veſtibus itidem lauandis nobiles mulieres ac puellae non abhorrebant; quod exemplo Nauſicaae comprobatur, *Odyſſ. lib. VI.* Phoeniſſaeque illius, qua cum raptus Eumaeus *Odyſſ. lib. XV.* Itaque ibant vel ad labra, in hanc rem prope vrbem conſtructa, vt de Troia teſtatur vates *Iliad. lib. XXII.* vel ad flumen, vt de praedicta Alcinoi regis filia perhibet; id autem praecipue fiebat, cum aliqua laetitiae adeſſet occaſio. Neque vero ex eo, quod mulieres ingenuae opera huiusmodi atque exercitia nunc reſpuant, inferendum, veteres feminas abiectius vitae genus eſſe amplexatas, minusque decenter, quam pro ſtatus

 digni-

dignitate, ſe geſſiſſe: quinimmo verius colligite, earum ſedulitate ac ſimplici, candido, naturalique vitae genere noſtrarum feminarum ignauiam, ſuperbiam, luxum mollitiemque incredibilem maxime redargui ac damnari. Nonne ſapientiſſimum Salomonem auditis, vbi celebrandam ſuſcepit mulierem *virilem*, quam latinus interpres dixit *fortem*, in maximis eius laudibus recenſere, quod lanam et linum quaeſiuerit, quod digiti eius fuſum adprehenderint, quod conſilio manuum ſuarum operata ſit, quod numquam otioſa panem comederit? Quis igitur antiqua mulierum exercitia molliſſimo iſti noſtrarum otio non praeferat? niſi forte nullum aliud opus nobilibus feminis iam conuenire dicendum ſit, quam ſe ipſas comere et inter placentes ſibi viros otioſe adſidendo terere ſolidos dies.

DISSERTATIO LXI.

IN QVA COMPLVRA EX ODYSSEA SELECTIORA ET SCITV IVCVNDIORA EXPLICANTVR.

SYNOPSIS.

Iudicium Longini de Odyſſea non rectum. Diſcrimen inter Iliadem et Odyſſeam. Horatius Odyſſeam proponit tamquam abſolutiſſimum poëſeos exemplum. Tum Deos, tum homines adſidentes menſis Homerus facit. Etiam antiqui Italiae incolae menſis adſidebant. Item Aegyptii et Hebraei. Perſae accumbebant. Hebraei poſt captiuitatem modo ſederunt, modo accubuerunt. Chriſtus dominus cum diſcipulis in nouiſſima coena accubuit. Alexander M. etiam poſt deuictos Perſas menſae adſidere maluit. Perſarum lectuli humiles ante humiles menſas, vt nunc Turcarum. Vetuſtiſſima pilae luſoriae primordia in Homero. Hallucinatio Iſaaci Newtoni. Laus Aug. Card. Quirini. Nonnullae voces ad pilae ludum ſpectantes explicantur. Pila paganica. Clauaria. Trigonalis. Follis. Harpaſtum. Variae ex Polluce et Euſtathio pilae luſoriae deſcriptiones. Variae ludentium formulae. Nauſicaa nouum palmae germen dicta. Menelaus ſine morte ad Elyſios

ſus mittendus. Enochus translatus in Paradiſum. In Protei transformationibus magicae Aegyptiorum artes indicatae. Bona Odyſſeae pars ad Magiam pertinere videtur. Incantatio in cantu Sirenum expreſſa. Hortus Alcinoi in Phaeacia. Fertilitas regionis Hebraeis promiſſae. Arbores ſemper pomiferae. Planta Caffei. Nuces myriſticae et caryophilla. Sternutamentum nihil mali portendebat Homeri aetate. An tempore diui Gregorii M. ſternutantes morerentur. Vnde originem habuerit fauſta adprecatio ſternutantibus facta. Riſus Sardonius. Herbam quampiam in inſula Sardoa ſi quis ederit, ridens moritur. In Sardinia ſenes, Saturno mactandi, cogebantur ridere. Malis, ſiue maxillis ridere alienis quid ſignificet.

In vtroque poëmate, Iliade atque Odyſſea, adeoque plene cumulateque omne tulit punctum Homerus, vt aegre ſtatuere valeamus, vtrum vtri praecellat. Profecto Ariſtoteles aeque ex vtroque artem poëticam efformauit. Longini iudicio de Odyſſea plerique non ſubſcribunt. Exiſtimat enim, fuiſſe ab Homero compoſitam in ſenectute: quare hoc poëma ſcribentem comparat ſoli in occaſum vergenti et vehementiam ardoris remittenti; contra putat Iliadem in ipſo flore ac vigore ingenii ab eo eſſe ſcriptam. Pace vero tanti viri non poëtae langueſcenti aetati, ſed ipſi Odyſſeae argumento imputandum videtur dicendi genus remiſſius ac ſedatius. Ilias enim poëma eſt actiuum et pugnax δραματικὸν καὶ ἐναγώνιον, vt ipſe ait Longinus: Odyſſeae vero pleraque pars in narrationibus occupatur τὸ πλέον διηγηματικόν. Ceterum vbi pugnarum fortiumque rerum in Odyſſea occurrit deſcriptio, Homerus idem prorſus eſt, atque in Iliade. Praeterea ex hoc Longini iudicio ſtatuendum eſſet, Virgilium priorem Aeneidos partem, quae Odyſſeam exprimit, compoſuiſſe ſenem, alteram, quae exprimit Iliadem, ſcripſiſſe iuuenem. Adeo autem verum eſt, Odyſſeam in genere ſuo poëma eſſe vividum, boni ſucci plenum, omnibusque numeris abſolutum, vt Horatius illud propoſuerit tamquam perfectiſſimum poëſeos exemplum. Quocirca cum Odyſſeam vobis multis diſputationibus planam fecerimus, quae habet obſcuriora, illuſtrauerimus, ſpecie tenus abſurda et incredibilia,

dibilia, fide digna reddiderimus; libet iam ex ea complura alia vna eademque diſputatione vobis indicare: quod idem in Iliade nos olim facere meminimus. Dum vero et voluptati veſtrae et commodis conſulo, par eſt, ornatiſſimi iuuenes, vt dicenti attentas benignasque aures praebeatis.

Primum omnium obſeruandum vobis ſeligo ex primo Odyſſeae libro illud *κατὰ κλισμούς τε, θρόνους τε*, quod deinde vates paſſim repetit: vbique enim tum Deos, tum homines menſis adſidentes facit, nullibi accumbentes. Ex quo colligitur, morem illum fuiſſe longe vetuſtiſſimum. Quod animaduertit etiam Maro *Aeneid. lib. VII.* de priſcis Italiae incolis:

Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis;

etſi iuxta aetatis ſuae conſuetudinem, qua receptus erat accubitus, induxerit *Aeneid. lib. I.* Aeolum Iunoni dicentem:

— — — *Tu das epulis accumbere Diuum.*

Etiam diuinae literae de Aegyptiis et Ioſepho teſtantur, quod menſae adſiderent *Geneſ. XLIII.* Salomon item *Prouerb. XXXIII.* innuit, Hebraeos menſis ſuo tempore adſediſſe. Quodſi in Cantico canticorum ait: *Dum eſſet rex in accubitu ſuo*, non putamus, ibi loqui de rege menſae accumbente, ſed in lectulo requiem captante; niſi malumus dicere, vt bene animaduertit Calmetius, vocem hebraeam aptiſſime etiam ſignificare ſellam aut ſolium. Cum vero Perſae conuiuantes in lectis accumberent, hinc auctor Eccleſiaſtici, poſt captiuitatem ſcribens, modo ſeſſionem IX, 12. modo accubitionem XXXI, 12. indicat. Et Chriſtus dominus in nouiſſima coena menſae cum apoſtolis accubuit. Alexander M. etiam poſt deuictos Perſas, a quibus ad Graecos accumbendi mos pertranſiit, menſae adſidere maluit. Hinc Athenaeus *lib. I. cap. 4.* de eo refert: *Καθέζονται δ' ἐν τοῖς συνδείπνοις οἱ ἥρωες, οὐ κατακέκλινται. τοῦτο δὲ καὶ παρ' Ἀλεξάνδρῳ τῷ βασιλεῖ ἐνίοτε ἦν, ὥς φησι Δοῦρις.* Perſarum lectulos humiles fuiſſe ante humiles men-

menſas, vt nunc Turcarum, ſuſpicatur laudatus Calmetius. Turcis enim in vſu eſt menſa rotunda, baſi impoſita vnius palmi, cui adſident in tapetibus humi ſtratis.

Hiſce de more adſidendi et accumbendi menſis breuiter explicatis, libet iam de ſphaerae, ſeu pilae ludo, quem σφαίρησιν Graeci dicunt, nonnihil delibare. Huius ſiquidem ludi vetuſtiſſima primordia leguntur in Homero, qui *Odyſſ. lib. VI.* Nauſicaam inducit cum ancillis in maris litore colludentem, et *lib. VIII.* Phaeacas in aula Alcinoi. Sed antequam id facio, adnotare libet cum Angelo Card. Quirino, doctrina et virtutibus vere eminentiſſimo, quam foede hallucinatus ſit Iſaacus Newtonus, Mathematicorum huius aetatis facile princeps. Ille enim tribuit Nauſicaae non ſphaerae luſoriae, ſed technicae, motus coeleſtes repraeſentantis, primordia, putatque, huiusmodi ſphaeram traditam fuiſſe regiae puellae ab Argonautis, dum in Corcyra morarentur, quibus nimirum antea ad longae nauigationis vſum Chiron et Orpheus eam conſtruxerint. Quam vero acute, ſapienter, vere in eo volumine, cui titulus eſt, primordia Corcyrae, doctiſſimus Quirinus, et, quod maximopere me delectat, ὁμηρικώτατος, omnia expendit, quae de Phaeacibus ſuis, quorum praeclariſſimus fuit antiſtes, Homerus habet! Euſtathius quidem mollioris vitae luxum conſectatos eſſe Phaeacas docuit: ſed quomodo haec conueniant, inquit Quirinus, cum iis, quae de Phaeacum certaminibus, eximiaque nauigandi peritia dicuntur, Euſtathius ipſe viderit. Quod ad Phaeacum humanitatem erga hoſpites, fatetur, eam laudem ad vniuerſam gentem, cui hoſpites erant accepti, non ſpectaſſe; contendit tamen, eius non fuiſſe expertos viros inſulae principes. Sed et ſuſpicionem ruditatis, nimiaeque credulitatis a Phaeacibus repellit: nam etſi ex Homero adpareat, magnam illos ex Vlyſſis narrationibus voluptatem cepiſſe; non tamen videntur eas reputaſſe quaſi ad hiſtoriae normam omnino expreſſas, ſed in iis partes modo hiſtorici, modo poëtae ſenſiſſe; quod coniicit ex verbis Alcinoi, quae ad Vlyſſem dixit:

Μῦθον δ' ὡς ὅ,, τ' ἀοιδὸς ἐπισαμένως κατέλεξας.
Cantor vt egregius; ſermonem ſic habuiſti.

Has ſane animaduerſiones ex laudato clariſſ. viri libro, vbi etiam temere aliquos adfirmaſſe oſtendit, κερκύρας, Corcyrae, nomen apud Homerum reperiri, quam vocavit Scheriam, vobis proponere optimum duxi, adoleſcentes φιλόμηροι, vt eas cum aduerſis opinionibus componentes, quibus ipſimet aliquando haeſiſſe videamur, clare cognoſcatis, quam ſolerter ſint excogitatae, quantamque laudem promereantur. Verum ad ea, quae ſphaerae ludum exponunt, iam reuertimur. Σφαιριςήριον locus erat ad exercitium pilae inprimis deputatus. Αποδυτήριον, quaſi dicas *exutorium*, locus ſubiectus, in quo veſtes σφαιρισαὶ, hoc eſt, *luſores*, deponebant. Σφαιρίζειν vero, ſiue σφαιρομαχεῖν ipſum erat *pila ludere*. Pilam, quae per vices manu repercutitur, *manuariam* dixerunt, Aurelianus vero *repercuſſabilem* et *Italicam*. Haec Polluci dicta σφαῖρα μαλακκή, et Suidae πῖλος. Eius generis fuit pila *paganica*, hoc eſt, pagorum incolis vſitata, quamquam et Romae in vſu fuerit. Laxior erat, et vel lana, vel pluma molliue pilo farta. Pila vero *clauaria* praedura, ſirmoque ſtipata pilo, claua plumbata expellebatur, vt apud nos ligno, quod tereti manubrio in latitudinem exporrigitur. Huiusmodi fuit *trigonalis*, ſiue *trigon*, qua ludebatur in thermis, ſeu balneis, ad corpus exercendum. Quae vox non a figura pilae ducta eſt, vt falſo putarunt nonnulli, ſed a tribus ludentibus, ita diſpoſitis, vt trianguli figuram efficerent. *Follis* pila ventoſa, coriacea, ſiphonibus vento completa, nomen traxit a tumore, quo follem imitatur. Quod autem pugno verberetur, non palma, *pugillatorius* eſt dictus. Sunt, qui ab Hippocrate dictum cenſeant κώρυκον. eiusque ludum κωρυκομαχίην: ſed contra ſentit doctiſſimus Burretus, Gallus, *Tom. I. Mon. Inſcript.* Contendit enim, κώρυκον fuiſſe peram, ſeu ſacculum ſabulo plenum, e celſo lacunari fune aptatum, qui ſublatus ab alterutra parte, mox dimiſſus a ludente, dorſo aut pectore excipiebatur. Quodſi ictu minime concuſſus loco ſtaret immotus, victor abibat. Follem igitur ſi habuerunt

Graeci,

Graeci, non κώρυκον dixerunt, ſed σφαῖραν κενήν. *Harpaſtum* denique, ἅρπαστον, pila eſt vel ſcortea, vel lanea, vel tomento floccisue farta, a ſtudio rapiendi nominata, quo quisque eam rapere ſatagit. Quatuor occurrunt voces in Polluce et Euſtathio ad pilae ludum pertinentes, non ita faciles intellectu, quas operae pretium duxi vobis recitare et explanare, ſtudioſiſſimi adoleſcentes. Ουρανία, *pila coeleſtis*, quando in coelum excepta manu euerberatur. Απόῤῥαξις, vbi ſolo alliditur itemtidem reſultans. Επίκοινος, *communis*, quando partes hinc atque illinc expulſam ſcite excipiunt atque expedite vltra metam reiiciunt. Εφετίνδα, *impoſtoria*, quando pila vni oſtenſa ad alterum mittitur. *Datatim ludere* eſt, quando in tectum, pergulamue a datore adigitur; *expulſim*, quando vel de tecto excepta, vel ſolo illiſa in longum expellitur; *raptim*, quando vltro citroque volans repercutitur vel palma, vel reticulo, vel alio inſtrumento. Quandoquidem autem hanc de ſphaerae ludo enarrationem a Nauſicaa auſpicatus ſum, multa voluptate perfundor animaduertens, regiam illam puellam nouum palmae germen apud Homerum nuncupari.

Φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα.

Huius enim ſimilitudinis indoles cum alia mire congruit, quam regius adhibet Pſaltes CXXVII, 4. vbi filios viri iuſti noua oleae germina vocat: *Filii tui ſicut nouellae oliuarum, in circuitu menſae tuae.*

Sed progrediamur ad alia. Vbi Proteus *Odyſſ. lib. IV* tetram ac luctuoſam necem expoſuit Menelao, quam Aegiſthus adulter, conſcia atque adnuente perfida Clytemneſtra, Agamemnoni eius fratri Argis intulerat, eum ſolaturus, immunem a letho fore praedicit, Deosque illum ſine interitu ad Elyſios miſſuros. Meridiana luce clarius eſt, hanc fabulam ab Homero confictam ex vera Henochi hiſtoria, quae Geneſeos libro legitur. Enochus ſine letho in paradiſum translatus eſt; quod placuit Deo. Menelaus in laeta Elyſiorum arua transfertur a Ioue, quod valde ab eo diligitur, vtpote Helenae vir, adeoque Iouis gener. Quid ſimilius, quid conformius, vt putemus hoc ex illo

deriuatum? Neque dicendum, ſecum pugnare Homerum, quod *Odyſſ. lib. III.* Mineruam induxerit Telemacho dicentem, mortem eſſe cunctis hominibus communem, neque licere Diis, quemquam ab interitu eximere, cum Parca ad exitum vitae detruſerit. Ibi enim vates Parcam ſumit pro decreto Dei, quod fixum eſt atque immutabile; non autem denegat, fas eſſe Ioui lato priuilegio immunem a morte facere, ſi quem velit.

Quantum ad Protei de vna in aliam formam verſiones tam multas ac mirificas, quot qualesque ab Homero deſcribuntur, antequam illum Menelaus comprehenderet, ſtringeretque, omiſſa Diodori Siculi interpretatione, quae Daceriae viſa eſt frigere, veriſimilius eſt, adluſiſſe poëtam ad magicas Aegyptiorum artes, quarum exſecrando vſu admirandos effectus edidiſſe perhibentur non in homines ſolum ac beſtias, ſed et in ipſa mundi elementa. In Aegypto enim detentus, Menelaus ab Idothea, Protei filia, monetur, vt patrem de ſuo reditu conſulat. Profecto Magi Pharaonis, vt ipſae ſacrae literae teſtantur, nonnulla Moſaicorum prodigiorum aemulari valuerunt, virgam in colubrum, aquam in ſanguinem vertendo, raniſque Aegyptum complendo. Quae vero extra ſe patrabant μεταμορφώσεων portenta, etiam in ſe ipſis patrare potuiſſe, cum vellent, nemo dubitauerit. Namque e Graecis, qui artem magicam ab Aegyptiis acceperunt, aliqui exſtitiſſe dicuntur, qui in ſe ipſis mirabiles ſaepe exhibuerunt formae mutationes, vt de Calliſthene, de quodam Xenophonte, de Scymno Tarentino, de Philippide Syracuſano, de Heraclito Mitylenaeo memoriae proditum eſt. Dicere non omittam, antiquos ſcholiaſtas docuiſſe, phocis, id eſt, marinis Protei monſtris, deſignari ab Homero animalia, quibus Magi ad artis ſuae edenda prodigia vtebantur. Cuius ſane artis celeberrimus vſus in Odyſſea occurrit, adeo vt bona eius pars ex ea conſtare videatur. *Siquidem*, vt inquit Plinius, *lib. XXX, cap. 1. Protea et Sirenum cantus apud eum non aliter intelligi volunt; Circe vtique et inferorum euocatione hoc ſolum agi.* Quae omnia nos ſuperioribus diſputationibus adfatim expoſuimus. Hic ſolum-

ſolummodo obſeruare libet ἐπῳδὴν *incantationem*, quae artis magicae pars eſt, pellaci Sirenum cantu ab Homero expreſſam fuiſſe, alias item incantationes in ſalutem adhibitas eſſe, hoc eſt, depellendis morbis, vt factum ab Autolyci filiis in Vlyſſis vulnere, vt in diſſertatione XXV. fuſe narrauimus, cum quaereremus: *vtrum Muſica curentur morbi.*

Miraculis artis magicae laetius aliud et iucundius ſubiiciam, mirabilem Alcinoi hortum a poëta *Odyſſ. lib. VII.* depictum, poſtquam ad inſulam Scheriam, ſiue Phaeaciam, quae poſtea dicta eſt Corcyra, Vlyſſes delatus eſt. *In eo ſunt*, ſic Homericum textum vtcumque interpretor, *procerae arbores floribus ornatae, piri, mali punicae, aliaeque pulcros ferentes fructus, ficus dulces et vireſcentes oleae, quarum fructus non hieme, non aeſtate deſinit, ſed totum annum perdurat. Nam perpetuo ſpirans Zephyrus alia naſcentia excitat, alia digerit ad maturitatem. Pirum ſuper pirum ſeneſcit, malum ſuper malum, vua ſuper vuam et ſuper ficum ficus. Hic et fecunda fructu vinea radices agit, cuius altas vuas lato in loco et aprico exſiccant in ſole, alias vindemiant, alias calcant; longe autem vuae etiam acerbae ſunt, et aliae matureſcunt.* Equidem ſcio, a plerisque hanc Homericam deſcriptionem ad fabulas aniles reiici. Quid autem, ſi contenderim, a veriſimilitudine illam non abhorrere? Nam praeterquam quod in diuinis literis de fertilitate beatae illius regionis Hebraeis promiſſae, lacte et melle fluentis, teſtatum legitur: *Pomis arbores replebuntur; adprehendet meſſium tritura vindemiam, et vindemia occupabit ſementem.* Theophraſtus et Plinius arbores deſcribunt ſemper pomiferas, *aliis pomis cadentibus, aliis matureſcentibus, aliis vero ſubnaſcentibus.* Quod idem prorſus de Caffei planta in Arabia et Perſide, deque nucibus myriſticis et caryophillis in Moluccis narratur. Non ergo a natura alienum, quod de horto illo vates refert. Fateor, hyperbolicum eſſe figmentum, quod illud miraculum in omnibus ſpectaretur arboribus; ſed danda poëtae venia, cui quidlibet audendi poteſtas eſt, dummodo

Ficta voluptatis cauſſa ſint proxima veris.

Iam vero, antequam finem dicendi faciam, duo alia breuiter extricabo, ſternutationem Telemachi, riſumque Sardonium Vlyſſis, in quibus nonnihil peregrinae, vulgoque minus notae eruditionis latitat. Dum Penelopae polliceretur Eumaeus, fore vt propediem rediret Vlyſſes, Telemachus in procorum conuiuio ingenti ſtrepuit ſternutamento, μέγ' ἔπταρεν, quo bono omine vehementer laetata eſt mater, quae ſimiliter eodem Telemacho alias ſternuente, veluti accepto proſperiore augurio ſuum votum de caede procorum confirmabat *Odyſſ. lib. VIII.* Quid clarius ad probandum, Homeri aetate nihil mali portendiſſe ſternutamentum? Cur igitur ominoſum habitum eſt ſubſecutis temporibus? Equidem varia apud varios ſcriptores legi, quae ferme fabuloſa putanda ſunt, quale illud maxime, quod diui Gregorii Magni aetate ſternuentes repente morerentur, atque inde morem enatum ſalutem ſternuentibus apprecandi. In more poſitum erat longe antea tum Graecis, tum Romanis, iis, qui ſternuerent, bene precari. Ζῆθι, ζεῦ σῶσον formula erat Graecis familiaris. *Salue*, vel quid ſimile Latinis. Suſpicor cum eruditiſſimo Morino, Gallo, *Tom. V. Mon. Inſcript.* putaſſe homines, neſcio quo caſu, ſternutamentum morbum eſſe, quaſi breuem epilepſiam, atque originem habuiſſe morem, vt ſternuentibus fauſta fieret precatio; qui deinde mos longe lateque ad omnes paene nationes peruagatus eſt. Hiſpani ſiquidem vel apud Americanos inuectum repererunt. Falſum tamen hoc eſſe iudicium, tum phyſicae rationes oſtendunt, tum celeberrimorum medicorum auctoritas, tum experientia, qua ſalubre et iucundum ſternutamentum ſentimus. Quare maluerunt alii ſternuentibus dicere: *profit*, quam, *ſalue*.

De riſu Sardonio modo dicturus, ex immenſa ac plerumque ſuperuacanea diuerſarum interpretationum copia nonnullas, quae videntur probabiliores, adferam. Itaque narrat Homerus, riſum Sardonium riſiſſe Vlyſſem in mendici ſpeciem a Minerua tactu virgae transformatum, poſtquam Cteſippus, petulantia inter procos inſignis, pedem

dem bouis e caniſtro ſumtum in eum eſt eiaculatus; ipſe vero capite commodum deflexo ictum declinauit,

— — — μείδησε δὲ θυμῷ
Σαρδάνιον μάλα τοῖον — — —

Euſtathius putat, dictum *παρὰ τὸ σεσηρέναι τὰ χείλη a diducendo labia:* qui enim ſic ridet, intus aut ira aut moleſtia diſcruciatur, adeo vt riſus *Sardonius*, ſiue *Sardanius* idem ſit, ac ſubamarulentus. Pauſanias in Phocaicis tradit, inſulam Sardoam ſerpentes gignere innoxios, ac praeterea a venenis herbarum prorſus eſſe immunem, niſi quod vnam alat exitialem apii ſpecie, quae iuxta fontes quidem proueniat, non inficiat tamen fontium aquas, ſed ſi quis eam ederit, ridentem emori. At, Zenodoto teſte, gens fuit in Sardinia, quae immanitate barbara ſenes ſeptuageſimum annum praetergreſſos Saturno ſacrificaret, cogeretque ridere. Quae ſane interpretatio et Daceriae, et mihi ceteris omnibus videtur praeferenda. Eodem libro paulo inferius proci mox perituri effuſe riſerunt, quem riſum tamquam fatalem et Sardonio ſimilem Minerua ipſis immiſit, quod pernicies a fatis deſtinata nihil tale opinantibus iam immineret:

— — — μνηστῆρσι δὲ Παλλὰς Ἀθήνη
Ἄσβεστον γέλων ὦρσε, παρέπλαγξεν δὲ νόημα
Οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελοίων ἀλλοτρίοισιν.

Diua procis mouit validum Tritonia riſum
Haud compeſcendum, atque animum ſtupefecit; at illi
Iam malis mente amoti riſere alienis.

Qui non ex animo rident eleganter dicuntur a poëta malis, ſiue maxillis ridere non ſuis, ſed alienis. Quem Homericum locum expreſſit Horatius *Sat. lib. 2. Sat. III.*

Cum rapiet in ius malis ridendem alienis.

Ni fallor, optimi iuuenes, hodierna diſputatio quaſi menſa vobis fuit opipare varietate epularum inſtructa. Accepta rerum capita, quaſi cibos ſtomacho immiſſos,

vt

vt bono ſucco vos alant, vobiscum memoria recolite, et quaſi concoquite recogitando, dum bene paſtos vos dimitto.

ADPENDIX
HOMERICARVM DISSERTATIONVM.

Complura alia argumenta meditabar, amice lector, aliis diſſertationibus pertractare: ſed ne opus nimis ſuccreſceret, prudens abſtinui; cum praeſertim, quae erant neceſſaria maiorisque momenti ſiue ad vindicandum, ſiue ad illuſtrandum in vtroque poëmate Homerum ſatis excuſſerim. Nihilominus ea ſaltem tibi indicare, et aliquid ex iis, quae ad illorum explanationem faciunt, leuiter attingere volui, vt cumulatam hac appendice habeas Homericarum rerum interpretationem.

I. *De Aethiopibus et an America Homero innotuerit.*

Accuſant nonnulli Homerum, quod Aethiopas bifariam diuiſerit *Odyſſ. lib. I. et Iliad. lib. I.* vnam ſiquidem aiunt eſſe Aethiopiam. Sed eos refellit Strabo *lib. I.* Tradit enim, quod, ſicut Aegyptum atque Aegyptios a Delta ad Syenem vsque Nilus bifariam diuidit, ita Aethiopia eodem flumine ſecetur. Quomodo igitur non erit in duas partes diſſecta, quarum vna Orientem ſpectat, altera occidentem? Extremos autem hominum vocat Aethiopas,

— — — τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν.

quia ab ea parte, quae eſt verſus occidentem, Aethiopia finitur Oceano, qui dicitur Aethiopicus. Hic cum mari Braſilico coniunctus eſt. Quamquam igitur doctiſſimus Eraſmus Schmidius, vt notauit clariſſ. Fabricius *Biblioth. graec.*

graec. Vol. I. pag. 345. probare conatur, Americam in notuiſſe Homero; tamen puto, hinc contrarium euinci. Non enim dixiſſet vates Aethiopas extremos hominum, ſi vltra mare Aethiopicum eſſe aliam regionem exiſtimaſſet, ab hominibus habitatam.

II. *De Praeconibus.*

Vates *Iliad. lib. III.* vocat eos ἀγαυοὺς, *magnos*, *admirandos*, et ſceptra in manibus geſtantes deſcribit *Iliad. lib. XVIII.* Horum tria fuerunt officia, quantum mihi videor ex toto Homero colligere. Primum publica edicere, vt vulgares praecones apud nos; quare λιγύφθογγοι, ἠεροφωνοι, ἀςυβοῶται paſſim dicti ſunt. Alterum, pacem bellumque nunciare, vt Feciales Romani. Cum Agamemnon miſiſſet praecones ſuos, Talthybium et Eurybatem, vt Briſeidem e tentorio Achillis ad ſe adducerent, eos, quamuis ira excandeſcens, reueritus eſt Achilles, vocauitque Iouis nuncios et hominum *Iliad. lib. I.*

Χαίρετε κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

Ob vtrumque officium dixit Penelope *Odyſſ. lib. XIX.* δημιοεργοὺς, *operam ſuam publice nauantes.* Tertium denique fuit, miniſtrare in conuiuio procerum, quorum quisque habebat ſuos. Hinc praecones in domo Vlyſſis miſcent in crateribus vinum et aquam; Medon autem, dum proci epulum celebrant, citharam Phemio in manus tradidit *Odyſſ. lib. I.*

III. *De cratere libertatis.*

Hector excitans ad praelium fratrem Paridem *Iliad. lib. VI.* ſperat, fore vt fuſis hoſtibus craterem libertatis in aedibus ſtatuant.

Κρατῆρα ςήσασθαι ἐλεύθερον ἐν μεγάροισι.

Hic crater libertatis idem eſſe videtur, ac poculum ſalutis, quod cum praefatione nominis Iouis Seruatoris bibebatur,

batur, vt tradit Athenaeus *lib. II. cap. 2.* Si igitur Troianos ſeruaret Iupiter, et in libertatem adſereret, quam decennali obſidione eis abſtulerant Graeci, Hector cum omnibus ſuis craterem libertatis erat potaturus. Parem ritum obſeruauit apud Hebraeos eruditiſſimus Calmetius, expendens verba *Pſ. CXV*, 4. *Calicem ſalutaris*, hoc eſt, ſalutis, *accipiam, et nomen Domini inuocabo.* Ποτήριον σωτηρίου. Nam pro ſalute a periculis et calamitatibus ſacrificia, quae dicebantur *pacifica*, offerebantur, vota ſoluebantur, et religioſum conuiuium agitabatur, conuiuis omnibus calicem ſalutis et gratiarum actionis bibentibus. Hanc conſuetudinem ſecutus Chriſtus Dominus in conuiuio paſchali calicem gratiarum actionis conſecrauit, et diſcipulis libauit, ac deinde omnibus ebibendum circumferri iuſſit.

IV. *De veſtibus odoratis.*

Veteribus fuiſſe in deliciis veſtes odoratas, ex pluribus Homeri teſtimoniis liquet. Vnum adferam, quo narrat Homerus, Hecubam deſcendiſſe in thalamum odoribus fragrantem, vbi veſtes adſeruabantur *Iliad. lib. VI.*

Αὐτὴ δ' ἐς θάλαμον κατεβήσετο κηώεντα.

Hos thalamos, qui ſiue ebore, ſiue cedro exſtruebantur, innuiſſe videtur regius Pſaltes XLIV, 4. *Myrrha, et gutta, et caſia a veſtimentis tuis, a domibus eburneis.* Ἀπὸ βαρέων ἐλεφαντίνων, vertunt ſeptuaginta. Hinc vetuſta pſalteria S. German. et Carnut. legunt: *a grauibus eburneis*, vt habet pſalterium Roman. et Mediol. Haec autem ante me eruditiſſimus Calmetius obſeruauit. Cauſſam hallucinationis declarauit Hieronymus ad Principiam. *Quidam Latinorum*, ait, *ob verbi ambiguitatem* a grauibus *interpretati ſunt, cum* βαρεῖς *verbum ſit* ἐπιχώριον *Palaeſtinae, et vsque hodie domus ex omni parte concluſae, et in modum aedificatae turrium,* βαρεῖς *adpellentur.* Fructus et herbas grati odoris veſtibus interſerere ſolitos fuiſſe priſcos, vt omittam Plinium alioſque, vetuſtiſſimus ſcriptorum docet

cet Moyſes. Poſtquam enim *veſtibus valde bonis, quas apud ſe habebat domi*, Iacobum induiſſet Rebecca, ſentiens earum fragrantiam pater Iſaacus: *Ecce*, ait, *odor filii mei, ſicut odor agri pleni. Geneſ. XXVII, 27.* Cum autem tum viris, tum feminis ab vltima antiquitate gratiſſimus fuerit bonus in veſtibus odor; neſcio quare pleraeque beatiorum huius temporis, contra quam faciebant ſuperiores, quidquid bene olet faſtidire coeperint, et ad omnem boni odoris halitum animo linqui, et tantum non emori videantur. Vtrum ante hos non multos annos feminarum genus nouo atque inſueto morbo correptum ſit, an quarumdam delicatiorum ac molliorum σύμπτωμα ceterae quoque, muliebri leuitate ſtultitiaque ductae, imitari ſtudeant; equidem non dicam; ſed aliis me doctioribus atque acutioribus ſtatuendum relinquam.

V. *De Achillis ad bellum proficiſcentis aetate.*

Cum in Sigaeo ad Achillis tumulum adſtitiſſet M. Alexander, *o fortunate*, inquit, *adoleſcens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inueneris. Cic. in or. pro Arch.* Sed quomodo, dicet aliquis, tot paene incredibilia virtutis miracula in Troiano bello praeſtiterit adoleſcens? Mirum quidem, ſed tamen verum. Non enim culpandus Romanae eloquentiae pater, quod minus proprie Achillem in Alexandri dicto vocauerit adoleſcentem. Nam cum Phoenix, eius nutritius, *Iliad. lib. IX.* conaretur inexorabilem emollire ac flectere, vt ad bellum reuerteretur, memorat quomodo ſibi traditus eſſet conſilio ac ſermonibus regendus a patre Peleo, quod adhuc νήπιος, id eſt, adoleſcentulus mitteretur ex Phthia ad Agamemnonem aduerſus Troianos dimicaturus. Scilicet decimum ſextum aetatis annum nondum attigerat. Et ſane inter virgines filias Lycomedis Regis Scyri a matre, ne ad Troianum bellum ire cogeretur, ex quo ſciebat non eſſe reuerſurum, ſub habitu muliebri abſconditus non ex oris ſpecie, aut voce, vtraque enim iuuenculis puellis ſimilis erat, ſed aſtu verſutiſſimi Vlyſſis detectus eſt. Carolus XII. Rex Sueciae,

ſiue

ſiue cum antiquis dicere malimus, Gothiae, ad bellum ipſe pariter quaſi Achilles alter admodum adoleſcens profectus, tam ſtrenuum, inuictum, cunctisque terribilem ſe praebuit, tam praeclara ac memoranda dedit fortitudinis tum animi, tum corporis exempla, vt niſi ſub huius ſeculi initium rerum ab eo geſtarum teſtes nos ipſimet fuiſſemus ac paene ſpectatores, vix adduci poſſemus, vt hiſtoriae adhiberemus fidem. Quodſi Achillis ſortem obiiſſet, hoc eſt, ſi poſt inſignes illas victorias primum relatas, ob quas totam ferme Europam timore nominis ſui compleuerat, morte ſtatim eſſet praereptus, non Achilli, non Alexandro grandem famam inuidiſſet. Accidit ergo aliquando, etſi rarenter, vt robur ac ſtrenuitas arridente fortuna annos praeuertat, adeo vt aliqui ineunte iuuentute talia praeliantes confecerint, qualia exercitatiſſimi duces ne grandiori quidem aetate conficere valuerunt.

VI. *De equis frumentum edentibus.*

Quidam Homero indignabatur, quod equos fecerit frumentum edentes; μελιηδέα πυρὸν ἔδοντες *Iliad. lib. X.* Sicut enim apud nos frumenti alimonia equis apta non eſt, immo etiam noxia; id ipſum pariter vbique gentium rebatur contingere. Verum, id non eſſe, multis in locis, ac maxime in Oriente, abſurdum exemplum confirmat decem filiorum Iacobi, qui ex Aegypto redeuntes ſaccos in via aperierunt, vt frumentum iumentis ſuis in cibum praeberent *Geneſ. XLII, 27.* Quare illud a me ſaepius dictum redit denuo inculcandum, multa antiqua ac peregrina oportere noſſe illum, qui Homerum antiquiſſimum, et graecum ſcriptorem velit intelligere.

VII. *An Homerus meminerit alicuius ſcriptae epiſtolae.*

Antia, ſiue Sthenobea, vt alii vocant, Proeti, Argiuorum regis, vxor hoſpitem Bellerophontem, vt ſecum concumberet, inuitauit. Cum autem prudens et caſtus vir abnuiſſet, ſcelus ſcelere cumulans impudica femina, quaſi

quaſi adulterii reum ad maritum deſert, non quod ſibi ſtuprum reuera intuliſſet, ſed quod inferre tentaſſet. Verita enim eſt, vt Bellerophon eius criminis nomine illam prior apud Proetum inſimularet. Sic et Phaedra, Theſei vxor, Hippolytum, priuignum ſuum, falſo accuſauit, et Creteis, ſiue Hippolyte, vxor Acaſti, Pelium, et vxor Putipharis Ioſephum in Aegypto. Vt enim peſſima ſunt mulierum ingenia, amorem, ſi repellantur, vertunt in rabiem, nec odia exſaturant, niſi eum, qui ſe reiecit, teterrime vltae fuerint. Proetus autem vxoris dicto fidem habens, cum nollet ipſe apud ſe hoſpitem interficere, miſit ad ſocerum ſuum Iobatam, regem Lyciae, cum ſcripta tabula, in qua commemorato Bellerophontis ſcelere petebat, vt quo vellet modo neci traderet. Ille vero Chimerae, Solymorum et Amazonum periculis obiecit, vt periret, qui tamen ex omnibus victor euaſit. Vbi igitur haec *Iliad. lib. VI.* Homerus narrat, ait, Proetum praebuiſſe triſtia ſigna Bellerophonti, et multa exitialia in tabula plicata ſcripſiſſe:

— — — *πόρεν δ᾽ ὅγε σήματα λυγρὰ*
Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά.

Putat Euſtathius, has Proeti tabulas ſignis, quae vocant hieroglyphica, fuiſſe inſcriptas, ex quibus Iobatas diſceret et Bellerophontis ſcelus, et vindictam, qua erat puniendus. Sed huius interpretis ſententiae non ſubſcribit Daceria. Nam Bellerophontem Cadmo, qui literas in Graeciam tulit, fuiſſe poſteriorem, extra controuerſiam poſitum eſt. Nec obſtat, quod Homerus dixerit *σήματα*: literae enim ſunt notae ac ſigna eorum, quae mens cogitat. Quod adeo verum eſt, vt literas vocauerint

— — — *Φοινικικὰ σήματα Κάδμου.*
— — — *Cadmi Phoenicia ſigna.*

Quare luculentum videtur hoc eſſe teſtimonium epiſtolae veris literis antiquiſſimo tempore ſcriptae.

VIII. *De Dote.*

Locus valde implexus atque obſcurus occurrit in *Iliad. lib. XI.* Agamemnon placaturus Achillem promittit, ſe illi traditurum pro Briſeide abrepta, quamcumque mallet, ex tribus venuſtiſſimis puellis Chryſothemi, Laodice et Iphianaſſa, ſub ea inſuper conditione, vt Achilles nihil dotis penderet, dotem vero longe maxima ab Agamemnone acciperet. Hoc certe intellectu difficile eſt, niſi animaduertamus, antiquis temporibus morem viguiſſe apud Graecos, vt is, qui vxorem duceret, et dotem daret, et acciperet. Quam dabat, dixerunt ἕδνα; quam accipiebat μείλια. Dulce erit graece ſtudioſis horum nominum originem noſſe. Εδνα, ſiue ἐέδνα dicta ſunt, quaſi ἕδρανα τοῦ γάμου *nuptiarum ſtabilimenta;* μείλια, quia ſponſus iis μειλίσσεται, *demulcetur.* Sed et Hebraei idem factitaſſe videntur. Sichem namque, filius Hemor, ait ad Iacobum et filios eius, quorum ſororem flagrantiſſime cupiebat ſibi in vxorem tradi: *Augete dotem, et munera poſtulate, et libenter tribuam, quod petieritis; tantum date mihi puellam hanc vxorem. Geneſ. XXXIV, 12.* Ex quo liquet, non mera liberalitate, vt apud nos, ſed lege pacti ſponſum tunc dona contuliſſe ſponſae. Paciſcebantur enim inter ſe, et quantum dotis ſponſus daret, et quantum viciſſim acciperet. Dotem a ſponſo datam perhibent apud Graecos bifariam eſſe diuiſam, vnam partem ipſi ſponſae, alteram patri ſponſae. Apud Hebraeos vero fratribus etiam ſponſae ſua contingebat pars, vt videtur allatus ex Geneſi locus indicare.

IX. *De bellicis inſtrumentis.*

Perſpicue deſcripta leguntur apud Homerum, nec videntur multa explanatione indigere. Tamen obſeruandum, heroicis temporibus in vſu non fuiſſe vexilla. Signa praeliorum erant tunc aut haſta, aut telum, aut thorax, quae manibus attollebantur, vt ab omnibus conſpicerentur. Horum aliquod geſtabat Diſcordia, vbi bellum adnuncians in media Graecorum claſſe ſtetit *Iliad.*

lib.

lib. XI. Nullibi etiam tubae mentio, aut alicuius machinae ad diruendos mures, praeter equum Troianum, de quo diſputatione XLVIII. diſſeruimus.

X. *De ludis.*

In funere Patrocli ludos celebrari iuſſit Achilles. Octo recenſentur ab Homero: curſus equorum, ſiue curruum; pugilatus, ſiue caeſtus; palaeſtra, ſiue lucta; curſus pedum; ſingulare certamen; diſcus; arcus; telorum eiaculatio. Victoribus varia ſubinde propoſita praemia, inter quae nulla vmquam coronarum mentio, qualis in ludis Olympicis. Sed neque victores bellorum coronabantur. Putauit Daceria, ne in feſtis quidem conuiuiorum, aut chorearum adhibitas eſſe coronas, ad *Iliad. lib. XI. pag. 211. n, 71.* Sed, pace doctiſſimae feminae, res aliter habet: nam coronae memorantur in chorea adoleſcentium et puellarum, quam vates deſcripſit in clypeo Achillis, vt a nobis Diſſertatione XXXIII. obſeruatum eſt.

XI. *De heroibus ſudorem vento ſiccantibus.*

Ex acie profecti Neſtor et Machaon ſudorem, quo diffluebant, in littore maris vento ſiccabant, dum Eurymedon equos e curru ſolueret *Iliad. lib. XI.* Delicatulus lector factum hoc improbat ac reſpuit, tamquam agreſte, et imprudens, vtpote quod corpus in euidens grauiter aegrotandi diſcrimen adducat. Verum temere mollities haec noſtra maſculam heroicae aetatis ſtrenuitatem redarguit.

XII. *De Calypſus igne.*

In aedibus huius nymphae, quarum deſcriptionem dedimus diſſertatioe XLIX. ingens ardebat ignis ex lignis cedrinis, eoque odore tota domus perfundebatur. Obſeruat Daceria, conſueſſe antiquitus nobiles, diuitesque

 adſi-

adſidue ſingulis anni temporibus magnum ac luculentum ignem ſuis in domibus ex odoriferis lignis facere. Id enim et magnificentiam exhibere et ad aëris ſalubritatem conferre autumabant. Virgilius, Homericum locum reſpiciens, ait de *Circe Aeneid. lib. VII.*

Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Quare et ipſam Calypſonem ad noctis tenebras colluſtrandas tali igne vſam eſſe, quales putamus fuiſſe etiam faces in aedibus Phaeacum atque ipſius Vlyſſis, non eſt ambigendum. Vſus olei apud maiores non fuit, ait Seruius. Quod dictum intelligendum de luminibus: nam ad cetera oleo vtebantur. Etiam hodie faſciculum ſubtilium ſegminum, quae ferreus annulus coërcet, e lignis reſinoſis adfabre ſciſſis alicubi accendunt, vt in tenebris colluceat. Ruthenis vero, teſte Salmone, in more poſitum eſt, vt horum ſegminum vnum noctu ambulantes praeferant accenſum. Idem narrat, Sinenſes vti virgis in candelis pro lychno, naſcique apud eos arborem quampiam, quae ſeuum gignit.

XIII. *Cur Dei conſpectum refugerent priſci.*

Telemachus *Odyſſ. lib. XVI.* videns ſubitam ſpeciei mutationem in patre Vlyſſe, quem credebat antea mendicum hoſpitem, magno contremuit metu, alioque oculos auertit, veritus, ne forte Deum videret. Veteres enim, ſe indignos rati diuino conſpectu, ſi quando ſibi vel inuitis eſſet oblatus mortem, aut grandem aerumnam eo portendi ſuſpicabantur. Quantum ad ethnicos, hoc Telemachi exemplum ſufficiat. Sed complura huius trepidationis teſtimonia diuinae etiam perhibent literae. Iſraëlitae ſiquidem Moyſi dixerunt: *Loquere tu nobis, et audiemus; non loquatur Dominus, ne forte moriamur. Exod. XV, 19.* Gedeon autem, cum vidiſſet Angelum Domini, perterrefactus exclamabat: *Heu! mi Domine Deus, quia*

quia vidi angelum Domini facie ad faciem. Dixitque ei Dominus: pax tecum! ne timeas; non morieris. Iudic. VI, 21. Item Manue *XIII*, 22. quod ſpectaſſet diuinum angelum ad coelum vna cum flamma ex altari ſuſtolli, dixit vxori ſuae: *Morte moriemur, quia vidimus Deum.* Haec ante me inclyta animaduertit Daceria, ante ipſam vero Gregorius Nazianzenus qui *Orat. VII.* praeter ea, quae adlata ſunt ex veteri teſtamento, nonnulla etiam adfert ex nouo. Primum eſt Petri *Luc. XV.* qui diuinam ſeruatoris praeſentiam vimque illam et facultatem, cuius ſpeciem iis, qui ſimul nauigabant, praebuerat, ferre non valuit, ac proinde, licet admiratione correptus, ipſum tamen a naui amandat. Alterum centurionis, qui Chriſti quidem potentiam requirebat, praeſentiam autem deprecabatur. *Matth. VIII.*

XIV. *An alicuius horologii Homerus meminerit.*

Cum Eumaeus ſubulcus conditionem ac fortunam ſuam Vlyſſi, ſub forma ſenis mendici apud ſe diuerſanti, patefaceret, narraretque, ſe aduectum ad Laërtem ex inſula Syria, hanc ſupra Ortygiam ait ſitam eſſe, vbi fiunt ſolis conuerſiones, ὅθι τροπαὶ ἠελίοιο *Odyſſ. lib. XVI.* Quod vero cenſuit Euſtathius, ſignificari hoc loco, ſitam eſſe Syriam ad Occidentem, reclamat Bochartus, oſtenditque falſam huiuſmodi interpretationem. Eumaeo enim loquenti in agro Ithacae Syria vna ex Cycladibus non erat ad occaſum, ſed ad Orientem ſita. Veriſimilior igitur altera eſt eiusdem Euſtathi explicatio, quod ſcilicet in Syria antrum eſſet, vbi conuerſiones ſolis oſtenderentur. Si id habeatur verum, hoc plane horologii ſolaris vetuſtiſſimum omnium eſt teſtimonium. Syria nomen habuiſſe fertur a Phoenicibus, qui videntur feciſſe in eo antro quadrantem, quo notarentur ſolſtitia, non autem horae: nam primum horologium ſolare horas deſignans occurrit in hiſtoriae Achazi anno centeſimo vice-

ſimo ſexto poſt Homerum. Aliqui auctorem quadrantis in Syria faciunt Pherecydem ducentis poſt Homerum annis: ſed Heſychius Mileſius teſtatur, non fuiſſe auctorem, ſed peritum factum eſſe ex aliquo libro Phoenicum, quem reperit. Ceterum Homerus facit horas portarum coeli cuſtodes. Videntur nomen ducere ab Horo, qui Sol eſt. Antequam eſſent horologia ſolaria aliaque, conſueuere horas definire veteres operibus ſiue agreſtibus, ſiue etiam forenſibus.

XV. *De Medicina.*

Haec ars a Chaldaeis ad Aegyptios, ab his ad Graecos deuenit. Medici, quos celebrat, Aeſculapius, Paeon, Podalirius, Machaon χειρουργίαν et φαρμακείαν exercebant potius, quam ἰατρικήν. Itaque aut curabant vulnera, vt chirurgi faciunt, aut medicamenta parabant, vt pharmacopolae. Regimen vero aegrotorum, in quo praecipua medicinae pars hodie apud nos ſita eſt, non agnouerunt medici illi Homerici. Quare vnus Hippocrates eos omnes longe ſuperare plerisque viſus eſt.

XVI. *De Tripodibus et nauibus αὐτομάτοις.*

Tripodas a Vulcano fabrefactos quaſi vita donauit vates. Naues etiam Phaeacum apud ipſum ſponte ſua feruntur. Quod tantum abeſt futiliter, aut inepti fingi, quod putarunt nonnulli, vt ad celſum orationis genus pertineat. Currum illum coeleſtem diuinitus oſtenſum moveri a ſe ipſo vidit Ezechiel; *ſpiritus enim vitae erat in rotis, 1, 20.* Fabulas, inquies, narrat Homerus. At Ezechiel verum vidit ſpectaculum. Eſto: vtrumque tamen magnificum, praeclarum, ſublime. Daedalus ſtatuas, quae numquam in eodem loco manerent, ſed circumagerentur, faciebat, teſte Platone ac Luciano. Et Archytas Tarentinus columbam ligneam confinxit arte ſua

ſua, quae *αὐτόματον* volabat. Etiam recentiore ſeculo Regio montanus Segodunenſis eiusdem artis adprime peritus aquilam ligneam fabrefeciſſe dicitur, quae Maximiliano Imperatori, Segodunum aduenienti, obuiam venit; itemque muſcam ferream, quae per cubiculum volitabat, et ad locum, vnde erat digreſſa, reuertebatur. Inter cimelia regii Saxonum Ducis plura adſeruantur horologiorum miracula: aliud enim exhibet equitem latenti rotarum virtute currentem; aliud nauim euntem cum velis expanſis; aliud cancrum, qui ſuper abacum ſerpit, et alia huiusmodi. *Salmon Vol. IX.*

XVII. *In illud* — ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων.

Formula haec, qua paſſim vtitur vates, familiaris fuit Orientis populis. Nam et propheta Michaeas illam vſurpat *VII, 5. Cuſtodi clauſtra oris tui.* Quod optime dictum eſſe docet ipſa natura: duos enim dentium ordines incidiſſe videtur ori hominis, non ſolum vt inſtrumenta ſint conterendi cibi, ſicut in brutis animalibus, ſed etiam verborum repagulum, ne inconſiderate ac ſine iudicio praeteruolent; vbi enim ſemel effluxerint, reuocare amplius non licebit.

XVIII. *De formula Anathematis ethnicorum.*

Docet Neſtor *Iliad. lib. IX, 63.* quam omnia iura et vincula humanae ſocietatis violet et perfringat, adeoque ab ea ſecluſus et repulſus ſit, qui bella inteſtina concitat et fouet:

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος.

Ἀφρήτωρ, hoc eſt, vt interpretatur clariſſ. Daceria, a communione ſuorum vel conſanguineorum, vel contribulium excluditur, quaſi dicat φρατρίαν οὐκ ἔχων. Ἀθέμιστος, hoc eſt, exſulat a religionis conuentibus. Ἀνέστιος, hoc eſt,

nequit a quoquam ſine piaculo domo menſaque excipi. Nonne hac formula paene exprimitur chriſtiana mulcta, qua quis in ſcelere contumax ab eccleſiae communione reiicitur?

XIX. *De Nautica, agricultura ac Geographia.*

Has etiam diſſerendo exponere apud me ſtatueram. Verum priores duae ſatis dilucide ab Homero pertractantur, vixque aliquid habent implexum, ac praeterea de iis nonnihil, vbi opus fuit, dixi. Quantum ad Geographiam ipſemet multa ſparſim attigi, tum Strabo ſuis in libris omnia perſecutus eſt ac diligentiſſime excuſſit.

HOMERI VITA

AB ANGELO MARIA RICCIO SVMMATIM SCRIPTA AD CLARISS. VIRVM SCIPIONEM MAFFEIVM.

Noſter Lamius cumulatiſſima omnigenaque eruditione celeberrimus ſalutem tuis mihi verbis ſaepe nunciat. Quoties enim ad eum ſcribis; nam frequenter per epiſtolas de rebus literariis ſecum agis: numquam committis, quin ab eo petas, vt amice tuo nomine me compellet. Sed et nonnullis, quas ad me dediſti, literis ſingularem beneuolentiam in me tuam ſatis manifeſtis iudiciis declaraſti. Quare multis nominibus me tibi obſtrictum ſentiens aliquam grati animi ſignificationem a me tibi dari oportere cenſui. Itaque cum meum Homericarum diſſertationum opus vatis vitam deſiderare videretur, hanc ſummatim a me per ſcriptam tamquam teſſeram obſeruantiae et amoris mei ad te mittere, tuoque nomine condecorare conſtitui. Sicut autem gallico ſermone Homeri vitam ex Herodoto contraxit Daceria; ita licere mihi ratus ſum, eamdem tum ex Herodoto, tum ex ipſa Daceria, prout mihi collibitum eſt viſumque commodius, in pauca collatam, et ad meum ingenium recoctam in vulgus edere. Hanc vero non temere auguror tibi fore acceptam, viro Homerico et de Homero optime merito, quem praeclaro ſpecimine in italicam linguam olim vertere adgreſſus es.

Melanopus quidam Cymes, quae vrbs eſt Aeoliae, ciuis mortua ſibi vxore morti et ipſe proximus vnicam filiam ſuam, Critheidem, Cleonactis Argiui tutelae, quo familiariſſime vtebatur, alendam reliquit. Contigit autem, vt interiecto tempore puella iſta vterum gereret. Id Cleonax aegre ferens, vt vitaret apud populares ſuos infamiam, Smyrnam clanculum aſportauit, fideique Iſmeniae Boeotii commiſit. Partui iam vicina cum aliis mulieribus adfectum quoddam egreſſa iuxta fluuium Meletem ſubitis doloribus Homerum peperit, non caecum, ſed videntem, cui nomen impoſitum a fluuio Meleſigenes. Digreſſa deinde ab Iſmenia nendo ſe filiumque alebat, ac pauperiem tanta iuſtitia ac morum honeſtate ornauit, vt Phemio, humaniorum literarum ac muſices Smyrnae praeceptori, mire placuerit. Itaque cum eam conduxiſſet, vt lanas, quas a diſcipulis in mercedem accipiebat, pararet, filium eius egregia indole praeſtantem inſtituendum ſuſcepit. Is breui tam inſigniter ſtudio atque eruditione profecit, vt vita functo Phemio, qui vniuerſa ei legauit, ludo illi praefuerit. Nec multo poſt Critheis quoque fato conceſſit.

Erat Smyrnae celebre emporium, quo cum plurimi peregrini ſolerent confluere, inter hos Mentes, nauclerus e Leucadiae finibus propter frumenta naui venit. Huic Mentae Meleſigenes adprime carus fuit, et ipſe Meleſigenes Mentem amabat, vtpote eruditum et probum. Quare relicto ludo, et Smyrna vna cum ipſo Mente longa ſuſcepta peregrinatione immenſam ſibi rerum et locorum notitiam comparauit. Cum Ithacam aliquando deuecti eſſent, accidit vt Meleſigenes grauiſſime oculis laboraret; quare Mentes, in Leucadem traiecturus, Mentori Ithacenſi amico ſuo cum commendauit, enixe rogans, vt nulla ipſi re deeſſet. Ille aegrotantem ſeculo curauit, et multa de Vlyſſe, Ithacae olim rege, eiusque erroribus docuitt Ithacam reuerſus Mentes Meleſigenem rece-

recepit, atque vna cum illo nauigationem ad alia loca iterum adgreſſus eſt. Vt Colophonem deuenerunt Meleſigenes, vetere oculorum morbo tentatus, viſum amiſit. Illic relictus a Mente progreſſu temporis Smyrnam caecus remeauit, vbi ſe totum ad poëſin conuertit.

Sed cum Smyrnae paene victu deſtitueretur, Cymen ſibi commigrandum migrandum ſtatuit. Cum ad eam iret et ad Nouum murum, Cymaeorum coloniam, per quam erat tranſeundum, eſſet adductus, benignis hoſpitalitatis officiis a Tychio ſutore exceptus eſt. Cymen inde profectus pollicebatur ciuibus illis, ſi eum publice alere vellent, ſe ciuitatem illorum celeberrimam redditurum. Re ad ſenatum relata, ceteris exiſtimantibus petitioni eſſe adnuendum, vnus ſenator perhibetur calculo ſuo repugnaſſe, interque alia multa dixiſſe, ſi ſemel ὁμήρους, hoc eſt, *caecos* alendos ſuſciperent, futurum eſſe, vt multam horum plane inutilem turbam haberent. Atque hinc primum Meleſigeni Homeri nomen inditum: Cymaei ſiquidem *caecos* adpellant *homeros*.

Iam vero deliberatione a magiſtratu facta, non eſſe alendum hunc *Homerum*, ſuam ille calamitatem deplorans ac Phocaeam abiens Cymaeis imprecabatur, ne quis vmquam illos inſignis poëta celebraret. Erat eo tempore Phocaeae Theſtorides quidam ludimagiſter, homo vafer et ambitioſus. Hic, Homeri in poëſi facienda explorata virtute, ratus hanc ſibi bonam occaſionem dari e vulgo emergendi, ac nominis famam ſibi comparandi, ſe miniſtraturum ei, et ad victum neceſſaria ſuppeditaturum callide ſpopondit, ſi, quae carmina meditaretur, ſineret a ſe deſcribi. Conditionem Homerus, miniſterii alieni et rerum omnium indignus, facile recepit. Itaque Phocaidem, quam Phocaenſes apud ſe conditam aiunt, et alia quaedam Theſtorides ab Homero excepit; mox vero improba

proba fide illum reliquit et Chium abiit. In ea ſimiliter vrbe ludimagiſtri munus profitens Homeri carmina venditabat pro ſuis, atque inde praeclaram colligebat famam ac ſplendidum lucrum. Id reſciens Homerus in Chium properabat transmittere, vt plagiarium pudefaceret. Varias in itinere perpeſſus aerumnas, et Glauci caprarii canibus tantum non dilaniatus, deinde ab hero Glauci benigne habitus, in Boluſſo apud Chium carminibus ſuis coepit inclareſcere. Tunc Theſtorides, Homerum adeſſe audiens, e Chio nauigans fuga ſibi proſpexit.

Sed Homerus Chium delatus ciues omnes ſibi conciliauit admiratores, ac pueros carmina docens bonas lucrabatur mercedes: quare vxore ducta duas ſuſcepit filias, quarum vna fato conceſſit innupta, alteram viro Chio elocauit. Iam multis viſitatum venientibus, in ipſam vsque Graeciam de eo ſermo perferebatur, ad quam ſuadebant aliqui, vt ſe transferret. Conſilio igitur in Graeciam traiiciendi venit Samum, in qua hibernans, beatiorum aedes menſium initiis adiens canensque ſua carmina, pluſcula munera accipiebat.

Ineunte vere moliebatur e Samo Athenas nauigare, ſoluensque vna cum aliquibus incolarum, ad Ion adpulit. Hic contigit, Homerum grauiter aegrotare. Egreſſus igitur e naui in crepidine litoris iacebat inualidus. Conſidentibus apud eum nautis, et aliquibus e ciuitate, pueri piſcatores acceſſiſſe dicuntur, et aenigma propoſuiſſe. Agite, aiebant, hoſpites, audite nos: numquid ea, quae vobis proponemus, explicabitis? Nos, quaecumque cepimus, relinquimus; quae vero non cepimus, nobiſcum portamus. Et cum praeſentium nemo interpretari dicta valeret, ipſimet pueri ad hunc modum explicabant: ſe, cum piſcium nihil capere poſſent, deſidentes in ſicco pediculos venari tentauiſſe, et, horum quotquot cepiſſent, reliquiſſe; quos autem nequiuerunt, domos retuliſſe.

Putant aliqui, Homerum aegritudine animi ac pudore euectum eſſe, quod a pueris propoſitum aenigma ſoluere neſciuiſſet. Sed nugae ſunt. Siquidem morbi vis tantum vatem exſtinxit. Demortuum autem comites et ciues, qui in colloquio cum eo fuerant, ibidem contumularunt. Haec ſumma Homeri vitae ab Herodoto deſcriptae capita.

Iam vero, quae circa haec obſeruanda occurrunt, breviter expendam. Quo modeſtior erga ſe ipſum exſtitit Homerus; non ſolum enim laudes ſuas non praedicauit, vt alii poëtae poſt eum, ſed neque nomen aut patriam ſuam manifeſtauit: eo gratiorem geſſit animum erga alios, a quibus beneficium acceperat. In primis enim matrem ſuam laudare viſus eſt in optima illa iuſtiſſimaque femina, quam deſcribit *Iliad. lib, XII.* labore manuum ſuarum victum quaerentem, lanasque, quas colo parauit, aequa lance religioſe ponderantem, vbi mercedem acceptura eſt, qua ſe filiosque alat. Mentorem, tamquam Ithacenſium praeſtantiſſimum atque aequiſſimum laudibus vehit in Odyſſea et Mineruam eidem ſaepe tradit adſimilatam, cum alicui ſe videndum exhiberet. Phemio, praeceptori ſuo, in Odyſſea ſimiliter gratiam retulit eruditionis, non vno in loco cunctis praecellentem canendi arte illum deſcribens. Initio Odyſſeae meminit et Mentae naucleri, quo duce atque comite circumnauigans vrbes ac loca plurima perluſtrauit. Habuit etiam Tychio gratiam, illum adpellans *Iliad lib. VII.* ſutorum longe optimum, σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστον. Puto et Glaucum in Eumaeo ſubulco ab eo fuiſſe expreſſum ac laudatum.

Tempus, quo natus eſt Homerus, ſtatuit Herodotus in altero circiter ſeculo a confecto Troiano bello, anno videlicet poſt illud centeſimo ſexageſimo octauo. Quot vero annis vixerit, non memorat. Reor tamen, vitam ad ſenectutem protraxiſſe: nam ad multa loca multasque vrbes,

bes, etiam poſtquam factus eſt caecus, pertranſiſſe dicitur, in quibus fere cunctis, vt videtur, ad non ita modicum tempus manſit. Accedit, quod Longinus putavit, Odyſſeam ab eo ſcriptam eſſe in ſenectute. Plures item vetuſtiſſimae illius imagines ſenem nobis repraeſentant.

Patriam eius fuiſſe Smyrnam tum monumentorum, quae diligenter excuſſit, teſtimonio, tum ſacrificiorum ritibus ſecundum Aeoles, quorum intra fines Smyrna erat, a vate vbique deſcriptis, Herodotus docet. Nomen vero *Meleſigenes* eo caſu verum probat, quo puerum in ripa fluminis effudit mater. Nihilominus tria haec a multis in controuerſiam adducuntur, adeo vt valde incerta atque ambigue habeantur. Sed praeclara Homero eſt haec ambiguitas atque ignoratio. In ipſum enim veriſſime cadere videtur dictum illud Imperatoris M. Aurelii, vt bene animaduertit Daceria, nimirum hominem ignotum, cuius patria, nomen atque ortus tempus inueſtigari nequit, non temere diuinum eſſe iudicandum. Profecto ſeptem praecipue vrbes Homerum faciebant ſuum:

Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμίς, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

Smyrna, Rodus, Colophon, Salamis, Chius, Argos, Athenae.

Leo Allatius, vt patriam ſuam tam praeclaro ornamento inſigniret, contendit fuiſſe Chium, quod id Strabo dixerit; quod dialecto maxime Ionica Homerus vſus fuerit; quod in hymno Apollinis ipſemet ſe incolere Chium adfirmauerit; quod Homeridae e Chio fuerint. Verum hiſce argumentis ſapienter reſpondet Daceria, quod Strabonis dictum leui fundamento nititur; quod dialecto Ionica vſus eſt Homerus, non quia ex Ionia fuerit, ſed quia venuſtiſſima ceterarum ſit, quandoquidem Hippocrates etiam et Herodotus, qui erant Dores, Cous vnus, Halicarnaſſeus alter, Ionice ſcripſerunt;

runt; quod hymnus in Apollinem vel Homeri opus non eſt, vel, ſi Homerum habet auctorem, *incolere* non idem valet atque ibi natum eſſe; quod denique Homeridae Chii non poſteri ſunt ex Homero enati, ſed Rhapſodi, qui Homerica decantabant.

Homerum caecum genitum eſſe dixerunt nonnulli: at Velleius, ſi quis id putet, orbum omnino ſenſibus iudicauit. Atque idem plane adfirmauit Proclus. Quomodo enim potuiſſet omnia tam graphice ſcribere, ſi numquam vidiſſet?

Iliadis atque Odyſſeae poëmata vtrum ex integro compoſuerit, dum in Chio commoraretur, an alibi incoepta in ea perfecerit, non liquet. Maiorem tamen partem ibi eſſe meditatum, putant plerique.

Inter multa, quae fudit, carmina recenſentur Hymni, Amphiarai expeditio contra Thebas, parua Ilias, Phocais, Cercopes, Epicyclides, Batrachomyomachia, Margites atque alia: ſed ii, quibus cor ſapit, vel omnia haec, vel pleraque ipſi abiudicant.

Sculptor Archelaus Homeri *ἀποθέωσιν* in antiquo marmore eleganter expreſſit. In throno ſedenti geniculatae adſtant a dextra laeuaque Ilias et Odyſſea, ſertumque Terra ac Tempus imponunt, geminis infra thronum edulium neſcio quod arrodentibus muribus.

Praeterea numiſmata in eius honorem percuſſa, ſimulacra erecta, fana aedificata, elogia ſummorum ſingularum aetatum virorum certatim in ipſum collata, grauiſſimamque eius carminum auctoritatem, qua ad quidquid confirmandum litemque omnem dirimendam ſaepe vſi ſunt non ſolum poëtae, rhetores, geo-

graphi,

graphi, philoſophi, ſed iuris conſulti ipſique exercituum Imperatores. Quae omnia ſi voluiſſet animo reputare inpudentiſſimus Zoilus aliique, qui poſt eum quaſi venenata germina pullularunt, male feriati cenſores, tum ab eo criminando ac per ſummum ſcelus deridendo abſtinuiſſent; tum grande, quale reuera eſt, humani ingenii miraculum ipſi quoque celebraſſent.

FINIS.

INDEX I.

INDEX I.

DISSERTATIONVM ARGVMENTA EXHIBENS.

Diſſert. I. Prooemium ceterarum referens pag. 14
Diſſert. II. De Homerica apud Virgilium et Taſſum imitatione 18
Diſſert. III. De Homero, totius antiquitatis omniumque doctrinarum parente 28
Diſſert. IV. De Iulii Caeſaris Scaligeri in Homerum cenſura 34
Diſſert. V. De Platone, Homerum e republica dimittente 42
Diſſert. VI. De repetitionibus, Homero familiaribus 49
Diſſert. VII. De Iliadis exordio, Achillis ira, Deique voluntate, mala hominibus immittentis 56
Diſſert. VIII. De cauſſa irae Achillis. De ſomniis, et de periculoſa regis increpatione 63
Diſſert. IX. De Heroibus Homericis 71
Diſſert. X. De Achillis conuiciis, et latina Homeri ad verbum verſione 79
Diſſert. XI. De iisdem conuiciis, latinisque Homeri verſionibus, tum ad ſententias, tum ad ſingula verba conflatis 84
Diſſertat. XII. Iterum de Homeri verſionibus 90
Diſſert. XIII. De heroum ac praeſertim Achillis lacrimis 95
Diſſert. XIV. De heroum mendaciis 102
Diſſert. XV. De laudatione, qua Homerici heroës ſe ipſos interdum extollunt 109
Diſſert. XVI. De armis aereis 116
Diſſert. XVII. De cibo potuque heroum 125
Diſſert. XVIII. De ſtatura et robore priſcorum heroum 134
Diſſert. XIX. De voce Stentoris 141
Diſſert. XX. Summam totius Iliadis, nonnullis animaduerſionibus illuſtratam, exhibet 149
Diſſert. XXI. Cohortatio ad graecae linguae ſtudium 159
Diſſert. XXII. De Achillis aliorumque mirabili velocitate 168
Diſſert. XXIII. De Achille cithara canente, veterique Graecorum muſica 178
Diſſert. XXIV. De vtraque Muſica, virili et effeminata, nonnullisque aliis ad cognitionem muſicae pertinentibus 185
Diſſert. XXV. An muſica curentur morbi 192

Diſſert. XXVI. De Diis pag. 200
Diſſert. XXVII. De phyſicis allegoriis in Deorum fabulis abditis 207
Diſſert. XXVIII. De allegoriis ad mores pertinentibus, ſub Deorum fabulis contentis 213
Diſſert. XXIX. De locis, in quibus poëtam theologum ſe praebet Homerus, ſed ſub figuris et aenigmatibus 220
Diſſert. XXX. De eodem argumento 226
Diſſert. XXXI. De eodem argumento 232
Diſſert. XXXII. De eodem argumento 238
Diſſert. XXXIII. De locis, in quibus luculentiſſime theologus eſt 245
Diſſert. XXXIV. De veſtibus reliquoque corporis ornatu, de lectis et de conuiuiorum ritibus 252
Diſſert. XXXV. Vtrum e bonis ſtrenuisque parentibus conſimiles ſaepius progenerentur filii, an deteriores 262
Diſſert. XXXVI. De ſacrificiis 269
Diſſert. XXXVII. De ritu cornua victimae inaurandi, eorumque honore atque ignominia apud veteres 275
Diſſert. XXXVIII. Quidam ex Iliade ſermones a criminationibus vindicantur 280
Diſſert. XXXIX. De nonnullis Homericis comparationibus et ſimilitudinibus, a cenſoribus temere improbatis, et quomodo Olympus cum catena Iouis ex eo dependente intelligendus ſit 290
Diſſert. XL. An, quae de Helena Homerus habet, ſint fabuloſa, an aduenerit in Italiam Aeneas, et alia quaedam ad examen reuocata 298
Diſſert. XLI. Complura ſimul ex Iliade collecta explicantur 310
Diſſert. XLII. De Euſtathiana clariſſ. Politi editione 320
Diſſert. XLIII. De funerum antiquorum ritibus, cadauerum combuſtione et ſepultura 329
Diſſert. XLIV. De labore graeci ſtudii emolliendo 339
Diſſert. XLV. De Odyſſeae propoſitione, et an ſit peregrinandum 347
Diſſert. XLVI. De Penelope aduerſus Grauinam 355
Diſſert. XLVII. De Telemachi profectione ad Neſtorem ac Menelaum; de criminibus in eum coniectis, deque Odyſſeae chronologia 364
Diſſert. XLVIII. De equo Troiano, de Helena, alienarum vocum imitatrice, et de Nepenthe 373
Diſſert. XLIX. De Vlyſſis ab inſula Calypſus diſceſſu, naufragio et ad Phaeacas adpulſu 383
Diſſert. L. De ciconibus et Lotophagis 391
Diſſert. LI. De Polyphemo aliisque Cyclopibus 398
Diſſert. LII. De inſula Aeolia 407
Diſſert. LIII. De Laeſtrigonibus 417

Diſſert. LIV. De Circe pag. 424
Diſſert. LV. De Cimmeriis 431
Diſſert. LVI. De Sirenibus, Planctis, Scylla et Charybdi, bobusque ſolis 439
Diſſert. LVII. Nonnulla de Sirenibus et Planctis omiſſa ſupplentur, ac deinde, quod reliquum poëmatis eſt, perſtringitur 448
Diſſert. LVIII. De Telemacho, ſontes puellas in regiis aedibus ſuſpendente 461
Diſſert. LIX. De patris in filios lenitate, et an pueri caedendi ſint 467
Diſſert. LX. De puellis hoſpites lauantibus, aliisque mulierum exercitiis 475
Diſſert. LXI. Complura ex Odyſſea ſelectiora et ſcitu iucundiora explicantur 582
Appendix Homericarum diſſertationum 492
Homeri vita breuiter deſcripta 505

INDEX II.

RERVM ET VERBORVM QVAE IN HOC OPERE VEL EXPLICANTVR, VEL ILLVSTRANTVR.

A.

Abrahami conuiuium 131
Acetum filius vini. *Prouerb.* 264.
Achillem magis timent Troiani, quam totum Graecorum exercitum 150.
Achilles arma ſua dat Patroclo 155. ad bellum proficiſcens qua aetate fuerit 495.
Achillis conuicia in Agamemnonem 72. 82. ira peruicax 73. lacrymae 96. cum lacrymis Isboſethi comparantur 100. ſepulcrum 332. vmbra 438.
Acoemetae monachi 421.
Adſidendi menſis mos antiquiſſimus 484.
Aeaea Circes inſula 425.
Aegyptii et Hebraei menſis adſidebant 484.
Aegyptiorum artes magicae 488. doctrina de tribus hominis partibus 433.
Aelianus fines ſe numquam egreſſum Italiae gloriatur 351.
Aeneae iactantia 111.
Aeneas credulitate Didonis abutitur 77. de eo locus Homeri Troianis imperaturo 303 *ſq.* an in Italiam aduenerit 304. num patriae proditor 305.
Aeneis Virgilii ad Iliadis et Odyſſeae Homericae exemplar formata 19.
Aenigma piſcatores Ionii Homero ſoluendum proponunt, quod nequit diuinare 508.
Aeoli duodecim filii quid 412.
Aeoliae inſulae 411.
Aeolipila quid ſit 415.
Aeolus cur filios cum filiabus coniugio copulare dicatur 413. quis fuerit *ibid.* cur ventos imperio ſuo regere dicatur 414. fuit aſtronomiae peritiſſimus *ibid.*
Aeris vſus antiquiſſimus 119.
Aes prius ferro fuit 123. pro ferro apud poëtas numquam vſurpatur 119. cyprium 124.
Aeſculapius 502.

Aethio-

Aethiopes ſimulacrum Iouis geſtantes per duodecim dies Lybiam circumeunt 222.
Aethiopia bifariam diuiſa 492.
Aethiopicus lapis 333.
Agamemnon Achilli aufert Briſeidem 73. aſpere Chalcantem adloquitur 72. cum tribus diis et cum tauro comparatus 295.
Agamemnonis thorax 315.
Agere graeca fide quid ſignificet 108.
Aglaophonon vna Sirenarum 441.
Agricolae facie deformi induſtria, vt pulcros liberos gigneret 162.
Agricolaris vita antiquiſſimis temporibus haud indecora 456.
Aiacis tumulus 137.
Aiax Telamonius 152. ſcite ab Homero aſino comparatus 292 *ſq.*
Alcinoi hortus 489.
Alexander M. Calliſthenem occidit 244. cornutum ſe inſculpi voluit 277. poſt deuictos Perſas menſae adſidere maluit, quam accumbere 484. vult Deus videri 244.
Alexandri M. Clytum interficientis ſaeuities 69. ad Achillis tumulum fletus 156.
Allegoria Homerica 207. de Diomede, Veneri et Marti vulnus infligente 152. 217. 239. de Achillis equo loquente 211. de Furiis 212. de Diis praeliantibus 209. de concilio Deorum 210. de Dea Ate ac Vulcano, e coelo deturbatis 217. de aurea catena Iouis 233. de duobus doliis ſub Iouis pedibus 236. de Iouis ſomno 226. 228. de Iouis amoribus 230. de lance Iouis 236. de Iouis gaudio pugnantibus inuicem Diis 157. de Iouis peregrinatione ad Aethiopas 222. de Ioue ſomnium Agamemnoni immittente 224. de Iunone Ioui fucum faciente 216. de Neptuno Ioui obſequium denegante 317. de Iunone duas incudes pedibus aptas geſtante 208 *ſq.* de tribus Diis fratribus, Ioue Neptuno et Plutone 209. de Nocte Deorum vetuſtiſſima 210. de Minerua Pandarum ad foederis conturbationem impellente et Hectorem decipiente 152. 225. de Plutonis trepidatione, furente bello 157. de Themide Deorum concilium conuocante 218. de Vulcani pugna aduerſus Scamandrum 157. 210.
Allegoriae in Platone 44.
Ambroſia quid ſit 242. ambroſia alendus, h e. immortalitate dignus *ibid.*
Ambroſius, hoc eſt, diuinus *ibid.*
America an Homero innotuerit 493.
Anacharſidis Scythae vitium 351.
Anathematis formula 503.
Anaxagorae de Deo ſententia 220.
Ancilla oſtiaria apud Hebraeos 479.
Ancillarum functiones apud veteres 481.

Andronicus Comnenus Imperator cornuum ludibria in miſeros coniuges adhibuit 250.
Aniſtius Lacon celeritate curſus potens 171.
Annulorum apud Homerum nullus vſus 253.
Annulus Gygis 314.
Antenoris conſilium reddendae Helenae 299.
Anthropophagi non fabuloſi 401.
Antia, Proeti vxor 496.
Antrum Caci 405. Polyphemi 404. Sibyllae 432. ibi patet deſcenſus ad Orcum 433. in Syria vbi conuerſiones ſolis 501.
Antiquitatis ſtudium iucundum et neceſſarium 30.
Antiquitatum fons Homerus 29.
Apollo Marſyam deglubit 465.
Apotheoſis Homeri 511.
Aquila lignea ἀυτόματος 503.
Arabes cadauerum curam negligunt 335.
Arbores ſemper pomiferae 489.
Archytas Tarentinus columbam ligneam confinxit ἀυτόματον 503.
Arcus 499. certamen deſcribitur 459.
Argantes Taſſi Hectorem Homeri exprimit 24.
Arioſtus Homeri imitator 467.
Ariſtarchi iniqua in Homerum cenſura notatur 308.
Ariſtarchus notatur 146. auctor eſt diuiſionis librorum Homericorum 316.
Ariſtoteles ex Homero artem poëticam efformauit 483.
Ariſtotelis praeceptum de veriſimilitudine 440. locus de indole natorum 265.
Armidae perſonam Taſſus ex variis apud Homerum compoſuit 25.
Arma aerea 118. 120. armorum Diomedis et Glauci permutatio 283.
Ars nautica noſtro tempore perfectiſſima 446.
Artes magicae Aegyptiorum 488.
Aſili inſectorum genus infenſiſſimum 420.
Aſinus fortitudinis inuictaeque tolerantiae ſymbolum apud veteres 292 *ſq.*
Athenaei locus de Loto 396. de poculis veterum 130. de victu heroum 127.
Atreus ſolis curſum coeli renitentis conuerſioni docet 414.
Aua amnis petrefaciens 394.
Auguſtini locus de gigantibus 137.
Aurea catena 297.
Automata 502 *ſq.*

B.

Bacchus quare tauri forma fingatur 278.
Barneſius *Ioſuas* parodiam Homericam compoſuit; Suſiadem 319.

Baſilii

Baſilii M. locus de lacrymis 98.
Batrachomyomachia vtrum ab Homero, an a Pigrete ſit profecta 16.
Battologia 50.
Bellerophon Oeneo poculum aureum pro baltheo purpureo dat 284. falſo ſtupri inſimulatur a Sthenobea 497.
Bellica inſtrumenta apud Homerum 498.
Belurgerius *Claudius* adeo in deliciis Homerum habuit, vt ne in templo quidem deponeret 95.
Boccaccius *Ioann.* notatur 76.
Bochartus Euſtathium corrigit 501.
Boiuinius aere caelatam clypei Achillis figuram dedit 156. laudatur 372.
Boues ſolis quid ſint 447. a ſociis Vlyſſis mactati *ibid.*
Burretus Gallus laudatur 486.
Buſtuarius quid ſit 331.

C.

Caci antrum 405.
Cadauerum condiendorum tres rationes apud Aegyptios 333.
Cadmus literas fert in Graeciam 497.
Caduceus 384. Mercurii 427.
Caeſtus 499.
Caſſei planta 489.
Calceus 254.
Callicrates currus fecit ex ebore, qui ſub muſcae alis abſconderentur 148.
Calpe quid notet 414.
Calypſo vnde dicta 384. meretrix 385. aedes illius ab Homero deſcriptae 384. ignis Calypſus 499.
Cancer αὐτόματος 503.
Cannibales anthropophagi 402.
Canteri ineptum de Homero iudicium 61.
Cantores veterum omni ſapientia inſtructi 180. funerei 330.
Capilli Graecorum prolixi 255.
Caribes anthropophagi 402.
Carmina Sibyllina non ſunt genuina 61.
Carneades philoſophus vocaliſſimus dictus 144.
Carnificis munus apud veteres non indecorum 463. 465. apud Hebraeos nec illiberale, nec ignominioſum 464. apud Romanos carnifex caruit domicilio vrbis 466.
Carolus XII. rex Sueciae 495.
Caryophilla 489.
Caſſiodori locus de muſica muta 190.
Caſteluetrii in Homerum cenſura notatur 316.
Catalogus copiarum nauiumque Graecorum 151.

Catena aurea ex Olympo dependens 297.
Catulli locus 479
Celſus notatur 244. Eius teſtimonium de morbis caelitus immiſſis 139.
Cepae irritamentum gulae adhibitum 130. in Graecia non acris, ſed dulcis ſaporis ſunt 133.
Ceres cum cornibus in nummis Siculis 278.
Certamen ſingulare 499. certaminis arcus deſcriptio 459.
Chalcas augur et ſomniorum interpres 68.
Charybdis ſcopuli deſcriptio 445.
Chiron 485.
Chironomi 190.
Chronologia totius Odyſſeae 370.
Cicadae aureae capillitio inſertae 256.
Cicero graecam linguam eleuat 48. notatur 204. defenditur 450. Eius verſus laudantur 449. Ciceronis locus de Furiis 212. de Sirenibus 451.
Cicones populus Thraciae 392. ſuppetias Troianis ferunt 393.
Cimelium Dresdenſe 503.
Cimmericum vrbs 432.
Cimmerii populi *ibid.*
Cincinni, eorumque varia figura 256.
Cinerarium quid notet 331.
Cingulum 253.
Cippus 331.
Circe 424. celeberrima meretrix 426. vtrum homines in beluas mutauerit 427. cocetum Vlyſſi praebet 130. poſt mortem diuinitate donatur 426. eius delubrum 425. virga 427. poculum medicatum *ibid.*
Cithara Achillis 183 *ſq.*
Clauaria pila 486.
Claudiani locus de ſomniis 66.
Clenox tutor Critheidis, matris Homeri 506.
Clitiphonis querimonia de patris duritia 470.
Clypeus Achillis a Vulcano fabrefactus 32. 255.
Cocetum, genus potus 130. 133.
Codices manuſcripti carminum Homeri in bibliotheca Medicea Laurentiana 5 *ſq.* in bibliotheca Riccardiana 8. in bibliotheca Magliabechiana 9. in bibliotheca S. Mariae de Florentia Congregationis Caſſinenſis 10.
Colloquium Diomedis et Glauci 152. Tlepolemi et Sarpedonis a criminationibus vindicatur 282.
Columbae Ioui ambroſiam ferentes 453. de iis fabula Homerica explicatur 454.
Colus heroicis temporibus nobiliſſimis feminis conueniens 369. 480.

Coma

Coma flaua laudatur 256. comam aluere iuuenes, vt patriis fluminibus abſcinderent 257.
Combuſtio cadauerum 330. extra vrbem facta 332.
Comitas parentum et magiſtrorum debet eſſe temperata 474.
Comparatio Agamemnonis cum tauro vindicatur 295. muſcae defenditur 294.
Comparationes plures quam ducentae in Iliade 291.
Comparationum Homericarum elegantia *ibid.*
Concubia quare nox dicatur 261.
Conuiuiorum ritus 259. 261.
Corcyra Phaeacum inſula 485.
Cornigeri reges et heroës 277.
Cornu regium inſigne 276. cornu copiae 279.
Cornua potentiae, coronae ac ſplendoris typus 276. Diis et fluuiis attributa 278. ignominioſa 279. victimae inaurata 275, pro capillis 278
Coronarum in praemiis victorum nulla mentio apud Homerum 499.
Crater vnde dicatur 129. vino coronatus *ibid.* crater libertatis quid ſit 493.
Creteis falſo accuſat Pelium 497.
Crines puluere aureo reſperſi 256.
Critheidem matrem ſuam in Iliade laudat Homerus 509.
Critheis Homeri mater 506.
Cteſippus petulantia inter procos inſignis 490.
Culcitra in lecto 257.
Cultus heroum mortuorum 273.
Cupido ferarum domitor 427.
Curſus equorum et curruum 499.
Cyanea ſaxa 444. periculoſiſſima 445. vnde dicantur Symplegades 452.
Cyclopes 399.
Cypria carmina non ab Homero profecta 302.
Cyprium aes, ſiue cuprum 124.

D.

Daceria *Anna* verſionem Homeri gallicam dedit nitidiſſimam 85. Euſtathium confutat 497. laudatur 146. 370. 411. 453. notatur 462. 464. 499. annotationes in Homerum ſcripſit 317.
Daedalus 502.
Danaus Argis aquatica inſtrumenta demonſtrat 414.
Dares auctoritatis parum habet 305.
Datatim ludere quid ſit 487.
Dei conſpectum cur priſci refugerent 500.
Demetrii Cynici, chironomum quemdam admirantis, dictum 190.

Demoſthenes multum profecit ex orationibus, quas ad Achillem habuerunt miſſi oratores 153.
Deorum menſae in templis 223.
Deruiſi Turcarum ſumma pernicitate choreas in gyrum ducunt 175.
Dictys nullius auctoritatis 305.
Didymus quis fuerit 317.
Dii vulnerari poſſunt, non mori 152.
Diodorus Siculus notatur 488.
Diomedes cum Vlyſſe in Troianorum caſtra ad ſpeculandum mittitur 154. cum Glauco colloquitur 152.
Diſciplina ſcholaſtica 470. 472.
Diſcus 499.
Dolon interficitur 154.
Donii *Io. Bapt.* de praeſtantia veteris muſicae liber laudatur 403.
Dos apud veteres cui et a quo penderetur 498.
Dresdenſe cimelium 503.
Dunaeus *Ioan.* iniquus Homeri cenſor 22.
Duportus *Iac.* laudatur 250. refellitur 436.
Durateus equus Troianus dictus 374. in prouerbium abiit 375.

E.

Echo quare Helena dicatur 376.
Elaterii vis in pilula ex muſculoſa ſubſtantia piſcium ac praeſertim Siluri 176.
Elementa quatuor ſignificantur per Iouem, Iunonem, Neptunum et Plutonem 247.
Elpenoris ſepulcrum 332.
Empedocles adoleſcentem ira furentem citharae cantu mitigat 195.
Epaminondas pernicitatis ſtudioſus 174.
Epeus fabricator equi Troiani 374.
Epiſtolae mentio in Homero 497.
Epitheta ſiue Deorum, ſiue heroum ſunt quaedam veluti agnomina tituli que 55.
Epulum ferale 332.
Equi locutio apud Homerum ad quod veriſimilium genus pertineat 420.
Equis apud Orientis populos frumentum in cibum praebetur 496.
Equus Troianus 374. 499. an aeneus fuerit 375.
Eratoſthenis iocus reiicitur 415.
Erechtheus tauris et agnis in Mineruae templo quotannis placabatur 273.
Eriminiae partes apud Taſſum ex Helenae facto apud Homerum deſumtae 24.

Eumaeus

Eumaeus ſubulcus 455. 501. quis fuerit 456.
Eurybates praeco 493.
Euryclea nutrix Vlyſſem agnoſcit ex cicatrice 458.
Eurymedon rex Cyclopum 136.
Eurynomus procerum Penelopes ſuperbiſſimus ab Vlyſſe transfixus 459.
Euſtathius optimus Homeri ſcholiaſtes 321. quis fuerit et quando vixerit 322. a variis editus 322. optime a Polito 323. notatur 486. 497. 501. Maiorani et Pſelli de eo iudicium 324.
Excantationes vulnerum ex Galeno atque Apollonio 196.
Expulſim ludere quid ſit 457.
Exſuperantiſſimus dicitur Iupiter 247.

F.

Fabricius *Io. Alb.* notatur 492.
Fabulis Homericis ſubſtrata veritas eſt 228.
Faces Phaeacum 500.
Fatum duplex 236. ſub catenae Iouis imagine ab Homero ſignificatur 235. fati arbiter Iupiter 247.
Fazelli teſtimonia de cadaueribus gigantum 136.
Feminarum antiquorum temporum prae noſtrae aetatis mulieribus praeſtantia 482.
Fenelonii Telemachus 367.
Ferrum centum octoginta ſex annis ante Troianum bellum fuit inuentum 124.
Fertilitas Palaeſtinae 489.
Fides graeca quid notet 108.
Flammeum feminarum 255.
Flumen Ciconum petrefaciens 394.
Fluuiis cornua adfingunt poëtae 278.
Follis quid 486.
Formiae, vrbs Laeſtrigonum 418. Formiarum conditor 419. portus *ibid.*
Formula anathematis 503. formulae ludentium variae 487.
Frumentum veteres equis in cibum praebuerunt 496.
Funus Iacobi 333.

G.

Galato pictor quomodo Homerum depinxerit 20.
Galea Orci quid denotet 314.
Galeae aereae Thracum et Gallorum 277.
Gaulus inſula 384.
Genus tonorum triplex 191.
Gigantes an fuerint vmquam 133.
Girba inſula 396.

Glaucus

Glaucus cum Diomede colloquitur 152. ſub perſona Eumaei ſubulci expreſſus 509.
Godofridus Taſſi imaginem refert Agamemnonis Homerici 23.
Graeca fide agere quid ſignificet 108.
Graecae linguae neceſſitas 161. ſtudium non adeo difficile 164. duo impedimenta 162. breuis et facilis methodus 165.
Graeci ſcriptores fortes omnes, plenique ſanguinis et coloris 162.
Graeci ſtudii duplex moleſtia 340.
Grammatici nomen pro literato et philologo ſumitur 324.
Grauina notatur 356. 358.
Guſtus populorum diuerſus 133.
Gygis annulum 314.

H.

Hannibal militibus humanas carnes in cibum praebet 401.
Harpaſtum 487.
Haſta ſignum bellicum 498.
Hebe Diis poculorum miniſtra 240.
Hector ab Achille interemtus 157. eius exſequiae 158. ad telam et colum amandat Andromachen 370. 480.
Helena an Troiae fuerit 300. bis in Aegypto fuit 302. imitatur voces vxorum ducum Graecorum 376. telam texit 480. de Helena narratio Herodoti 300 *ſq.*
Helenium quid ſit 378.
Hellepolis, machina bellica, a Demetrio Poliorceta inuenta 403.
Heracliti indignum de Homero iudicium 200. de curandis cadaueribus ſententia 336.
Hercules μεγάλων ἐπίστωρ ἔργων Straboni dictus 350. Buſiridem interemit 465. ſtrenuus ſceleſtorum punitor 466.
Herodorus voracitate inſignis 402.
Herodotus notatur 301. mendaciis ſcatet 303.
Heroës Homerici 71. ab humanis vitiis haud immunes 74. an ſint impii 75. ſudorem vento exſiccant 499. carnium copiam edebant vinoque indulgebant 140. ſobrii tamen ac temperantes 141.
Heroum lacrymae 95. robur et ſtatura 134 137. vita longaeua 139. cibus potusque 125 mendacia 102. laudationes 109. mortuorum cultus 273.
Heſiodi poenae apud inferos 200.
Heſiodus Homero iunior 29. de eo Salmaſii iudicium *ibid.*
Hippolyte falſo accuſat Pelium 497.
Hippolytus falſo accuſatur a Phaedra *ibid.*
Homeri conuenientia cum ſacra ſcriptura 17. doctrina 31. modeſtia 22. 436. 509. patria 510. 15. poenae apud inferos 200. praeſtantia 342. verſio nulla graecam elegantiam vmquam

exae-

exaequare poterit 84. verſio anglica Popii 10. gallica Daceriae 12. Italica Saluinii 94. vita 505.
Homerica poëſis theſaurus inexhauſtus 321.
Homeridae dicti Rhapſodi 511.
Homerum omnes poëtae imitati 19.
Homerus naſcitur 506. quo tempore natus ſit 509. fons omnium poëtarum 18. antiquiſſimus ſcriptor 29. quando vixerit 15. 225. 304. an contra leges grammaticas peccauerit 309. quare dialectu Ionica vſus ſit 510. vtrum Iliadem iuuenis, Odyſſeam ſenex ſcripſerit 423. 483. 510. an caecus natus ſit 436. 511. amittit viſum 507. ducit vxorem 508. Glauci caprarii canibus fere dilaniatus *ibid.* moritur 509. vbi poëma ſuum ſcripſerit 304. non triobolaris vates 17. bonus Geographus 151. 420. felix et locuples in comparationibus 291. Siciliae comparatur 19. varietate mirifice delectat 154. carmen epicum occoepit perfecitque 91. facilis vbique, ſolidus, nobilis, perſpicuus 92. elegantia praeſtans 93. cum Virgilio comparatur 157. in Iliade virtutem corporis, in Odyſſea fortitudinem animi repraeſentat 457. melius mores format, quam qui praecepta tradiderunt ex inſtituto 214. non inuexit Deorum fabulas, ſed delirae ſuperſtitioni ſua carmina accommodauit 218. poëtam ſe theologum praebet 221. 246. 249 an ſacras literas legerit 231. nullibi Deos mortales facit 239. in Ioue ſummum Deum adgnoſcit 247. cur Iouem faciat Saturni filium *ibid.* de diuinitate recte ſentit 248. falſo accuſatur de tautologia 49. non reprehendendus ob repetitiones 51. 54. ſua carmina concinnauit, vt canerentur 54. nullibi vitia, ſed vbique virtutem commendat 74. non ex verſionibus diiudicandus 80. ab inuocatione diuini numinis Iliadem auſpicatur 56. quod deinde ceteri poëtae ſecuti 57 non eſt plagiarius carminum Sibillinorum 61. ſtulte carpitur a Protagora 57. male item ab aliis notatur 58. vbique Deos et homines menſis adſidentes facit, nullibi accumbentes 484. non impie de Diis ſenſit 201. multis in locis allegorice explicandus 202. aetatis ſuae theologiam expreſſit 204. de diuinitate recte ſentit 205. explicatur 419. defenditur 142. 244. 285. 286. 287. 288. 386. 406. 451. 452. 455. 457. 462. 463. 464. 467. 489.
Hominis tres partes ex doctrina Aegyptiorum 433. quatuor Ouidius facit 435.
Horae portarum coeli cuſtodes 502.
Horatii iactantia 111. locus de muſica veterum 188. praecepta de fictione 140. 399. de imitatione 26.
Horatius Odyſſeam proponit tamquam perfectiſſimum poëſeos exemplum 483. ſecum ipſe pugnat 264.
Horologii mentio an apud Homerum 501.
Horologium ſolare antiquiſſimum *ibid.*

Hortus Alcinoi 488.
Horus 502.
Hoſpitalitatis officia 285.
Hoſpitum lauatio praecipuum hoſpitii officium 475. hoſpitum excipiendorum ritus 284.
Hoſtiae auratis cornibus 275.
Hymni, iuuenile Homeri opus 16.

I.

Iacobi funus 333.
Ichor quid denotet 243.
Ideus, gigantis nomen 136.
Idothea, Protei filia 488.
Ignis Calypſus 499.
Iliadis totius ſumma 150 *ſq.*
Ilias poëma eſt actiuum et pugnax 483. in tenuiſſima membrana ſcripta, quam nucis teſta caperet 147. et Odyſſea draconis inteſtino aureis literis inſcriptae 148.
Imitatio Homerica iucunda 26. vtilis 19. 21. 23.
Imitationis praecepta Horatiana 26.
Immolare quid proprie Latinis notet 271.
Incantatio in cantu Sirenum expreſſa 489.
Inſepulti a nauigando ac tranſeundo inferni amne prohiberi credebantur 338.
Inſtrumenta bellica apud Homerum 498. muſica 180 *ſq.*
Inſula ſacra 413.
Inſulae Aeoliae 411. Moluccae 412. Philippinae 401.
Intempeſta quare nox dicatur 261.
Iocus Eratoſthenis reiicitur 415.
Iouis amores 230. ſimulacrum in aedibus Priami 313.
Iris ſignum pacis 316. ominoſa 315. quare purpurea dicatur 316.
Irus, pauper Ithacenſis 457.
Iſocrates Siren Attica dictus 442. notatur 103. Iſocratis locus 69.
Italica pila 486.
Ithacenſes ob procorum necem contra Vlyſſem armantur 460.
Iunii *Adrian.* de Euſtathio teſtimonium 324.
Iuno aër eſt 453. maieſtatem Dei notat 228.
Iunonis incredibilis pernicitas quid notet 248.
Iupiter arbiter fati 247. cur pater Deum hominumque dicatur *ibid.* fulmine impios enecat et ad Orcum detrudit 466. quare tertio oculo effictus 313. cur dicatur nigras nubes inhabitare, et eſſe mentis tortuoſae 248. ſummus Deus 247. triplex 313.
Iusiurandum Agamemnonis per ſceptrum ſuum 311. Iunonis per Stygem *ibid.*
Iuuenalis locus 140.

L.

Lacrymae Achillis 96. Chriſti 97. Coriolani 101. heroum 95. Isboſethi 100. Iulii Caeſaris 101.
Ladas velocitate curſus inſignis 170. 173. 175.
Laena quid ſit 253.
Laërceus aurifex 275.
Laeſtrigon vnde dicatur 419.
Laeſtrigonum ſitus 420. vrbs Formiae 418. paſtores, an inſomnes fuerint 421.
Lamentationes ſupra mortuum 335.
Lamia regina Lybiae 419.
Lampetia nympha 446.
Lanus condit Formias 419.
Lapis Aethiopicus in condiendis cadaueribus adhibitus 333.
Lauatio hoſpitum a puellis facta 476.
Lecti veterum 257.
Lectuli Perſarum 484. Turcarum 485.
Leges ad numerum decantabantur 187.
Leonini verſus in Homero non culpandi 306.
Leucothea, marina Dea, vittam Vlyſſi tradit 389.
Libationes quomodo factae ſint 270.
Lintea ex amiantho 331.
Lipara inſula vnde dicta 411. 412.
Litterae Bellerophontis 497.
Longinus notatur 423. 483.
Lothi vxor in ſtatuam ſalinam verſa quomodo intelligenda 333.
Lotophagi 395.
Lotum guſtauit. *Prouerb.* 396.
Lotus quid ſit 396.
Lucianus ſcriptor vtiliſſimus et iucundiſſimus 343. ab impietatis et mordacitatis crimine defenſus 344.
Lucretii locus de aeris vſu ferri antiquiore 119. de ſomniis 65.
Ludere datatim, expulſim, raptim, quid denotet 487.
Ludorum genera apud Homerum 499.
Lyconis philoſophi de regendis pueris conſilium 472.

M.

Machaon medicus 151. ſudorem vento ſiccat 499.
Machinae ad diruendos muros nulla apud Homerum mentio 499.
Macrobius loca collegit ſingula, quae ex Homero Virgilius expreſſit 22.
Mactatio animalium ad ſolos viros pertinebat 480. veteribus ſacra 131.
Magicae artes Aegyptiorum 488.

Mahu-

Mahudeius citatur 331.
Maiorani iudicium de Euſtathio 324.
Malis alienis ridere. *Prouerb.* 491.
Manes ſunt euanidi et inanes quaſi mentis ſiliquae 433. heroum diuinitate donati 273. 332.
Mapparum nullus vſus apud Homerum 259.
Mare mediterraneum quomodo ſit exortum 414.
Margites Homeri 511.
Maroneum vinum 404.
Martialis Ciceroni iniquus notatur 450. frigidum dicterium in Homerum 288.
Maxillis alienis ridere 491.
Maximini Imperatoris iactantia 112.
Medici Homerici χειρουργίαν et φαρμακείαν potius, quam ἰατρικὴν exercebant 502.
Medicina a Chaldaeis ad Aegyptios, ab his ad Graecos deuenit *ibid.*
Medicorum in Aegypto ingens numerus 333.
Mediocritas in literis nil prodeſt 160.
Medon praeco 493. ex procis ſeruatur 459.
Melanopus auus Homeri 506.
Melanthius caprarius cruciatur et trucidatur 460.
Meleſigenes vnde Homerus dictus 506.
Mendacium officioſum num honeſtum ſit 103. 106.
Menelaus cur paſſim flauus dicatur 256. ad colligendas opes per varias regiones oberrat 285. ſine morte ad Elyſios mittendus 457. poſt Troianum bellum octo annos cum Helena oberrauit 302. 303.
Meninx inſula 396.
Mentae ac Mentoris perſonam Minerua induit 365.
Mentes diues nauclerus et mercator e Leucadia 365. Homerum ad ſe recipit comitem peregrinationis 506.
Mentor ciuis e primoribus Ithacae 365. laudibus vehitur ab Homero in Odyſſea 509. curat Homerum oculis laborantem 506.
Mercurii caduceus 427. 384. ſimulacrum quomodo finxerint Aegyptii 367.
Metrodorus Lampſacenus omnia apud Homerum ad allegorias detorquet 207.
Mimi 190.
Minerua, leni oris flatu ab Achillis corpore haſtam depellens, potentiae diuinae ſymbolum 249. ſpecie Mentoris domum Vlyſſis aduenit 261. induit formam Mentae ac Mentoris 365. iuuenis opilionis formam induit 455. Mentoris formam adſumſit 459.
Mithridates viginti duas linguas tenuit 165.
Mitio Terentianus 468.

Modus

Modus Lydius, Phrygius, Dorius et Mixolydius 191.
Moero, femina Byzantina, prima explicauit fabulam Homericam de columbis Ioui ambroſiam ferentibus 454.
Mola quomodo adhibita 270.
Moly, antidotum Vlyſſi a Mercurio datum 427. quid metaphorice denotet 429.
Mononautes 388.
Morbus Germanicus per muſicam curatur 199.
Mors Homero ſomnus dicitur aereus, Virgilio ferreus 117.
Motta iniquus Homeri reprehenſor 41.
Mulieres, ſi repelluntur, amorem vertunt in rabiem 497. mulierum functiones antiquiſſimis temporibus 480.
Muratorius de antiquis Chriſtianorum ſepulcris 337.
Muſca audaciae ſymbolum ac pertinaciae 294. ferrea ἀυτόματος 503.
Muſica hodierna barbara eſt atque fucata 189. veterum cur mirabiliores effectus produceret 195. muta quid ſit 190. triplex 180. virilis expetenda, effeminata contemnenda 184. 186. antiquitus Deorum venerationi et bonorum laudi inſeruiebat 186. in epulis adhibita 187. muſica et cantu vtrum morbi curentur 193. Muſicae ſtudium antiquis heroibus familiare 179. muſicae Socrates ſenex ſtuduit 185. Muſicae vis 186. Muſica pueri imbuti 187. Muſicam inter Graecos primi corruperunt Cnexus, Timotheus, Philoxenus, aliique 188. Muſicae tempus metiebantur veteres non manus, ſed pedis ictu 191. Muſicae notae apud Graecos *ibid.*
Mutunus Deus 219.
Myrmecides currus fecit ex ebore, qui ſub muſcae alis abſconderentur 148.

N.

Naues Graecorum mille 153. ad eas defendendas pro muro fuit Achilles *ibid.* Phaeacum ſponte feruntur 502.
Nauis ἀυτόματος 503. Vlyſſis in rupem conuerſa 455.
Nauſicaa, regis Alcinoi filia, veſtes dat cibumque Vlyſſi 390. nouum palmae germen apud Homerum dicitur 487.
Nautica veterum 504.
Nectar quid ſit 243.
Nepenthe quid ſit 378. Helenae datur a Polydamna 302.
Neptunus, maieſtatis diuinae ſymbolum 248. vociferans, maieſtatis diuinae inſigne *ibid.*
Neſtor ſudorem vento ſiccat 499. Neſtoris ſermo ad Patroclum a criminationibus vindicatur 286.
Newton *Iſaac* notatur 485.
Nox cur intempeſta dicatur et concubia 261.
Nuces myriſticae 489.

Nuditas pudicitiae non officit in populis, qui nudi incedunt 477.
Nummorum vſus an Homeri aetate iamiam exſtiterit 283.
Nutricii partes apud veteres 288.

O.

Obiurgatio frequentior deſinit pueris pharmacum eſſe 473.
Odyſſea maximam partem in narrando verſatur 483. Odyſſeae propoſitio 347. totius chronologia 370. bona pars ad magiam pertinet 488.
Ogygia Calypſus inſula 384.
Olei vſus in luminibus apud veteres non fuit 500.
Olympus apud Homerum mons fictitius eſt, coeli partem notans 297.
Onomacritus auctor Orphicorum 16.
Oradinus apud Taſſum ad Pandari Homerici exemplar effictus 24.
Orci galea 314.
Orion gigas fuit 137.
Orpheus 485.
Oſſuarium quid ſit 331.
Oſtiaria ancilla apud Hebraeos 479.
Ouidii iactantia 111.
Ouidius quatuor partes facit hominis 435.

P.

Paedonomus Spartanorum 471.
Paeon Deorum medicus 152. 502.
Paganica pila 486.
Palaeſtinae fertilitas 489.
Palaeſtra 499.
Palato pictor 20.
Pallas Dei ſapientiam notat 228.
Pallium 253.
Pandarus vulnerat Menelaum 151.
Panes a mulieribus parabantur 480.
Panis pro quouis edulio 126. vel ex tritico, vel ex hordeo *ibid.* in caniſtris ferri ſolitus *ibid.*
Pantomimi 190.
Parca pro decreto Dei 488.
Paris quare cornu ſplendidus dicatur 278. rapta Helena Sparta aufugit, longaque nauigatione vſus defertur in Phoeniciam et Aegyptum 302.
Parodiae in Homerum 318.
Paſtores Laeſtrigonum an fuerint inſomnes 421.
Paſtoritia vita antiquis temporibus haud indecora 456.

Patria Homeri. de ea ſeptem vrbes litigant 510.
Patroclus ab Euphorbo vulneratur et ab Hectore interficitur 155. Patrocli combuſtio 330. exſequiae 157. vena 331. ſepulcrum 332.
Patrum lenitas in filios 468.
Pauſanias refellitur 375.
Pedum ablutio hoſpitii officium ad feminas pertinens 478.
Pelei monitum ad Achillem de praeſtantia laudis ſupra ceteros quaerenda 161.
Pelius falſo accuſatur ab Hippolyta 497.
Penelope cur procos ex Vlyſſis aedibus non expulerit 359. male a Grauina depingitur 361. caſtiſſima Homero eſt 362. prudens 358. 361. non adultera 362. non vana 359.
Peplum 253.
Peregrinationis damna 350. vtilitas 349.
Perraultus iniquus Homeri cenſor 22.
Perſae menſis accnmbebant 484. Perſarum lectuli *ibid.*
Petaminarius quid ſignificet 176.
Petrefaciendi vis fontibus propria et fluminibus 394.
Petrus M. Ruthenorum Imperator in Batauis artem diſcit ligni fabrefaciendi 387.
Petunda Dea 219.
Phaeacia eſt Corcyra 489.
Phaeacum naues 502. faces 500.
Phaedra falſo accuſat priuignum 497.
Phaëtuſa nympha 446.
Phemius Critheidem, Homeri matrem, ducit vxorem 506. ex procis ſeruatur 459. Phemium praeceptorem ſuum in Odyſſea celebrat Homerus 509.
Phereclus, faber lignarius inſignis, heroibus ab Homero accenſus 387.
Pherecydes quadrantis auctor putatur 502.
Phiala aurea Philippi 314.
Phidias Iouis ſimulacrum efformat ad deſcriptionem Homeri 223.
Philippides veloci curſu clarus 171.
Philonides celeritate curſus praeſtans *ibid.*
Philoſophorum veterum de Deo ſententiae 220.
Phocis quid deſignetur apud Homerum 488.
Phoenicia ſigna Cadmi 497.
Phoenicis ſermo a criminationibus vindicatur 288. 289.
Phoenix nutricius Achillis 495.
Pigres et Timolaus ſingulis Iliadis verſibus ſingulos de ſuo intercalarunt 317.
Pila 485. Pilae varium genus 486.
Pileus ſemel apud Homerum occurrit 254.
Plagae an crebro in pueros exercendae 470.

Planctae 444. ſcopuli in mari Siculo 452.
Plato fabuloſas in Homero allegorias reprehendit 44. taxat Homerum, quod adſpectabiles Diis formas adfinxerit 45. notat Homerum, quod flecti Deos ſacrificiis dixerit 46. imperitos ab lectione Homeri arcet 33. carpit Homerum, quod Scamandrum inducat, opem a Xantho petentem aduerſus Achillem 46. Homerum e republica exterminat 42. 48. 200. ipſe allegoriis indulget 44. 203. Homericis locis dialogos ſuos pertexuit 43. quid de Deo ſenſerit 220. Studioſiſſimus Muſicae fuit 184. inuidia laborat 47. notatur 102. 438.
Platonici tres hominis partes ſtatuunt 434.
Plautus punicae linguae dat operam 165.
Plectrum 181.
Pleiades, Atlantis filiae, vnde nomen adeptae 454.
Pocula varii generis 130.
Poculum aureum Neſtoris 313.
Podalirius 502.
Poltyos dictum 303.
Polymneſtor pedum celeritate excellens 171.
Polyphemus gigas 137. deſcribitur 402. ſex ſocios Vlyſſis deuorat 401. cur ab Vlyſſe excaecatus ſit 403. eius antrum 404.
Pomorum vſus maximus in menſis ſecundis 128.
Popiana Homeri verſio Anglica 10.
Portentum 447.
Praeceptoribus lenitas commendatur 468.
Praeconum tria fuere officia 493.
Praeficae mulieres in funeribus adhibitae 330.
Preces filiae Iouis 312. earum deſcriptio *ibid.* Graeci fundebant adſidentes aut ſtantes *ibid.* Hebraei genu flexo *ibid.*
Priamus quare Aeneae infenſus 305.
Priapus Deus 219.
Proci munera conferunt Penelopae 457. interfecti 459.
Proeti tabulae 497.
Protagoras Homerum ſtulte carpit, propter inuocationem Dei, qua Iliadem exorditur 57.
Proteus In eius transformationibus magicae Aegyptiorum artes indicatae 488.
Prouerbium: βοῦς ἐπὶ γλώττῃ 283. Sirenas praeteruehi 442. euitata Charybdi in Scyllam incidere 446. ſolus ſapit 436. reliqui volitant ſicut vmbrae 437.
Pſelli *Michaël* de Euſtathio iudicium 324.
Pueri laboris non impatientes 472. quibus de cauſſis caedi poſſint 473.
Pugilatus 499.
Pyra quid ſit 330. Pyrae et exſequiae Patrocli 157.
Pyrrhus, Achillis filius, vnde nomen adeptus 170.

Q. Qua-

Q.

Quadrantis auctor Pherecydes putatur 502.
Quinctiliani encomium de Homero 287.
Quirinus Cardinalis laudatur 485.

R.

Raimundus Taſſi ad exemplar Neſtoris Homerici effictus eſt 24.
Rainaldus Taſſi ad exemplar Achillis Homerici expreſſus eſt 23. Rainaldi clypeus cum clypeo Achillis Homerici comparatur 24.
Rapolani ſontes 394.
Raptim ludere quid ſit 487.
Raudus metallum ſimplex antiquiſſimi vſus 124.
Regis Laeſtrigonum filia it aquatum 423.
Repercuſſabilis pila 486.
Repetitio frequens verborum τὸν ἀπομειβόμενος προσέφη excuſatur 287. μύϛιλλον τ' ἄρα τ' ἄλλα item 288. repetitionum in Homero permagna elegantia 51. 54.
Rhapſodi 318.
Rheſus, Thracum princeps, Troianis auxiliaturus obtruncatur 154.
Ridere malis alienis 491.
Riſus coactus 491. Sardonius 490. procorum Penelopes 491.
Ritus funerum antiquorum 329.
Rodus ſiue raudus metallum ſimplex et antiquiſſimum 124.

S.

Sacer pro magnus 245.
Sacerdotum partes in combuſtione cadauerum 331.
Sacrificia pacifica quid ſint 494. ſacrificiorum ritus 271. ſacrificiorum paganorum fontes in Hebraeorum ſacrificiis 272.
Salmon laudatur 401.
Salomonis menſa ſumtuoſiſſima 132.
Salue formula precandi ſternuentibus 490.
Sandalia proprie feminarum 254.
Sardonius riſus 490
Sarpedon Catonis Vticenſis praeceptor 474.
Saturnius quare Iupiter dicatur 247.
Saturnus ſignificat tempus 247.
Sauli morbus in ſpirituum neruorumque perturbatione verſabatur 194.
Sauromatae anthropophagi 401.
Scaliger *Iul. Caeſ.* inuidioſe Homerum criminatur 35 *ſq.* perverſe iudicat de Catullo 39. item de Horatio 40. de Clau-

diano *ibid.* de Statio *ibid.* Homerum inique taxat 451. excuſatur a filio 37. nimium ſibi tribuit 36. glorioſus et vanus 41. contumelioſus in Eraſmum 37. inſolens in optimos poëtas 40. ex ambitione fit Homeri hoſtis 38. 41. profunda fuit doctrina 36.
Scamander fluuius furentem Achillem repellere nititur 157.
Scanſio in dimetiendis verſibus vnde dicta 191.
Sceptrum regum et heroum inſigne 311. Agamemnonis Cheroneae adſeruatum *ibid.*
Scheria eſt Corcyra 486.
Scholiaſtae Homerici quot exſtiterint 321.
Scopus Taſſi in Hieroſolyma liberata 23.
Scyllae ſcopuli deſcriptio 445.
Scythae anthropophagi 401.
Sedilium diſcrimen 259.
Senecae locus de aurea catena Homeri 235. contra peregrinationem 352.
Senes Sardiniae mactandi cogebantur ridere 491.
Sepulcra extra vrbem fuere 332. in templis fieri a quarto ſeculo coepere 336. chriſtiana primis temporibus non licebant in vrbe et in templis, quarto circiter ſeculo ſepulturae locus coepit in templis permitti 337.
Sepultura de ea lex XII. tabularum 332.
Serrani *Ioan.* de Platone iudicium 44.
Shatiros Perſarum pernicitate inſignes 175.
Sibyllae antrum 432. 433.
Sibyllina carmina opus ſuppoſititium 61.
Sicilia ſubterraneis ignibus abundat 412. tempeſtatibus ab Italia ſeiuncta eſt 414. Siciliae fertilitas 401.
Signa Bellerophonti tradita quid fuerint 497. Phoenicia Cadmi *ibid.*
Similitudo Homerica elegans 423. a bobus ducta defenditur et illuſtratur 87. Similitudines in Odyſſea pauciores, quam in Iliade 423.
Simulacrum Iouis in Priami aedibus 313.
Sinenſes vani ac tumidi, deſidioſi, inertes 349.
Sinon Virgilianus 21.
Sirenes alii tres, Homerus duas facit 441. vnde dicantur 442. cantu ſuo Vlyſſem allicere conantur 449. ſub earum imagine voluptates noxiae earumque illecebrae depictae 442. ab Homero deſcriptae 444. an vere exſtiterint 442. Sirenarum vafricies 452. Sirenas praeteruehi. *Prouerb* 442.
Socrates patienter fert vxorem contentioſam 215. ſe mundanum dicit 349.
Sol notat immenſitatem Dei 228.
Solus ſapit. *Prouerb.* vnde ortum 436.
Somni verba ad Iunonem 228.

Somnia

Somnia vel naturalia vel diuina 64. aegri captabant in Aeſculapii templo 66. interpretandi ars futilis 67. non ſolum a Ioue, ſed etiam ab aliis Diis immitti credebantur 66. Somnium Mandanes 67. Somniorum duae portae *ibid.*
Spartanorum diſciplina 471.
Spartiani locus de filiis patrum diſſimilibus 263.
Speluncae in Syria vaſtiſſimae 404.
Sphaerae ludus 485.
Spondanus *Ioan.* nullas in Homero allegorias agnoſcit 207. notatur 403. 426. 428. 438.
Sponſus quantum dotis daret, et viciſſim acciperet 498.
Stanze, vox Etruſca, vnde dicta 27.
Stephanus Byzantinus 326.
Sternutatio nil mali portendebat Homeri aetate 490. an tempore Gregorii M. fuerit noxia *ibid.* Telemachi *ibid.*
Stheneli ad Agamemnonem reſponſio 262.
Sthenobea, Proeti vxor 496.
Stibium 89.
Stragula 258.
Strongyle inſula 411.
Studitae monachi 421.
Studius Byzantii coenobium aedificat *ibid.*
Styx quid ſit 311.
Sues diuo Antonio ſacri Neapoli 447.
Suffitus ad placandos Deos adhibebantur 270.
Summa narrationis, vnde pendet tota Ilias 64. libri X. Odyſſeae 424.
Suractenſes mortuos non humant. 335.
Symplegades inſulae 452. vnde dictae 453.
Syria vnde nomen habeat 501.

T.

Tabani, genus inſectorum 420.
Tabulae Proeti quid ſint 497.
Talthybius praeco 493.
Tancredii perſona apud Taſſum partim ex Diomedis, partim ex Aiacis Telamonii apud Homerum deſumta 24.
Taſſus Homerum imitatur 22. in quonam ſit reprehendendus 25.
Tapes lectis tegendis ſeruiebat 258.
Tarantulae morſu icti modis muſicis curantur 197.
Tautologia quid ſit 50. abeſt ab Homero *ibid.*
Tela heroicis temporibus nobiliſſimis feminis conueniebat 369. 480.
Telemachus matrem ad telam et colum amandat 369. cur ſe neſcire dixerit, quod vere filius Vlyſſis ſit 368. per ſomnium

a Minerua monetur 456. fontes puellas ſuſpendit 461. inſidiis petitur a procis 366. iter facit ad Neſtorem 365. ad Menelaum 366. virtutibus inſignis 367. ſternuit 490. Telemachus Fenelonii 367.
Telum inſtrumentum bellicum 498.
Terentii locus 469. 470.
Terpander lyra pulſans ſeditionem Lacaedemonum compeſcuit 195.
Tertulliani locus de cultu feminarum 256.
Teſtudo, inſtrumentum bellicum 181.
Teuenotus laudatur 411. 456.
Thalami ex ebore vel cedro conſtructi 494.
Thelxiepia vna Sirenarum 441.
Themiſtocles habetur indoctior, quod lyram pulſare non didicerat 179.
Theoclymenus vates Telemacho fit comes nauigationis 456. 458.
Theologia Homeri 249 *ſq.*
Theophraſtus Ereſius quid de morſibus quarumdam viperarum narret 199.
Theſeus Procuſten interficit 465.
Theſtorides ludimagiſter defraudat Homerum 508.
Thetis quare ab Homero fingatur muſcas a Patrocli cadauere abigens 294.
Thorax inſtrumentum bellicum 498. Agamemnonis 315.
Tibialia non niſi in itinere et bello in vſu fuere 254.
Timotheus cantu Alexandrum M. ad arma concitauit 194.
Tireſias ſolus apud inferos ſapit 433. 436. 439.
Tonus eius modi et genera 191.
Trigon 486.
Trigonalis pila vnde dicta ſit *ibid.*
Tripodes a Vulcano fabrefacti quaſi vita donati 502.
Trogloditae Aethiopum perniciſſimi 176.
Troianus equus 374. 375. 499.
Tryphiodorus Odyſſeam λειπογράμματον ſcripſit 318.
Tubae mentio nulla fit apud Homerum 499.
Tumulus exſtructus ſuper oſſibus combuſti cadaueris 331.
Tunica 283.
Tychius ſutor Homerum benigne excepit 507. ei gratiam habuit in Iliade Homerus 509.

V.

Vafrinus Taſſi Vlyſſem Homeri refert 24.
Vaxucas 397.
Velocitatis cauſſae phyſicae in homine 174. 176. velocitatis pedum exempla 171.

Vexilla

Vexilla heroicis temporibus non in vſu fuerunt 498.
Ventos quidam ſeptemtrionis populi veniunt 416.
Veriſimilium duo genera 410.
Verſiones tironibus vtiles 341. Homeri latinae verbotenus officiunt valde 408.
Vertendi Homeri latinis verſibus difficultas *ibid.*
Verſus leonini in Virgilio 307.
Veſpuccii narratio de anthropophagis 401.
Veſtes conſutae a mulieribus 480. odoratae veteribus in deliciis fuere 494. lauantur a mulieribus 481.
Victimae cornua inaurandi mos 275. vnde ortus ſit 279.
Victores bellorum non coronabantur 499.
Victoria Stygis filia 311.
Vinum dulce valde arriſit veteribus 133. Maroneum 129. vetuſtas magno in pretio apud Graecos 129. niger color celebratur ab Homero *ibid.* vini vetuſtas magno in pretio apud Graecos *ibid.*
Virga Mercurii 384.
Virgilius Homerum imitatur 20. ſed prudenter 21. 22. 405. 414. linguae latinae ingenio ſuaeque aetatis moribus indulſit 21. 38. ingratus erga Homerum 22. Virgilii locus de Scylla et Charybdi 445.
Vlyſſes in Troianorum caſtra cum Diomede ad ſpeculandum miſſus 154. imprudens dum inſultat Cyclopi 77. euocat mortuorum vmbras 274. 395. nauem aedificat 387. errores ſuos narrat Phaeacibus 392. aerumnarum gymnaſium eſt 418. ad inſulam Calypſonis delatus 447. patris lenitate in ſubditos vtitur 468. nullo cibo altus decem dies viuit 448. mendici formam induit 455. apud Eumaeum ſe ſimulat Cretenſem 456. 458. vagatur circa Siciliam 426. deſcendit ad inferos 432. quare ſomno ſe corripi paſſus ſit 416.
Vlyſſipona vnde nomen traxerit 426.
Vlyſſis e vulnere profluens ſanguis cantu inhibetur 192. in equo incluſi factum praeclarum 375. calliditas 404. 406. laus 348. riſus Sardonius 490. canis prae gaudio moritur 456.
Vmbra Achillis 438. vmbra de re nihili 437.
Volaterranus notatur 385.
Voſſii ratio in docenda lingua latina 341.
Vox ingens roboris indicium 145. Stentoris 141. 147. Neptuni grandis 145. aerea Homero pro immenſa 142. ferrea Virgilio pro infragili 147. 143.
Vrna Patrocli 331.
Vſtrina quid ſit *ibid.*
Vulcanus tripodes vitali motu praeditos fudit 91. vna nocte arma conficit Achilli 156.

X.

Xanthippe vxor Socratis difficilis ac moroſa 215.
Xanthus, Achillis equus, loquitur 211.
Xenocrates muſica furioſos ſanitati reſtituit 195.

Z.

Zenodoti cenſura in Homerum notatur 308.
Zoili cenſura ridicula refellitur 393.
Zoilus iniquus Homeri cenſor 41. Sophiſta Amphipolites, Homeri vituperator, dignam impudentiae mercedem tulit necem 73.
Zonam ſoluere quid notet 253.

INDEX III.

INDEX III.

GRAECARVM VOCVM.

A.

ἀγαυὸς 493.
ἀγκυλομήτης cur Iupiter dicatur 248.
ἀγλαός. κερ' ἀγκλαὸς cur Paris Homero dicatur 256.
ἀγχίνοος epitheton Vlyſſis 451.
ἀηδὸς 180.
ἄελλα 415.
ἀθάμιστος 503.
ἀιγείη κυνῆ 258.
ἀΐδος κυνῆ quid notet 314.
ἄιθοψ οἶνον nigrum vinum 129.
αἶσα 237.
ἀμβρόσιος pro diuinus 242.
ἀμενηνὰ κάρηνα mortui dicuntur 434.
ἄμνιον quid ſignificet 271.
ἄμπυξ faſcia, vnde dicta 255.
ἀμύμων 222.
ἀναιδείην ἐπιειμένε eleganter ab Homero dictum 82. 86.
ἀναίμων 244.
ἀνέστιος 503.
ἀντίθεος 244.
ἀπενθὲς quid ſit 378.
ἀπένθετον quid notet 378.
ἀποβλύζειν quid ſignificet 289.
ἀποδυτήριον 486.
ἀπόλλυσθαι, hoc eſt, perdi peſſumdari 239.
ἀπόῤῥαξις quid ſit 487.
ἀργυρότοξος cognomen Apollinis 55.
ἄριστον differt a δεῖπνον et δόρπον 260. ἀφελὲς prouerb. ibid.
ἄρπαστον 487.
ἄρσις muſicorum quid ſit 191.
ἄρτου σκιὰ 437.
ἀστυβοῶτις 493.
αὐλεῖν πατρικὰ μέλη. *prouerb.* 264.
αὐλὸς 180.
αὐτοσχεδιασθὲν ex tempore dictum 148.
ἀφρήτωρ 503.
ἀχαιοὶ καρηκομόωντες 256.

B.

βαρὺς 494.
βίη Ἡρακλείη, hoc eſt, Herculis idolum 535. cf. Heſiodus.

βρε

βόε οἴνοπε par boum nigrorum 87.
βου particula intendendi atque augendi vim habet in compoſitione a bouis ſcilicet magnitudine 88.
βουγαῖος magnus iactator *ibid.*
βούλιμος magna fames *ibid.*
βοῦς ἐπὶ γλώττῃ. prouerb. 283.
βοῦς χρυσοκέρως 275.
βοῶπις epitheton Iunonis aptiſſimum ac pulcherrimum 88.
βοῶπις πότνια Ἥρη expaſſis oculis formoſa auguſtaque Iuno 89.

Γ.

γίγου δακτύλιος quid ſit 314.

Δ.

δαίμονες 273. 332.
δαιτρὸς, hoc eſt, coquus 259.
δειδίχεσθαι quid Homero dicatur *ibid.*
δεῖπνον vnde dicatur 260. differt ab *ἄριστον* et *δόρπον ibid. ἄπυρον.* prouerb. *ibid.*
δημιοεργὸς 493.
Διὸς ὀμφαὶ dicuntur ſomnia 66.
δίφρος quomodo differat a *θρόνος* et *κλισμός* 259.
δόρπον differt ab *ἄριστον* et *δεῖπνον* 260.

E.

ἔδνα quid ſit 498.
ἔεδνα ibid.
εἴδωλα καμόντων mortui dicuntur 434.
ἑκατόμβαι quaſi *ἑκατόμεαι* ſcil. *θυσίαι* 270.
ἕλιξ pars ornatus mulierum 255.
ἑλκυσίπεπλος quid ſit 253.
ἐναγίζειν quomodo differat a *θύειν* 273. 332.
ἐξέλετο Iliad. lib. VI. quid ſignificet 284.
ἐπίκοινος σφαῖρα 487.
ἐπῳδὴ 489.
ἕρμα ornatus muliebris pars 255.
ἑρμῖνες fulcra lectorum 257.
εὔπεπλος quid 253.
ἐφετίνδα σφαῖρα 487.
ἐχέσαρκος cur *χιτὼν* dicatur 253.
ἐχέφρων epitheton Vlyſſis 451.

Z.

ζεῦς καταχθόνιος 313.
ζεῦ σῶσον 490.
ζῆθι ibid.
ζωνὴ quid Homero dicatur 253. *παρθενικὴ ibid.*

H.

ἠερόφωνος 493.
ἦθος κύνεον 83.
ἡρώων τέκνα πήματα. *Prouerb.* 264.

Θ.

θελήλατα dicuntur ſomnia 66.
θῆος 244.
θεόπεμπτα ſomnia dicuntur 66.
θέσις in muſica quid ſit 191.
θεωρεῖν vnde dicatur 186.
θρόνος differt a κλισμῷ et δίφρῳ 259.
θύειν differt ab ἐναγίζειν 332.
θυήεντα et θυώδεα quid ſit 270.

I.

ἱερὸς pro μέγας 245.
ἱμάτιον quid denotet 253.
ἴχωρ quid ſit 243.

K.

κάλυπτρα flammeum 255.
κάλυξ tubulus aureus ad redimiendos cincinnos *ibid.*
κάμπτειν γόνυ non *flectere genu*, ſed *ſedendo quieſcere* notat 312.
κάνεος caniſtrum 126.
κάπετος quid notet 331.
καπνοῦ σκιὰ 437.
κάρηνα ἀμενηνὰ mortui dicuntur 434.
καρηκομόωντες quare Graeci Homero dicantur 256.
καταῖτυξ galeae ſpecies 255.
καταχθόνιος ζεὺς 313.
κεκρύφαλον quid denotet 255.
κεκύρηκ 486.
κενὴ σφαῖρα 487.
κενοτάφιον quid ſit 332.
κερατοφυὴς quare Bacchus dicatur 130.
κερδαλεόφρον 82. 86.
κιθάρα 181.
κλισμοὶ καὶ θρόνοι 484.
κλισμὸς differt a δίφρος et θρόνος 259.
κρατὴρ ἀπὸ τοῦ κεράσσεσθαι 129. ἐπιστεφὴς οἴνοιο vnde Homero dicatur *ibid.*
κρήδεμνον vitta 255.
κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται 199. cf. Callimach. hym. in Iov. v. 8.
κρονίδης quare Iouis epithetum 247.
κρύβδα Διὸς quid ſignificet 238.
κυάνεος caeruleus 453.

κυκεὼν potus genus 130. 133.
κύνεον ἦθος mos impudens 83. 86.
κυνὴ galea quotuplex 255.
κυνὸς ὄμματ' ἔχοντα Agamemnonem vocat Achilles, hoc eſt, impudentiſſimum 83. 86.
κυνῶπις epitheton Helenae 83.
κωρυκομαχίη 486.
κώρυκος 486.

Λ.

λέβην αἴθοπα οἶνον 270.
λέχεα τρητὰ cur ſaepe dixerit Homerus 257.
λιγύφθογγος 493.
λῖνον in lecti operimentis eſt apud Homerum 258.
λιταὶ 312.
λύρα 181.

M.

μαλακὴ σφαῖρα 486.
μέθη vnde dicatur 272.
μήλια quid ſit 498.
μέλη πατρικὰ αὐλεῖν. *Prouerb.* 264.
μελιηδέα οἶνον 133.
μίτρη nonnumquam *cingulum* Homero eſt 253.
μύστιλλον τ' ἄρα τ' ἄλλα 288.
μῶλυ 429.

N.

νεκυομαντεία quare liber vndecimus Odyſſeae dicatur 432.
νηπενθὲς quid ſit 378.
νήπιος 495.
νόμος vnde dicatur 187.

Ξ.

ξανθὸς cur Menelai epithetum 256.
ξένια 285.

O.

ὀθόνη quid fuerit 255.
οἶνος αἶθοψ 129. εὔφρων 379. λαθικήδης 379. μελιηδὴς vinum mellitum 133.
ὁμηρομάστιξ 73.
ὅμηρος 507.
ὀμφαὶ Διὸς dicuntur ſomnia 66.
ὄνου σκιὰ 437.
ὅρμος monile 255.
οὐλαὶ ſiue οὐλοχύται quid 270.

οὐρανία σφαῖρα quid ſit 487.
οὖτις 406.

Π.

παλαιά τε πολλά τε εἰδώς 31. 34.
πανακὲς φάρμακον 378.
πασιμέλουσα quare nauis Argonautarum Homero dicatur 453.
πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε Iupiter dicitur 247.
πατρικὰ αὐλεῖν μέλη. prouerb. 264.
πέλειαι columbae 454.
πένθος 378.
πέπλον 253.
περιαυτολογία 115.
περίφρων epitheton Penelopes 358.
πίθοι dolia vini veteris 129.
πῖλος pileus 254. 486. quid Homero ſit 254.
πίονα μηρία καίειν 272.
πλαγκταὶ ſcopuli in mari Siculo 452. 444. vnde ſic dictae ſint 453.
πλόκαμος quid ſit 256.
πλοχμοὶ cincinni *ibid.*
πλωτὴ de Aeoli inſula 412.
πόδας ὠκὺς quare Achilles Homero dicatur 169. 174. 55.
ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων, formula orientis populis conſueta 503.
πολύμητις epitheton Vlyſſis 451.
πολυμήχανος quare Vlyſſes dicatur 386.
πολύτροπος epitheton Vlyſſis 451.
ποτήριον σωτηρίου 494.

Ρ.

ῥάβδος 384.
ῥαψωδοὶ qui fuerint et vnde dicantur 318.
ῥήγεα σιγαλόεντα 257.

Σ.

σάνδαλον ſiue σανδάλιον mulierum erat calceamentum 254.
σαρδάνιος 491.
σηρὴν 442.
σήματα κάδμου 497.
σῖτος Homero *panis* eſt, pro quouis *edulio* ſumtus 126.
σκιὰ de re nullius momenti 437. ἀνθρώπων, hoc eſt, nebulo *ibid.*
σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος de Tychio 509.
στρόγγυλος 412.
συγκοσμεῖν 336.
συμπλέκεσθαι connecti 453.
σύριγξ 150.
σῦς σύαλος ſus pinguis 133.

σφάγιον

σφάγιον quid ſit 271.
σφαίρησις quid notet 485.
σφαιρίζειν 486.
σφαιρομαχεῖν *ibid.*
σφαιριστήριον *ibid.*
σφαιριστὴς 486.

T.

τάπητες in lectis ter apud Homerum occurrunt 258. pro tegumento *ibid.* pro puluino *ibid.* pro ceruicali *ibid.*
ταυρείη κυνὴ 255.
τάφον quid 332.
τέρας prodigium, oſtentum 315.
τερατολογεῖν 224.
τηλέπυλος quid ſignificet 418.
τοὶ δὲ σκιαὶ αἴσσουσι. Prouerb. 437.
τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη 287.
τροπαὶ ἠελίοιο quid 501.

Υ.

ὕδρεια 414.
ὕπνος χάλκεος hoc eſt *mors* 117.

Φ.

φάρμακον quid notet 381.
φᾶρος eſt pallium 253.
φορμίαι quare dicatur 419.
φόρμιγξ 181.

X.

χάλκεος ὕπνος, hoc eſt, *mors* 117.
χαλκόφωνος Stentor dictus 118. cur Neptunus dicatur 248.
χαμαιευνία quid ſit 259.
χάρμα βροτοῖσιν 379.
χειρῖδες ſemel in Homero occurrunt 253.
χερνίψασθαι apud Homerum quid denotet 271.
χιτὼν tunica 253.
χλαῖνα laena 253. 258.
χοαὶ quid ſit 332. 273.
χοῖρος porcellus 133.

LGr
H766
.Yri

13683

Homer
Ricci, A.M.
Dissertationes Homericae; ed. by Born.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED